E-12-2

197

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

Rare Book & Special
Collections Library

929.2
V822a

appartenente
al Conte antonio Cavagna Sangiuliani

PETRI AZARII
NOTARII NOVARIENSIS
SYNCHRONI AUTHORIS
CHRONICON
DE GESTIS PRINCIPUM VICECOMITUM
Ab Anno MCCL. uſque ad Annum MCCCLXX.

ACCEDIT

OPUSCULUM
EJUSDEM AUTHORIS
DE BELLO CANEPICIANO.

Quæ omnia ex Manuſcripto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ediderat LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS Rerum Italicarum Tomo XVI., nunc iterum ad Codicis fidem emendata, atque ejuſdem Authoris Laciniis, quæ in Codice Ambroſiano deerant, ex Codice Manuſcripti Laudenſis, ac Hiſtoria Montis Ferrati, Benvenuti de Sancto Georgio, adjectis, quæ uſque ad annum MCCC-LXX. ejus Hiſtoriam extendunt, in lucem proferuntur. Accedunt in hac editione. Diſſertatio de Vicecomitum Nomine, Dignitate, & Munere; ac Notæ Hiſtorico-Chronologicæ, ad ejuſdem Azarii Hiſtoriam illuſtrandam.

MEDIOLANI, MDCCLXXI.

Apud Federicum Agnellum.)(*Superiorum permiſſu.*

929.2
V822a

27 Ja 31 M. SEXTON

PRUDENTIBUS, SAPIENTIBUS, AC NOBILIBUS

VIRIS

LX. URBIS NOVARIÆ DECURIONIBUS

PETRI AZARII

NOVARIENSIS NOTARII

HISTORIA

SE IPSAM

D. D. D.

ILLUSTRISSIMI DOMINI

URBIS NOVARIÆ DECURIONES

Anno MDCCLXXI. Vigentes.

DOminus Joſeph Caccia Plattus.
Dominus Comes Senator Caroellus.
Dominus Comes Joſeph Avogadrus.
Dominus Fabricius Cattaneus.
Dominus Antonius Maria Avogadrus.
Dominus Felix Cattaneus.

715494

Dominus Ioſeph Cattaneus.
Dominus Joannes Torniellus.
Dominus Marchio Ferdinandus Allevius.
Dominus Franciſcus Avogadrus.
Dominus Comes Ludovicus Cattius.
Dominus Comes Michael Angelus Leonardus.
Dominus Joſeph Hieronymus Torniellus.
Dominus Paulus Felix Morbius.
Dominus Comes Regius Intendens Cattius.
Dominus Joſeph Langius.
Dominus Joannes Nibbia.
Dominus Theodorus Torniellus.
Dominus Comes Joſeph Cattaneus.
Dominus Joannes Morbius.
Dominus Joſeph Torniellus de Barengo.
Dominus Joſeph Cattius.
Dominus Comes Senator Caſtellanus Tettonus.
Dominus Comes Aloyſius Bellinus.
Dominus Comes Joſeph Bruſatus.
Dominus Aloyſius Gaudentius Torniellus.
Dominus Marchio Jacobus Baliottus.
Dominus Henricus Torniellus.
Dominus Dominicus Pernatus.
Dominus Comes Anna Joſeph Torniellus.
Dominus Georgius Torniellus Raude.
Dominus Joſeph Solarius.
Dominus Joannes Gibellinus.
Cæteræ Sedes hactenus vacant.

IN PETRI AZARII CHRONICON

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PEtro *Azario*, cujus Hiſtoriam Lectori ſpectandam nunc praebeo, patria fuit Novaria Civitas, potius quam Derthona; ac propterea nil mirum, ſi multus ille eſt in recenſendis illius Urbis calamitatibus. Notarii munere functus eſt, cujus rei teſtem ipſum habemus, ac praecipue Cap. XI. ubi de Johannolo Mondella agens ſcribit: *Cujus familiaris Notarius & domeſticus fui ego Petrus Azarius*. Haec ille ad Annum circiter 1352. Tum Cap. X. prodit, ſe Anno 1354. aut 1355. a Matthaeo II. Vicecomite Domino

Mediolani ac Bononiae, ad ſtipendiorum militarium curam accitum, quo in munere tum Bergomi, tum Bononiae perſtitit. Derthonae quoque Judicem & Cancellarium Johannis Pirovani ibidem Praetoris ſumma fide ac ſedulitate egit, ad alia etiam publica negotia adhibitus. Hinc ad Hiſtoriam ab illo conſcriptam plurimum commendationis accedit, quod non ſolum res ſui temporis, ſed quibus nonnunquam & ipſe interfuerat, literis mandavit. Humili quidem ac interdum barbaro ſtilo eſt uſus: attamen vadem me praeſto, omnia ferme, quae ſcripſit, lectum iri cum voluptate. Nam vivido ingenio is fuit, atque apto ad rectum de rebus judicium ferendum; & quæ laudanda erant, ſincere laudavit, quae vero a ſemita recti diſcederent, veritatis amans fortiter improbavit. Quod ſentiendi & ſcribendi genus quantum Lectores delectare queat, ipſiuſque Hiſtoriae pretium augere, ſatis compertum habemus. Scripſit autem, quæ ab Anno

no circiter 1250. ad Annum uſque 1362. contigere. Quo Anno calamitatibus preſſus ponere calamum coactus eſt. Neque ſolum Mediolanenſium Principum, Patriaeque ſuae geſta retulit, ſed & finitimarum gentium, eo ni fallor ſucceſſu, ut inter potiores barbaricae Collectionis hujus Hiſtoricos numerandus videatur. Certe lepores idemtidem narrationi immixtos, & nitidam morum picturam apud eum reperias; neque facile librum deponas, ubi ſemel legere incœperis.

Ad iſta edenda praeſto mihi fuit exemplum, quod ad me olim miſit Lazarus Auguſtinus Cotta Juriſconſultus Novarienſis, vir inter Eruditos notus, & ſingulari amicitia mihi, dum vixit, conjunctus. Vetuſtum Codicem MStum (quem archetypum appellare non auſim) collocarat ipſemet Cotta Mediolani in Ambroſiana Bibliotheca una cum aliis Opuſculis ad Novarienſem Hiſtoriam ſpectantibus. Rem autem gratam bonarum

Ar-

Artium ſtudioſis ſe præſtiturum, ſimulque Azario ipſi majorem gratiam ac laudem acceſſuram, Cotta ſperabat, ſi a ruſtico ejus ſtilo quaſdam voces ac phraſes minus elegantes ſuſtuliſſet. Quare is Auctori tacenti, ſuumque jus e tumulo ſuſtinere minime valenti, amice manus intulit, & nonnullis in locis meliora vocabula ſubſtituit, dictione, pro ut ſibi videbatur, in melius immutata, rerum tamen nucleo & veritate intacta. Quod hominis ſano in aliis criterio utentis conſilium ſi minime ego probem, atque imitatione nequaquam dignum arbitrer, facile conſentientem mihi in hac ſententia praeſtantiſſimum quemque Literarum cultorem habebo. Etenim barbaries illa ſtili, non ſecus atque ſilvae ac antra praerupta in magnatum amoenis locis, ſua gratia ac venuſtate non caret; & praeterquamquod nihil detrahit veritati, proprius etiam nativo illo colore ſimplicitatem & genium Seculi refert, quo Auctor

ſcrip-

ſcripſit. Ad haec vocabula nobis ſervat, quae eo tempore in uſu & honore erant, ſimulque majorem fidem editori ipſi conciliat. Si Majores noſtros doctiores, aut eloquentiores, quam erant, ingenio noſtro efficere volumus, noſtra, non illorum venditamus. Itaque curavi, ut Philippus Argelatus mihi ſaepe in hoc Opere laudatus, qui Mediolani nihil laboris ad Collectionis hujus meae ornamentum detrectat, Clariſſimo Saxio Ambroſianae Bibliothaecae Praefecto veniam faciente, cum antiquo MSto Codice Cottiano, nunc Ambroſiano, exemplum meum conferret, atque ibi reſtitueret quaecumque Cotta aut praetermiſerat, aut immutarat. Quod ille obfirmato animo praeſtitit, hoc eſt numquam toedio victus Codicis nimis arduos characteres praeferentis.

Dixi, laborem Azarii noſtri ferme conſtrictum inter Annum 1250. & Annum 1362. Lege exordium Chronici. Intuere poſtremas

lineas:

lineas: non alios ſibi terminos conſtituiſſe e veſtigio Auctor videatur. Attamen nunc monendus eſt Lector, Picinellium in Athenaeo Mediolanenſi ſcripſiſſe, *Annales Mediolani* ab Urbis illius origine ad Annum uſque 1402. haberi, quorum Auctor fuit idem Azarius. Hos teſtatur adſervari manu exaratos in Bibliotheca magnae Chartuſiae Ticinenſis. Quum de hujuſmodi Codice ſciſcitatus olim fuiſſem amicum Cottam, retulit ille, ſibi nullum aliud Chronicon Azarii objectum umquam fuiſſe, niſi quod mihi nunc evulgandum eſt. Apud Carthuſianos quoque inquirendum curavi: ſed nullum ibi ejuſdem veſtigium. Demum deprehendi, hauſiſſe Picinellium quidquid de hoc Codice ſcripſit a Puricellio, qui tum in Ambroſianae Baſilicae Monumentis num. 236. tum in Diſſertatione de Sanctis Arialdo & Herlembaldo Lib. I. Cap. VII. auctor eſt, Annales hoſce Mediolanenſes, hactenus mihi inviſos, ſibi a Matthaeo Valerio

Car-

Carthuſiano commodatos fuiſſe. Inquit autem: *Petrus hic Azarius fuit Notarius* (*Novarienſiſne, ac Derthonenſis, hoc incertum*) *atque Mediolanenſes Annales ſcripſit ab initio Urbis uſque ad Annum Chriſti MCCCCII. Quibus in Annalibus Anno MCCCLV. ſemetipſum narrat a Magno Matthaeo Vicecomite Vicario Imperiali & Mediolani Domino miſſum, ut militiam reformaret*. Heic ſe ipſum oblitus eſt Puricellius, vir in tot aliis accuratiſſimus. Non enim a *Magno Matthaeo Vicecomite*, qui Anno 1322. finem vivendi fecit, ſed ab ejus Nepote Matthaeo, demandata fuit Azario noſtro ſtipendiorum militarium cura. *Magni Matthaei* nomine deſignari primus, & quidem merito, conſuevit; alter vero nequaquam, quem nulla virtus ejuſmodi appellatione dignum effecit, immo vitia multa indignum effecere. Memoratus etiam nuper Cotta in ſuo Muſaeo Novarienſi typis edito Mediolani Anno 1701. pag. 248. de Aza-

rio noſtro agens nos docuit, Scriptorem hunc ad Annum uſque 1389. continuaſſe Chronicon ſuum. Abiit ille in hanc ſententiam, auctoritate fretus Puricellii ejuſdem, qui ad eum Annum tradit, conſpectam fuiſſe Azario noſtro horrentem Solis Eclipſim *in Mediolano*. Verum non faciet Puricellius, eumque alii ſequuti, ut tam facile credam, alteram Hiſtoriam, longe fuſiorem, atque a nunc evulganda diverſam, fuiſſe ab Azario conſcriptam. Et praeſertim quod mihi videar deprehendiſſe, quid in hac re fucum Puricellio facere, cauſſamque ita ſentiendi praebere potuerit. Delatus eſt ad me Novarienſis Codex MStus (de quo infra mihi erit ſermo) complectens *Annales Mediolanenſes* ab origine Urbis deductos, & in Annum 1402. deſinentes. Similem aut eumdem plane Codicem Puricellio commodatum opinor. Utrique idem principium, utrique idem finis; ac praeterea ad Annos 1355. & 1389. utrobique leguntur, quae ibi

ſe

ſe legiſſe Puricellius teſtatur. At qui iſtorum Annalium Scriptor (uti ſuo loco oſtendam) quamquam ex Azarii Chronico multum profecerit, & complures ex eo petitas lacinias ſuo panno aſſuerit, alius tamen ab Azario fuit. Proinde corruunt, aut ſaltem nutant fundamenta tribuentium Azario alterum Chronicon: idque ego grandiori etiam voce negarem, niſi mihi dubitationem aliquam adhuc ingereret Puricellius, qui in Diſſert. de SS. Ariald. & Herlem. quaedam verba de morte Herlembaldi refert, ex eiſdem, ut is arbitratur, Azarii Annalibus excerpta, quae in Codice Novarienſi non legi. Bernardinus etiam Corius in Hiſtoria Mediolanenſi ad Annum 1385. haec tradit: *Scrive Pietro Azario Notajo Novareſe, ed in tai tempi vivendo, che nel punto della preſa di Bernabò il Pianeta di Saturno, Giupiter, e Marte erano nella caſa di Gemini.* Sed ne iſta quidem in Novarienſi Codice occurrunt. Nihilo tamen ſecius, donec nobis cla-

riora argumenta afferantur, judicium de altera Azarii Hiſtoria nobis parum nota ſuſtinebimus, & una hac, quam dare poſſum, utemur.

Opuſculum alterum contra mihi memorandum eſt, quod ſine dubitatione eidem Azario debemus, cui titulus *de Bello Canapiciano*, ubi varios caſus Canapiciani Comitatus (nunc *il Canaveſe*) in Pedemontana regione ſiti deſcribit, atque in calce monet, ſe commentariolum illum literis conſignaſſe, quum Derthonae moraretur *Anno* 1363. *Indictione I. die IV. menſis Januarii*. Primus ante aliquot annos publici juris fecit Libellum hunc Albrizius in altero Tomo Libri, quem inſcripſit *Galleria di Minerva*. Emendatum autem fuiſſe ejus ſtilum, vivente adhuc Auctore, per *Ambroſium de Roccacontrata*, ſcribit ſupra laudatus Cotta. Ego vix credam, & ni fallor, a vero non aberrabit, qui emendationem ad ipſum Cottam refert, ejuſmodi ſcenis ſine dolo malo delectatum. Rurſus ergo Lector idem Opuſculum

a me

a me accipiet, ſed ſuco inde detracto, ideſt quale in Ambroſiano Codice legendum ſe offert. Quod vero Cotta in ſuo Novarienſi Muſaeo addit, ſcilicet alterum *Petrum Azarium Mediolanenſem Hiſtoricum* Anno 1238. floruiſſe, ejuſque Annales memorari a Gualvaneo de la Flamma Auctore Chronici MSti, cui titulus *Flos Florum*, & hoc ipſum reor nullis bonis tabulis niti. Nam ut praeteream, Auctorem quidem fuiſſe Gualvaneum *Manipuli Florum* a me antea evulgati, non vero Chronici *Flos Florum* nondum editi, cujus Scriptor recentior fuit: Gualvaneus ipſe neque in Chronico Majori, neque in Manipulo Florum, ullum agnovit Petrum Azarium Hiſtoricum. Is quidem in eodem Manipulo auctor eſt, *Anno Domini MCCXXVIII. Gavazarinum* (*ſeu potius Guazarinum*) *Ruſcam*, *&* *Petrum de Azariis ſive de Vitanis*, fuiſſe Praetores Mediolani; quod etiam Corius teſtatur: ſed ne gry quidem illic de Hiſtoria ulla ab

eo conſcripta. Quod ſi Seculo proxime praecedenti vixiſſet alter Azarius Hiſtoricus, iſque Mediolanenſis, ipſius Hiſtoria Gualvaneo Mediolanenſi, diligentiſſimo hujuſmodi Librorum venatori, difficile ignota atque illaudata fuiſſet.

LECTORI MONITUM.

POſtquam Ludovicus Antonius Muratorius immortalis nominis Vir, Petri Azarii Notarii Novarienſis Chronicon, ex Manuſcripto Codice Ambroſianæ Mediolanenſis Bibliothecæ in lucem protulit, inter Italicarum Rerum Scriptores Tomo XVI. pagina 293., optabant Eruditorum plures, ac præcipue inter Novarienſes Cives aliqui, inſtabantque enixe, ut aliquis hunc librum ſeorſim prælo committeret, quo facilius ad eorum manus pervenire poſſet, quibus amplam Scriptorum Rerum Italicarum ſeriem, Tomos

XXVIII.

XXVIII. complectentem, ſibi comparare grave erat. Laudes quibus Muratorius lepidum, ac ſincerum Azarii ſtylum extollit, diligentia qua Novarienſis Urbis ac Provinciæ res, ſuper omnes alios Scriptores proſequitur, atque unicum eſſe ſuperſtitem, inter Celebriores Novarienſes Hiſtoricos, a Lazaro Auguſtino Cotta in ſuo Muſeo nominatos, potior fortaſſe cauſſa fuit, propter quam Eruditi Novarienſes, novam ejuſdem editionem, præ cæteris, jure expeterent.

Sed injurius Azario certe reputandus eſſet, quicumque extra aliorum Scriptorum cœtum, inter quos jam fuit emiſſus, ipſum evulgare præſumeret. Titulus ejus Operi præfixus a Lazaro Auguſtino Cotta, quem Muratorius retinuit, & ego quoque in hac Editione, parum eidem convenire videbatur. Is Vicecomitum aliorumque ejus temporis Langobardiæ Tyrannorum Vitas ſcripſit, & has jejune nimis, ſi Joannem Vicecomitem Archiepiſcopum, ejuſque Nepotes Matthæum ſecundum, Bernabovem, & Galeatium ſecundum excipias, quorum geſta fuſius, ac Hiſtorica quaſi methodo proſequitur. Biographis ideo, potius quam Hiſtoricis adnumerandus videbatur

Aza-

Azarius. Ottonem Archiepiſcopum, qui tamen fundamenta Dominii ſuorum Nepotum, primus jecit, paucis expedit verbis, & ea quæ de ipſo tradit, utpote ab aliis mutuata, veritati raro conſentiunt. De Matthæo Magno Vicecomite, qui primus Principatum in Urbe obtinuit, plurima omittit præcipuoſque ejus temporis eventus, ac illius mortem ſilentio præterit. Galeatium Vicecomitem ex Mediolani Dominio a Ludovico Bavaro, opera præcipue Marci Fratris, deturbatum, ac cum Joanne, & Luchino Fratribus, & Actio filio in Modoetiæ Caſtro Carceri mancipatos, pluraque alia diſſimulat, nec ejus mortem indicat. De Actio Galeatii Filio plura omittit, nec Marcum Patruum, ejus juſſu, eliſis linteo faucibus ſuffocatum, memorat. Conſtanter ea omnia quæ Vicecomitibus gravia eſſe poterant, alto premit ſilentio. Amanuenſis præterea oſcitantia, plures in notis numericis eventuum tempus indicantibus, irrepſerunt errores; plures in Codice lacunæ; plura extra propriam ſedem, aut præpoſtere ſcriptis conſignata, quarum aliqua, ubi tuto id fieri poſſe vidi, ad propriam ſedem revocavi, ut meum cum Muratorii textu conferenti, pate-

bit. Hiſce breviter indicatis, an operi conveniat titulus: *Chronicon de geſtis Principum Vicecomitum ab Anno MCCL. ad annum MCCCLXII.*, judicet Lector.

Hinc etiam eſt, quod Azarii Chronicon ſuam Sedem decore obtinet inter Hiſtoricos a Muratorio vulgatos quorum lectione ac collatione, Lector ea cognoſcere, facile poteſt, quæ ipſe omiſit, ac rerum eventus ad veram temporum rationem, illis ducibus, revocare. Quod ſi tali auxilio deſtitutus in lucem prodeat Azarius, interruptam ſæpe rerum ſeriem, Lectori tædium allaturam non dubito; Omiſſa quoque præcedentium rerum narratio, ſubſequentium intelligentiam difficiliorem, obſcuramque reddet. Frequentes etiam in notis numericis Amanuenſis lapſus, Lectorem circa eventuum tempus, in errorem plerumque trahent. Azarius itaque extra ſuam ſedem poſitus, non amplius eas mereri laudes videbitur, quas ipſi Muratorius, & Lectores hactenus tribuerunt; Quamvis ea, quæ ipſe vidit, & ſuo tempore acciderunt, humili, ſed amœno ſtylo, ac ſumma veritate & judicii præſtantia, ſcriptis conſignaverit.

Hiſce incommodis occurri poſſe additis op-

por-

portunis notis prudens judicabit Lector. Hoc etiam a me factum, quo exitu judicent alii. Ut ea tamen, quæ Azarius ſcripſit, connecterem, neceſſe fuit, ex aliis ſcriptoribus, longa interdum Lacinias mutuari, aut de novo contexere, ſicque adductis antecedentibus ad conſequentium intelligentiam, viam ſternere.

Ratus præterea quod Pontificum aliorumque Principum, quorum mentio in Azario frequenter occurrit, quique maximam in rebus eo tempore geſtis, partem habuerunt, aliquantulam notitiam Lectori præbere, gratum eſſe poſſet, ne aliunde non levi incomodo, propriæ curioſitati ſatisfacturus Lector, hæc illi quærenda forent; hoc etiam a me factum, per compendium tamen quantum rerum ſubſtantia permittebat. Hæc ſunt, quæ Notas aliquando longiuſculas contexere, me coegerunt, quas tamen ſi quis faſtidiat, earum lectionem omittere ac præterire, nihil vetat. In illis autem conſcribendis nihil a me traditum, quin authores ſynchronos, aut proximos eidem tempori citaverim, quos ſi inter ſe diſſentientes offendi, Lectori, ut ratio ſuadet, permiſi judicium.

Nec tamen illico judicandum eſt diſcrepare Scriptores, ubi alicujus eventus tempus aſſi-

gnantes, uno diſſentiant anno, cum enim diverſa eo tempore annum incipiendi methodus in diverſis Italiæ non ſolum, ſed Europæ Provinciis, in uſu eſſet, fieri poteſt, ut duo Scriptores, annum diverſum alicui eventui aſſignent, & nihilominus eodem tempore ſecutum intelligant, cujus rei exempla videbis Notis XXVIII. LV. LXX. LXXXII. & alibi; hac potiſſime de cauſa Diſſertatiunculam poſt hoc Monitum addere placuit de diverſa annum incipiendi ratione, & tempore.

Ex hactenus dictis jam videt Lector, quæ me cauſſa ad has concinandas Notas induxerit, & quam methodum in iiſdem ſecutus ſim; nunc liceat aliquid de Petri Azarii Chronico addere.

Quandoquidem Muratorius in ſua Præfatione indeciſum relinquit, utrum præſens Chronicon unice, ab Azario conſcriptum ſit, aut pars tantum alterius ſit reputandum, quod ab origine Mediolanenſis Urbis, uſque ad annum 1402. produxerit Azarius, prout ſcripſit Picinellus in Athenæo Mediolanenſi, & ante ipſum Puricellus, locis a Muratorio in præinſerta Præfatione citatis; ideoque Azario perperam adtribuerint aliud Chronicon editum Tomo

XVI.,

XVI., Scriptorum Rerum Italic. *Annalium Mediolanenſium* nomine, quod in Tabulario Eccleſiæ Majoris Civitatis Novariæ aſſervatur, quæ mihi circa hanc rem ſe obtulerunt, breviter dicam.

Præteritis nuper annis ad me delatum fuit, in Bibliotheca Patrum Oratorii Laudenſis Urbis, Chronicon M. S. Petri Azarii reperiri ad annum 1402. pertingens. Amicorum opera Codicem vidi, ac plures dies retinendi facultas perhumaniter conceſſa fuit, ſed primo ſtatim intuitu *Annalium Mediolanenſium* exemplum eſſe cognovi, oſcitanter etiam exſcriptum; plura præterea in eo deeſſe, quæ in Novarienſi edito Codice leguntur, collatione facta comperi, pauca tamen, quæ in Novarienſi codice deerant, in Laudenſi legi, & quidem non interpolata. Quapropter, ab alio quam a Novarienſi Codice exſcriptum ante XV. ſeculi finem arbitror, quamvis non eodem prorſus tempore ſcriptum, diverſa characterum forma oſtendat. Longas, frequenteſque lacinias ab Azario verbo tenus deſumptas in eo inveni, quæ etiam in Annalibus Mediolanenſibus leguntur, ut obſervavit Muratorius in Præfatione ad Azarium, & in ea ad prædictos Annales.

Ben-

Benvenutus de Sancto Georgio in Hiſtoria Montisferrati, quam Murat. R. I. T. XXIII. iterum edidit, ex Azario, ut Benvenutus ipſe profitetur, longas exſcripſit lacinias, ac præcipue col. 461. E. 488. A. 523. A. 525. C. 530. E. 535. A. 549. E. 559. C. 586. E., quas ad ſuam contexendam Hiſtoriam opportunas credidit; Codex tamen Azarii, quo uſus eſt Sangeorgius, nec cum noſtro, nec cum laciniis in Annales Mediolanenſes illatis, quoad verborum ordinem convenire omnino, conferenti ejus citationes cum utriſque, clare patebit. Inſuper col. 586. integrum Azarii noſtri refert Cap. XVI. de Marchione Montisferrati, quod in Annalibus Mediolanenſibus non legitur; col. præterea 403. A. dicit ab Azario tradi præſentem fuiſſe quando Aſtenſes, proditorie occupato loco Vignalis, Guillielmi Marchionis Montisferrati Tentoria obtinuere, decem Plauſtris ad Aſtam translata, quod Sangeorgius anno 1290. eveniſſe tradit; hoc factum etiam refert Corius, Azarium citans ad annum 1290. De hoc ne verbum quidem, tam in noſtro Azario, quam in Annalibus Mediolani, legitur. Col. 559. textum Azarii refert ſic incipientem: *Cum infinito diſpendio curavit Dominus Galeaz in*

Ma-

Matrimonium copulare Leonetto Duci Clarentiæ &c., finit vero ſic: *dominio præfati Domini Galeaz ſunt ſubjectæ*.

Huic Matrimonio annum 1370. idem Sangeorgius perperam aſſignat; Annales Mediolanenſes Matrimonium Leonelli Ducis Clarentiæ, cum Violante Filia Galeatii, col. 738. diſtincte referunt, Epulas etiam ea occaſione factas, ac Dona Sponſo oblata deſcribentes, ſed cum textu a Benvenuto Sangeorgio in ſua Hiſtoria illato, ne uno quidem verbo conveniunt; annum inſuper recte aſſignant 1368. & diem quintam Junii, quod etiam affirmant Chronicon Placentinum R. I. T. XVI. col. 510. A., Fragmenta Hiſtoriæ Mediolanenſis R. I. T. eodem col. 1051. D. aliique Scriptores, quamquam Corius diem 15. Junii, Amanuenſis forte errore, aſſignet. Ex hoc etiam apparet Sangeorgium, vero Azarii Codice, non Annalibus Mediolanenſibus uſum fuiſſe, ut ſupra monui. Codex vero Azarii noſter annum 1364. non excedit, ideoque nihil de matrimonio anno 1368. ſecuto tradere poterat. Codex autem quo Sangeorgius uſus eſt ad annum 1370. pertingit. Bernardinus etiam Corius qui Azarium interdum citat in Hiſtoria Mediolani, ad annum

1385.

1385. hæc tradit: *Scrive Pietro Azario Notaro Novareſe, e in tali tempi vivente, che nel punto di la captione di Bernabò il pianeto di Saturno: Iupiter: e Marte era nella Caſa di Gemini.* Hæc in Annalibus Mediolanenſibus a Muratorio editis non leguntur, ut obſervavit Muratorius ipſe in præinſerta Præfatione.

Ex hactenus recenſitis quid opinandum ſit de hac quæſtione, ſagax judicabit Lector; ego quidem ſi meam proferre licet opinionem, difficile adducar ut credam Azarium unquam Hiſtoriam a Mediolani origine uſque ad annum 1402. compoſuiſſe. Jejunus nimis & parcus mihi videtur in illis rebus referendis, quæ geſta ab Ottone Archiepiſcopo, & Matthæo magno Vicecomite tradit, quamvis brevi intervallo ab ejus vita remotis, ut ipſum aptum natum ad eas expiſcandas notitias, quæ plurimis ante ipſum ſeculis evenere, credere poſſim. Ea inſuper quæ de ſe ipſo, ſuiſque Muneribus narrat, nec otium, nec pecuniam illi reliquiſſe ad eam Manuſcriptorum ſupellectilem ſibi comparandam & pervolvendam, ſine qua talis Hiſtoria eo ſeculo ſcribi non poterat, ni fallor, ſatis probant. Nullum præterea ab eo unquam citari, Authorem Hiſtoricum invenies. Libentius igi-

igitur credam Corium, Puricellum, & Picinellum Annales Mediolanenſes pro Azarii Chronico accepiſſe, cum in ipſis ejus ſæpe nomen invenerint. Nec obſtat quod textus a Corio citatus in illis deſit; pluries enim evenit, Amanuenſes ejus temporis, ea quæ Hiſtoriis quas exſcribebant, acceſſoria tantum credebant, labori parcentes, ultro omittendi, ſibi facultatem feciſſe, cujus rei exempla apographos M. S. Codices, cum autographis aliarum Hiſtoriarum, mihi conferenti, non ſemel occurrerunt. Adde etiam quod ſi Azarius jam adultus, ut veroſimile eſt, præſens fuit quando capta fuerunt Tentoria Marchionis Montisferrati ab Aſtenſibus anno 1290., & vivebat ut dicit Corius anno 1385, quando Joannes Galeatius Bernabovem Patruum Carceri mancipavit, ipſum annos 110. aut 115. vixiſſe credendum foret; utrum vero ætate tam provecta, conſcribendis Hiſtoriis mortales vacare poſſint, judicet Lector.

Benvenutum tamen Sangeorgium, ſincerum Azarii Codicem præ oculis habuiſſe, quamvis a noſtro interdum quoad verborum ordinem parumper diverſum, facilius credo, quod præter alia argumenta Azarii noſtri Caput XVI. *de Marchione Montisferrati* prout jacet,

ultimis tantum exceptis lineis in ſuam Hiſtoriam illatum, probare videtur. Nec illi ignotum fuiſſe ejuſdem Azarii *Opuſculum de Bello Canepiciano* a Muratorio editum, & hic etiam ad calcem recuſum, ejus textus col. 461. incipiendo poſt non multas lineas ex his verbis: *Habitaverunt autem Canepicium duo genera, videlicet &c.*, ſatis probat; quamvis ejus de hoc Bello textum in agreſſione Caluſii col. 470. A. deficere, atque apodem eſſe, appareat.

Quid autem dicendum, de Tentoriis Guillielmi Marchionis Montisferrati, ab Aſtenſibus deprædatis, cui facto Sangeorgius Azarium præſentem fuiſſe dicit, col. 403. A.? Quid de Leonelli cum Violante Galeatii Filia Matrimonio? De his certe ne verbum quidem in noſtro Codice legitur. Sed quod primum reſpicit jam ſupra monui plura in noſtro textu deeſſe, ſeu Amanuenſium incuria, ſeu quod in Autographo, jam oblitterata & exeſa, exſcribi non potuerint; nec inter hæc, aliquid vetat credere Vignalis occupationem ab Aſtenſibus factam eſſe potuiſſe. Niſi forte, ut facile credo, Sangeorgius hoc factum mutuatus eſſet a Corio, qui ipſum ad annum 1290. tradit, Azarium citans. Ubi enim in Azarii Codice, quo Sangeor-

georgius uſus eſt, hoc factum ſcriptum fuiſſet iiſdem Authoris verbis, integram referendo laciniam, retuliſſet, ut alibi ſemper fecit. Leonelli vero Matrimonium anno 1368. ſecutum, ab Azario ſcriptis conſignari potuiſſe, non inficior. Ultimam ſuo Chronico manum impoſuiſſe, Azarius ipſe teſtatur, de menſe Novembris anno 1362. in *Finali Concluſione*, nec tamen omiſit plura quæ annis 1363. & 1364. evenere, poſtea ſcribere Cap. XIV., imo epocha in fine Opuſculi de Bello Canepiciano data eſt die quarta Januarii anni 1363. Quid ſi idem fecerit nonnullis ſubſequentibus annis, quod inveroſimile non videtur, cum nihil de tempore ejus mortis nobis conſtet, ejuſque ſcripta in alium Codicem illata fuerint, & non in noſtrum? Sangeorgius certe col. 559. 560. & 561. Azarii laciniam profert, quæ rerum eventus ad totum annum 1370. ſecutos tradit; nec de hujus textus ſinceritate dubitare permittit Sangeorgii authoritas. Nec tamen ex hoc argui poteſt Azarium ſcripſiſſe Hiſtoriam a Mediolani origine uſque ad annum 1402., potiſſime cum Benvenutus de Sancto Georgio, qui ut ſupra vidimus, plurimas ex Azario lacinias mutuatus eſt, poſt annum 1370. nunquam

 am-

amplius de eo mentionem habeat, quod Azarii Chronicon ultra dictum annum non extendi, ſatis demonſtrat.

Prædictam etiam laciniam, pro complemento Chronici Petri Azarii, ad calcem Capitis XIV. ad quod ſpectat, adjicere placuit.

Diſſertatiunculam etiam ad hujus Moniti calcem adjeci, *de Vicecomitis Nomine, Dignitate, ac Munere*, gratum Lectori futurum eſſe, ratus, quid Familiæ, quondam in Mediolani Urbe Principi, nomen dederit, cognoſcere; potiſſime cum tota Azarii Hiſtoria in Vicecomitum gratiam elucubrata ſit.

Præterea propria edoctus experientia, quam moleſtum ſit offendere interdum Scriptores, magni in Hiſtoria nominis, qui alicujus rei eventum, & tempus referentes, uno inter ſe diſcrepent anno; qua de cauſſa ambigit Lector, cui ex duobus tuto credere poſſit. Hoc ex diverſa annum incipiendi conſuetudine apud diverſas Nationes derivatum eſſe, facile cognovi. Aliquæ enim a ſolennitate nativitatis Chriſti, aliæ a Kalendis Januarii, aliæ a feſto Annunciationis, hoc eſt die 25. Martii, alii novem menſibus ante Nativitatem ejuſdem anni, aliæ vero ab Annunciatione ſequentis anni,

tribus ſere menſibus poſt Nativitatem , anni principium deſumebant. Ex hoc neceſſario ſequitur unius anni differentiam inter diverſæ Nationis Hiſtoricos plerumque reperiri. Ut autem hanc chronologicam differentiam conciliare poſſit Lector, *poſt Diſſertationem de Vicecomitis Nomine &c.* Diſſertatiunculam *De diverſa poſt decimum Seculum, Annum incipiendi apud diverſas Nationes, ratione, & tempore*, adjicere placuit , potiſſime , quia apud Authores , ſequentibus Notis citatos, talis diſcordiæ exempla plura inveniet, quæ cognito tempore quo quælibet Natio incipiebat annum , & cognito ex qua Natione ſit Athor , facile Lector conciliare poterit. Aliquid etiam adjeci de Indictionibus , quod Hiſtoricæ Chronologiæ multum lucis affundere poteſt.

In concinnandis vero Notis , ſimpliciore ſtylo uti placuit, ne Lector cultiori latini ſermonis elegantiæ forte non aſſuetus, a rerum intelligentia, verborum lepore detraheretur; ſed juxta illud Virgilii Georgicorum lib. 2.

. . . . Non hic te Carmine ficto
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.

DE

DE VICECOMITIS NOMINE, DIGNITATE, AC MUNERE.

VIcecomitis nomen, non aliud quam Dignitatem ſignificare, præter antiquorum Scriptorum teſtimonia, nomen ipſum demonſtrat. Comitis enim Vicarius erat, ejuſque vices gerebat *Vicecomes*, quotieſcumque Comes, ſui Officii munera peragere, diſtinebatur. Comitis vero munera diverſa erant, ſed præcipua fuerunt, Placitis ſeu Judiciis præeſſe, Juſtitiam Populis miniſtrare, Tributa Regalis Cameræ curare, ac Militiam ſibi ſubjectam, regere. Sed de his vide Muratorium Antiquitatum Italicarum T. I. col. 399. & ſeq.

Antiquam eſſe *Vicecomitis* Dignitatem conſtat, cum ejus meminerit Vita Sancti Mauri Abbatis, ſcripta, ut fertur, a Fauſto ejus æquali, apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti T. I. pag. 291., qui *Vicecomitum* mentionem habet his verbis: *Prædictus denique Vir Florus, quum in omni Regno Theodeberti Regis, ſummam obtineret poteſtatem, ac Vicecomitis, in Andecavenſi eo tem-*

tempore fungeretur Pago &c. Hæc ad annum 584. refert Mabillonius loco citato. Sanctus Gregorius Magnus Pontifex, Epiſtola XVIII. lib. VIII. Indictione I. (hoc eſt anno Chriſti 598.) editionis Benedictinæ, ad Agnellum Terracinæ Epiſcopum, commendans eidem ut quoſdam ſuperſtitioſos mores a ſuo Grege amoveat, hæc ſubdit. *Scripſimus autem & Mauro Vicecomiti, ut Fraternitati veſtræ in hac re debeat adhibere ſolatia &c.* ex quibus verbis, jam eo ſeculo aliquid Judiciariæ poteſtatis *Vicecomites* habuiſſe videntur. In corpore Legum Langobardicarum lib. II. Tit. 30., Lege II., editionis Lindenborgii & Goldaſti, Carolus Magnus Imperator edicit, ne Servi venumdentur, niſi coram Epiſcopo, Comite, aut *Vicecomite*, aut aliis Reipublicæ Miniſtris. Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui Ludovici Auguſti ætate floruit, circa annum 830., in Tractatu de Inſolent. Judæor. ſic loquitur: *Venientes Judæi dederunt mihi Indiculum ex nomine veſtro, & alterum ei, qui Pagum Lugdunenſem Vicecomitis regit &c.* In Capitulari Caroli Calvi Francorum Regis, apud Balutium T. II. pag. 179. ad annum 864., ſic legitur: *Habeat unuſquiſque Comes, in cujus Comitatu Mo-*

netam

netam eſſe juſſimus, *Vicecomitem ſuum*, *qui cum duobus aliis hominibus &c.* In Archivio Ambroſiani Cœnobii Mediolanenſis Membrana aſſervatur, ſcripta anno Hludovici Imperatoris vigeſimo . . . . . Indictione tertia, quam epocham anno 870. aſſignat Muratorius, loco ſupra citato. Continet ea *Notitiam Firmitatis in qua Amalricus Vicecomes Civitatis Mediolani*, *Filius quondam Walderici*, *qui fuit Vicecomes ipſius Civitatis*, *per pampanum Vitis &c.* In Charta antiquiſſimi Monaſterii Sancti Zenonis Veronenſis, continente Placitum, quod habuit in ea Urbe *Adelardus* Veronenſis Epiſcopus; eidem interfuiſſe legitur *Audakaris Vicecomes Civitatis Veronenſis in vice Walifrit Comitis*, anno Chriſti 880. Vide Muratorium Antiquit. Italic. T. I. col. 435. B. In Cartophilacio Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Regienſis, in Diplomate Lamberti Imperatoris, circa finem noni Seculi, nominatur Ingelbertus *Vicecomes* Parmenſis, referente Muratorio Antiquit. Italic. T. I. col. 438. A.

Nec multum errare crediderim, ſi quis *Vicecomitalem* Dignitatem, eodem tempore, quo *Comites* creari cœperunt, natam dixerit: abſente enim aut infirmo Comite, aliquis ejus

vices

vices ſupplere debebat, & is *Comitis Vicarius*, aut *Vicecomes* dictus.

Comitis vero Titulum antiquiſſimum eſſe conſtat, cum ejus mentio ſit apud Sanctum Gregorium Magnum Pontificem lib IV. Indictione 12. Epiſt. 47. edit. Benedict., ideoque circa annum 595. Apud Paulum Diaconum lib. III. Cap. 9. nominatur *Comes de Lagare*, *Ragilo* nomine, a Francis occiſum, in excurſione a Francis contra Langobardos facta, quam anno 577. eveniſſe Sigonius tradit. Comitis etiam nomen frequenter occurrit in Langobardorum Diplomatibus a pluribus Scriptoribus editis, præſertim Ughellio, Margarino, & Campio, vide Muratorium Antiquit. Italic. T. I. col. 402. *Comitum* ideoque, ac conſequenter *Vicecomitum* Dignitates a Gothis, ac præſertim Francis in Galliam, & Italiam progreſſis invectas, veroſimile eſt; conſentiente etiam Muratorio Antiquit. Italic. T. I. col. 399. B. Legitur etiam Comitis Titulus in antiquis Romanorum Inſcriptionibus, interdum obvius, qui tamen diverſam indicare Dignitatem veroſimile eſt.

Spectaſſe ad *Comites* eligere ſibi ſuum *Vicecomitem*, recte infert Balutius ex Epiſtola Agobardi ad Matfredum, ubi ſermo fit de Ber-

tmundo Comite Lugdunenſi, *Qui bene ſatis habeat ordinatum de Juſtitiis Comitatum ſuum; eo quod talem Virum Pro Se conſtituerit ad hæc peragenda, qui non ſolum propter amorem & timorem Senioris ſui id ſtrenue gerat &c.*, vide Muratorium loco citato col. 440., vide Martini Bouquet ex Congregatione Sancti Mauri, Rerum Gallicarum & Francicarum Scriptores T. VI. pag. 360., & ibi Notam F.

Vicecomites etiam Rurales Oppidis nempe, atque Pagis præfectos, non raro apud Antiquos Scriptores nominatos offendimus, utrum vero ſint, quos ab aliis *Vicarios* nominari legimus, ut aliqui putant, definire non auſim, cum eodem tempore utroſque nominatos viderim; niſi forte credere placeat, Judices inſignioribus Oppidis præfectos, *Vicecomitis* titulo ornatos fuiſſe, aliorum vero locorum Judices *Vicarios* apellatos.

Temporis tamen progreſſu, variis obnoxiam fuiſſe mutationibus, ut cætera mortalia, etiam *Vicecomitum* auctoritatem, & dignitatem, vix dubitandum, quod etiam antiqui teſtantur Scriptores. Sublatis poſtea e medio Comitibus, in plurimis Italiæ Civitatibus, ibi quoque *Vicecomitum* Dignitas & nomen evanuit: quod

tunc

tunc maxime factum opinor, quando Italicæ Urbes excuſſo ſervitutis jugo, Libertatem arripere cœperunt, ac Capitaneorum & Conſulum miniſterio regi; quod ſeculo ineunte XII., Sigonius eveniſſe cenſuit, de Regno Italiæ lib. X., ſub Henrico inter Reges V., inter Cæſares IV. Sed nondum adulto Seculo XI. libertatis quamdam ſpeciem, plures Italiæ Civitates, ac Mediolanenſes præ cæteris jam arripuiſſe, probat Muratorius Antiquit. Italic. T. IV. col. 5. & ſeq.

Vicecomites tamen Rurales nominatos video, etiam poſtquam in quampluribus Italiæ Urbibus, ceſſaverat *Comitis* ac *Vicecomitis* munus ac nomen. Quomodo id factum ſit docet Muratorius Antiquit. Italic. T. I. col. 440. hiſce verbis: *Sive quod adhuc pergerent non pauci* ex Comitibus Ruralibus *ſuam tueri potentiam, & conſtituere* Vicecomites Pagenſes, *in Caſtellis & Pagis, ſive quod veteres Vicecomites Pagum aut Caſtellum aliquod veluti ſuæ dignitatis patrimonium, titulo ſtabili (forſitan etiam Feudi) poſſiderent: idcirco amotis etiam Comitibus, audimus* Vicecomitum *nomen in Veterum Monumentis*. Dimidium Vicecomitatus de Valle Tellina, *anno* 1006. *Henricus inter Reges Sanctus*,

 Ebe-

Eberardo Comenſi Epiſcopo, dono dedit. Præterea alicubi Vicecomites *dignitatem ſuam ac Titulum ad Filios ac Poſteros ex conceſſione Regum, aliorumque Seniorum tranſmiſere, quippe eorum Locorum inveſtitura per Feudum donati, ac ſi Comites forent. Propterea in Chronico Gaufredi Prioris Voſſienſis, atque in aliis Aquitanicis Hiſtoriis, a Labbeo in nova Bibliotheca T. II. pag.* 280. *& ſeq. occurrunt* Vicecomes de Segur, Vicecomes de Albuſſon, Vicecomes de Comborn, *cum aliis ejus ore quamplurimis; Et præcipue illic in æſtimatione non vulgari fuerunt, Vicecomites* de Turre *nunc* de Turena *apellati*, & de Ventadour, & Lemoricenſes, *ut alios prætereeam, qui poſt Seculum a Chriſto nato Decimum inter Galliarum Principes, numerabantur hoc uno Titulo inſigniti. Imo noſtris etiam temporibus in illuſtribus quibuſdam Galliæ, & Magnæ Britaniæ Familiis, honorificum hoc nomen & munus perdurat*. Hiſce addi poteſt quod Corius ad annum 1277. refert, Rogerium nempe Sancti Severini Comitem, pro Carolo Andegavenſi Siciliæ Rege, ad gubernandum Hieroſolimæ Regnum, miſſum, ibi Seneſchalcos, Comeſtabiles, Mareſcalcos, *Vicecomites*, & alios creaſſe Officiales.

In

In Italia vero etiam, poſtquam *Vicecomitis* nomen, & dignitas generaliter ceſſavit, aliquorum locorum *Vicecomites* nominatos lego; ea fortaſſe de cauſſa, quam ſupra ex Muratorio recenſui. Hinc *Eriprandus Vicecomes Mediolani* anno 1037., apud Georgium Merulam lib. II. cap. 25.; Hinc *Otho Mediolanenſis Vicecomes*, anno 1099. apud Sigonium, de Regno Italiæ lib. IX. Hinc *Ugo Vicecomes* anno 1155., imperante Federico Enobardo Auguſto, apud Ottonem Morenam, qui tamen cujus loci eſſet *Vicecomes* non dicit. Hinc in Charta anni 1198. in Codice Cencii Camerarii, *Vicecomes Petronianus*, ideſt Caſtri Petroniani.

Hinc in Charta Donationis Monaſterio Sanctæ Mariæ ad Carceres, facta ab Azone ſeptimo Marchione Eſtenſe, anno 1235. apud Murat. Antiquit. Italic. Tom. I. col. 443., legimus inter teſtes Adelardinum Filium naturalem quondam *Domini Fulconi Graſſi de Lendenaria, tunc Vicecomitis illius Marchionis*. Hinc Eccelinus Vicecomes Azonis VII. Marchionis Eſtenſis, & Anconitani, in Charta anni 1252. apud Murat. loco citato.

Quantum vero temporis Vicecomitis dignitas in Italia perduraverit, cognoſcere, non facilis

cilis res eſt indaginis. Indicavi ſupra *Vicecomitum* mentionem fieri in vita Sancti Mauri Abbatis, ſcripta ut fertur a Fauſto ejus æquali, quæ a Mabillonio refertur ad annum 584., nec aliquid antiquius de hoc nomine mihi hactenus occurrit. Recentior, quæ mihi ſe obtulerit mentio hujus muneris in Italia, habetur in Charta concordiæ inter Henricum Priorem Sancti Salvatoris de Ficherolo, & Eccelinum Vicecomitem Azonis VII. Marchionis Eſtenſis, & Anconitani, quam nuper citavi, ſcripta anno 1252. Indictione decima die 5. exeunte Septembri, hoc eſt die 26. ejuſdem menſis, quod idem eſt ac ſi diceres VI. Kal. Octobris. Quapropter non integris ſeptem ſeculis viguiſſe in Italia hanc dignitatem facile crederem: paratus tamen mutare ſententiam, quotieſcumque meliora proferant alii, quibus, quæ ego non vidi, videre forte continget. Cum tamen jam ſupra dixerim *Vicecomitum* dignitatem, veroſimiliter coævam eſſe Dignitati *Comitum*; *Comitum* vero originem a Gothorum, ac Francorum in Italiam ingreſſu repetendam eſſe, ut oſtendit Murat. Antiquit. Italic. T. I. col. 339. & ſeq., neceſſario ex hoc ſequitur, antiquorum monumentorum defectu, Vicecomitalis

Di-

Dignitatis originem, magis quam finem, nobis exploratam eſſe.

Quomodo autem dignitatis nomen in Gentilitium Familiæ cognomen tranſierit, fruſtra quæſiveris, nihil enim apud fide dignos Scriptores, de hac re mihi videre contigit. Muratorius Antiquit. Italic. T. I. col. 441. ſic loquitur. *Quod vero ut jam præfati ſumus Titulum hunc nonnulli, ſuos ad poſteros, venia a Regibus ſeu Imperatoribus facta, tranſmittere cœperint, ſenſim in Familiæ Cognomen, ejuſmodi appellatio ceſſit*; & infra, de illuſtri Vicecomitum Mediolanenſium Gente ſermonem habens, hæc addit: *Fortaſſis olim Vicarii fuerint Comitis Imperialis Mediolanenſi in Urbe, aut in Verbano Lacu, Pagum aliquem gubernarint, cujus eſſet Comes Archiepiſcopus Mediolanenſis*. Conjecturis certe locus eſſe debet, ubi certiora deſunt documenta.

Vicecomitis ideo cognomen, non Mediolani ſolum, ſed alibi etiam alicui Familiæ, eodem modo acceſſiſſe, veroſimile eſt. Placentiæ, illuſtrem ac antiquam floruiſſe *Vicecomitum* Familiam plures teſtantur Seculi XIII. Scriptores, ex qua natus Gregorius X. Pontifex Maximus, qui Aretii Anno 1276. obiit. Hanc a

Vi-

Vicecomitum Mediolanenſium Familia diverſam fuiſſe, oſtendit Petrus Maria Campius in Hiſtoria Placentina, ac in vita ejuſdem Pontificis. Piſis quoque veterem fuiſſe *Vicecomitem* Familiam, Troncius ejus Urbis Hiſtoricus, aliique teſtantur Scriptores; imo ex hac Familia fuiſſe Ninum Galuræ, cui primis votis juncta fuerat Beatrix Eſtenſis, contendunt. Hanc nobilem mulierem poſtea nupſiſſe Galeatio Vicecomiti Mediolanenſi, videbimus infra, Nota 36. Nec dubito quin plures cognomines Familias nobis ſervaſſet Hiſtoria, dummodo ex illis, viri dignitate, vel potentia præſtantes, fluxiſſent, ut de Placentina, Piſana, ac Mediolanenſi evenit.

Celeberrimæ vero Mediolanenſium Vicecomitum Gentis Originem fuſius deſcripſerunt Bernardinus Corius, Triſtanus Calcus, Paulus Jovius, Georgius Merula, pluresque alii inter antiquos Scriptores; Ex recentioribus autem, Jo: Petrus Creſcentius, Hieronymus Biffius; & in Appendice ad prædictum, Marchio Vercellinus Maria Vicecomes, aliique; nuper vero Genealogiam dederunt, Joſeph Vulpius, Antonius Chiuſole, Pater Guido Ferrarius ex Societate Jeſu Novarienſis Vir pluribus editis Libris,

bris, atque Aurea Latini Sermonis elegantia apprime clarus, & Anonymus Gallus, cui Titulus. *Les Geneologies Hiſtoriques des Rois Empereurs &c. & de touttes les maiſons ſouvraines, qui ont ſubſiſté, juſque à preſent.* Aliique plures. Omnes autem ex Corio pleraque deſumpſerunt, qui eadem ex antiquiorum Authorum collegerat ſcriptis, tempore Vicecomitum Mediolani Dominorum viventium, qui ut majorem apud Principes Viros inirent gratiam, altioremque eorum Familiæ conciliarent antiquitatem, fabuloſa nonnunquam veris immiſcere, ac quorumcumque qui hanc dignitatem obtinuerant geſta, huic Familiæ tribuere, non dubitarunt. Certe non perpendentes, Nobilitatem cum veritate conſiſtere, quæ ſi aſſentatione, vaniſque blandientium ſermonibus nitatur, apud graves, & ſapientes viros, diſpendium potius, quam lucrum obtinet: periculoque plenam rem eſſe, ne ubi fictio una ex parte emergat, laudum certarum fides, & ornamentum ruat.

Vicecomitum tamen Gentem, illuſtrem, atque antiquæ Nobilitatis fuiſſe, antequam ad Mediolani Dominium evecta eſſet, ex eo apparet, quod Vicecomitis dignitas, apud

eam, jam diu in Cognomen tranſiiſſet. Vicecomitis vero dignitas, Comitali coævam, veroſimiliter fuiſſe, ſupra jam diximus; ac Comitalem dignitatem, a Francorum, & Gothorum in Italiam ingreſſu, repetendam eſſe, jam vidimus.

Hæc fuſius fortaſſe nimis proſequi opportunum duxi, ut dignitatis, quæ Vicecomitum Genti, cujus Hiſtoriam ſcribit Azarius, nomen dedit, penitiorem Lector obtineret notitiam, ac quæ apud diverſos Scriptores, non levi certe incommodo, ei perquirenda fuiſſent, hic uno quaſi intuitu, perſpecta haberet.

DE

DE DIVERSA POST DECIMUM SECULUM ANNUM INCIPIENDI APUD VARIAS NATIONES, RATIONE, ET TEMPORE.

DUplex apud Antiquos, non ſolum in Italia ſed etiam apud exteras Nationes Epocha pro temporum computanda ratione in uſu fuit. Alii enim ab Incarnatione Verbi, alii ab ejus Nativitate annos numerabant. Qui Epocha ab Incarnatione deſumpta utebantur, anni initium a Feſto Annunciationis, ſeu die 25. Martii, interdum, præcipue apud Gallos & Inſubres, a Paſchate, ordiebantur; dicebant enim Chriſtum humanam Carnem tunc accepiſſe, quando conceptus fuit. Qui vero a Nativitate, a Feſto Nativitatis, ſæpe etiam a Kalendis Januarii annum incipiebant. Obſervandum tamen eſt, extra Italiam, ac præcipue apud Anglos, & nonnullos Scriptores Gallos, eos etiam qui ab Incarnatione annos numerabant non a die 25. Martii, ſed a die Nativitatis Domini annum inchoare conſueviſſe; Incarnationem tunc vere accidiſſe aſſerentes, quando Redemptor humana carne circumdatus,

datus, in lucem prolatus eſt; Vide Mabillon. de re Diplomatica lib. 2. pag. 177. C.; Vide Gervaſium Dorobernenſem.

Nec tamen eos, qui anni initium ab Incarnationis Feſto incipiebant, inter ſe convenire conſtat; alii enim Epocham Incarnationis ab Annunciatione novem menſibus ante Chriſti Nativitatem aſſumebant, alii vero ab Annunciatione ſequentis anni, tribus fere menſibus poſt Nativitatem; ex quo fit in annorum enumeratione, primos novem menſibus annum a Chriſti Nativitate antevertere, ſecundos tribus fere menſibus ſerius incipere; itaque integro anno inter ſe diſcrepare. Audi Covarruviam, cujus auctoritate utuntur Mabillonius de re Diplomatica lib. 2. cap. 23. & Du-Cangius in Gloſſario ad verbum *Annus ab Incarnatione*, qui T. 2. Reſſolut. Variar. lib. 1. cap. 12. n. 1. hæc habet.

„ Sunt qui ab Incarnatione Jeſu Chriſti,
„ ideſt a 25. die Martii annos dinumerant:
„ nam & hujus moris meminit Text. in Capi-
„ tulo 1. diſtinct. 23., & Caſtellæ Rex Al-
„ phonſus in proæmio illius Regiarum Con-
„ ſtitutionum operis, quod Septempartitum
„ appellamus. Sed Piſani initium anni Incar-

„ na-

„ nationis adſumunt novem menſibus ante „ Nativitatem: qua ratione annus a Nativitate quinquageſimus, erit & ejuſdem numeri „ ab Incarnatione uſque ad 25. diem Martii, „ & ab eo die, qui eſt quinquageſimus annus „ a Nativitate, erit quinquageſimus primus „ ab Incarnatione: qui quidem uſus potius „ placuit quibuſdam, quam is quo Florentini „ utuntur tribus menſibus poſt Nativitatem „ incipientes numerum annorum Incarnationis, unde juxta computationem hanc annus „ quinquageſimus a Nativitate, uſque ad 25. „ diem Martii erit quadrageſimus nonus Incarnationis: & ab eo die erit quinquageſimus Incarnationis ſimul & Nativitatis, qui „ tandem uſus apud Romanam Curiam omnino ſervatur: quod apparet ex litteris Clementis VII., quarum meminit Joannes Lucidos dicto Capitulo tertio, probatque Rota „ in Noviſs. 108. ſcribens ſecundum curſum „ Romanæ Curiæ, annum Incarnationis incipere poſt Nativitatem Chriſti: quaſi, quod „ apertius eſt, annus Incarnationis incipiat 25. „ die Martii poſtquam jam incœperat annus „ Nativitatis 25. præcedentis Decembris. Cæterum quod eadem Rotæ deciſio ſubdit, ju-

„ xta

„ xta conſuetudinem Angliæ, & Franciæ in-
„ cipere annum Incarnationis poſt menſem
„ Martii, eſt ita interpretandum, ut ſciamus
„ annum Incarnationis apud Gallos, & An-
„ glos incipere a die ipſo Paſchæ Reſurrectio-
„ nis, non a 25. Martii. Nec tamen ex hoc in-
„ fertur Gallos numerare Annos Domini a Re-
„ ſurrectione, quæ contigit 33. annis poſt Na-
„ tivitatem, ſed proculdubio enumerant ab
„ Incarnatione, initium ſumentes ab inſigni
„ die, nempe a Paſchæ Reſurrectionis &c. „

Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ ad annum Chriſti 1366. pag. 199. annos ab Incarnatione computandi morem apud Italos invaluiſſe his verbis inſinuat: „ Etenim per ea
„ tempora tam noſtri Archiepiſcopi, quam
„ Imperatores, & in Italia Reges, annum
„ quemque computabant, ab ejus Incarnatio-
„ ne, ideſt a 25. Martii menſis die; cum alio-
„ quin Romana Eccleſia computare ſoleret ab
„ ejuſdem Chriſti Nativitate, ſive a Calendis
„ Januarii ad alteras ſubſequentis Januarii
„ Calendas „. Hæc Puricellus, qui utrum Piſanorum methodo, an Florentinorum uterentur, non indicat, cum tamen a prima ad ſecundam integrum unius anni diſcrimen intercedat:

cedat; cui potiſſimum tribuendum credo, quod Authores in referendis præcipuarum rerum eventibus uno anno plerumque diſcrepent. Ex his ergo cognoſcimus:

Pontifices eo tempore annos a Chriſti Nativitate, hoc eſt a die 25. Decembris, vel forſan etiam interdum a Kalendis Januarii inchoare conſueviſſe.

Piſanos, pluresque alios in Italia Populos ab Incarnatione, ſcilicet a die 25. Martii anni præcedentis Chriſti Nativitatem annos numerare; quapropter per eos, novem primi menſes a die 25. Martii incipiendo, anni e. g. ab Incarnatione 1360., incident in eoſdem menſes anni a Nativitate 1359., reliqui vero tres Menſes Januarii, Februarii, uſque ad 25. Martii, cadent in annum a Nativitate 1360. Seu, quod idem eſt, menſes omnes qui inter diem 25. Martii, & 25. Decembris comprehenduntur anni numerum ſortiri unitate majorem, quam annus a Nativitate tunc currens haberet, reliquos vero tres menſes Januarii videlicet Februarii, & Martii, cum in ſequentem a Nativitate annum incidant, ejuſdem cum illo numeri eſſe.

Florentinos annos ab Incarnatione tribus men-

menſibus poſt Nativitatem incipere, ideoque primos tres menſes Januarii, Februarii, ad 25. Martii anni a Nativitate e. g. 1360., eorum computo ſpectare ad annum ab Incarnatione 1359., reliquos vero menſes cum anno a Nativitate 1360. convenire. Quod etiam a Mediolanenſibus aliquando factum videbimus.

Id autem quod de anno Incarnationis a die 25. Martii incipiente dixi, non ita intelligendum eſt, ut negare videar annos Incarnationis a Paſchatis Solennitate aliquando numeratos fuiſſe, non ſolum in Gallia, ſed etiam in Italia, & maxime apud Inſubres; id enim Seculo potiſſimum XII. paſſim uſurpatum fuiſſe, clare innuit Puricellus pag ibidem 750., & 751., ac etiam alibi.

Mediolanenſes tamen, quod Inſtrumenta publica, & actus Judiciales ſpectat, a Chriſti Nativitate annum auſpicari jam ante aliqua Secula conſueviſſe, probant Statuta Mediolani parte 1. cap. 109. hiſce verbis: *More Mediolanenſi annus incipere conſuevit, & de cætero incipiat in Feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & hoc reſpectu Inſtrumentorum publicorum, & Actorum Judicialium tantum (quod etiam in præſens obſervatur) & Indictio*

in

in Kalendis Septembris. Ex ultimis verbis comprobari videtur Mediolanenſes tempore editi Statuti, annos ab Incarnatione numerare in rebus Civilibus & extra Forum, ſolitos fuiſſe, quod ex Statuti verbo *tantum* apparet. Annos autem Florentinorum methodo ab ipſis numeratos, incipiendo nempe annum, tribus menſibus poſt Nativitatem, ut ſupra dixi, probat Du-Cangius in Lexico ad verbum *Annus col.* 466. duas adducens Chartas ex Camera Computorum Pariſienſi, in quarum priore Populus Florentinus, & Franciſcus Sfortia Dux Mediolanenſis anno Incarnationis Chriſti 1451. Indict. 14. *ſecundum curſum & morem Florentinorum* die vero 11. menſis Septembris, *Angelum Acciolum* (forte Acciajolum) ad Carolum Regem Franciæ legant, ad ineundam cum illo ſocietatem, qua inita in Caſtro Montiliorum in Turronibus 21. die menſis Februarii anno 1451., eadem a Florentinis, & Duce Mediolanenſi comprobatur die 22. menſis Marti 1451. Indict. 15. *ſecundum curſum, & morem Florentinorum*. Proſequitur Du-Cangius dicens: *Unde patet Florentinos, quemadmodum Gallos annum a 25. Martii computaſſe; nam in altera Charta, qui annus 1451. dicitur, fuit noſtro*

more 1452., *quo currebat Indictio* 15. Utrum vero ex adductis Chartis concludenter evinci poſſit Mediolanenſes eo tempore Florentinorum calculo uſos, ambigerem; potuit enim Franciſcus Sfortia, virum Florentinum, Florentinorum Nuncium & ſuum, in Galliam procedentem Litteris more Florentino ſignatis, hac ſolum vice munire, ut cum Sociis circa mandati tempus conveniret, quamvis hæc methodus communiter apud Mediolanenſes tunc forte amplius in uſu non eſſet, antea tamen annos ab Incarnatione Florentino more ab ipſis numeratos fuiſſe Chartæ plures apud Puricellum, alioſque evincere videntur.

Romanam Eccleſiam annos a Chriſti Nativitatis Epocha deſumere atque a Nativitatis Feſto annum incipere conſueviſſe, docent Concilium Colonienſe anni 1310. cap. 23., Uſuardi, & Adonis Chronica, aliique plures; interdum tamen a Kalendis Januarii anni initium deſumpſiſſe tradunt Gervaſius Dorobernenſis, Martyrologium vetus Romanum Roſweydi, Metrica Bedæ, ac Wandalberti, Proſaica Rabani, & Notkeri. Romanos tamen Cives, & Curiam, annos ab Incarnatione, & quidem more Florentinorum uſurpaſſe, jam ſupra vidimus ex

Co-

Covaruvia. Neque hoc tamen conſtanter obſervatum fuiſſe, plura mihi probant documenta, quæ hic recenſere non vacat. Indictionem tamen apud Romanos a Kalendis Januarii numeratam fuiſſe tradit Pater Claudius Franciſcus Milliet De-Chales in Mundo Mathematico T. 4. pag. 720. quod forte de Pontificia intelligendum, ut infra. Antiquitus vero Indictionem apud eos incœpiſſe die 24. Septembris, tradunt Beda cap. 47. Alciatus in d. c. 1., & Joan. Lucidos libro de vero die Paſſionis Chriſti cap. 7. Romanam Eccleſiam, ac Pontifices Indictionis exordium aſſumpſiſſe a die Nativitatis, ut ſimul Indictionis, & anni a Nativitate numerus mutuaretur, probant Acta Conſtantienſis Concilii. Vide Joſeph Scaligerum in Euſebium de Emendatione Temporum. Vide Joannis Mariana Tract. 5. & 6., Mathæum Beroaldum, Joannem Lucidum, Franciſcum Munnoz de Eſcobar J. C. variar. comp. c. 21.

Germanos anni initium a Chriſti Nativitate deſumere conſueviſſe, erudite probat Du-Cangius in Gloſſario ad verbum *Annus ab Incarnatione* T. I. col. 465., non tamen omnium Imperatorum Diplomata, tali Epochæ, convenire videntur.

 An-

Anglos annum incipere ſolere octavo Kalendas Januarii, die quo Natale Domini celebratur, author eſt Beda de ratione Temporum cap. 13. Vide vetera Regum Anglorum Diplomata apud Ingulfum; Vide in Monaſtico Anglicano Chartam Edwardi Confeſſoris T. I. pag. 62. Morerius tamen in Lexico dicit Anglos annum incipere a Kalendis Januarii, Eccleſiam tamen & Statum, nempe Forum, incipere die 25. Martii.

Gallos veteres, ſeu Francos Seculo VI. & VII. a menſe Martio annum incipere conſueviſſe obſervat Mabillonius de Re Diplomatica pag. 172. A Paſchatis tamen die poſtea, ab illis anni initium deſumptum fuiſſe, Seculo præſertim XIII. & XIIII. ita, ut menſes a Januario uſque ad diem Paſchatis, non ad incipientis anni calculum, ſed ad præcedentis finem ſpectarent, pluribus probat pag. 173. Variam tamen in diverſis Provinciis obſervatam aliquando methodum fuiſſe, Mabillonius ipſe, Du-Cangius, aliique Scriptores docent, quæ cum nihil ad rem noſtram conferre poſſint, libenter omittimus.

Hæc omnia ad Lectoris memoriam revocare placuit, ut diſcrepantes circa rerum geſtarum

ſtarum tempus Scriptores, facilius conciliare poſſit, nec eorum errori tribuat id, quod a diverſa annum incipiendi conſuetudine in diverſis Regionibus, originem habet.

DE INDICTIONIS ORIGINE ET DIVISIONE.

ANtequam annos, a Divini Verbi Incarnatione numerandi uſus invaleſceret, Latini Romano Imperio ſubjecti, temporum rationes diſcriminare ſolebant Æra Diocletiani, Conſulatu, & Indictione. Hæc autem eſt quindecim annorum revolutio a Conſtantini Magni temporibus incipiens. Triplex poſtea evaſit Indictio, ea certe de cauſſa, quod non omnibus, ob diverſas rationes, ab eo anni tempore, quo ſub Conſtantino originem habuit, eam numerare placuerit. Hinc triplicem Indictionem vulgo diſtinguunt. *Conſtantinianam*, *Conſtantinopolitanam*, & *Pontificiam*. Quartam addit Scaliger *Antiochenam*, cujus initium eſſe dicit a Neomenia *Jjar*, ideſt Maji; ſed hæc nihil ad rem noſtram.

Conſtantiniana, quæ etiam Cæſarea noncupata, a Conſtantini Magni Principatu, vel Conſulatu 3., & Licinii 3., hoc eſt a Chriſti anno 312. auſpicatur Chron. Alexandrinum pag. 556. Hæc ab VIII. Kal. Octobris, ſeu die 24. Septembris numerari incipiebat. Carolus

Ma-

Magnus, poſt adeptum Imperium, Indictionem hanc uſurpavit, qua etiam Pipinum, & Carolum in Italia uſos fuiſſe apparet ex Chartis a Puricello pag. 15. & 21. productis. Gallis etiam, & Britannis familiarem fuiſſe conſtat. De Britannis teſtatur Beda lib. de Ratione temporum cap. 48. De Gallis, præ cæteris Rabbanus lib. de Computo cap. 66. dicens: *Incipiunt autem Indictiones ab VIII. Kal. Octobris, ibidemque terminantur*. Vide Sirmundum ad Concilium Pariſienſe IV. anno 573. Imperatores etiam Occidentis eam plerumque poſt Seculum X. adhibuiſſe, ex eorum Diplomatibus evincitur. Apud Germanos quoque hanc Indictionem a dicto tempore ſemper obtinuiſſe, ac etiamnum obtinere, pluribus probat Du-Cangius in Gloſſario ad verbum *Indictio*. Italos etiam plures, ac præcipue Inſubres, antiquitus ea uſos eſſe, plura Documenta oſtendunt; ſed non ubique, ut infra.

Conſtantinopolitana, ſeu Græca, quam Orientes Imperatoris poſt Coſtantinum uſurpabant, incipiebat a Kal. Septembris. Hac uſi ſunt Scriptores Hiſtoriæ Bizantinæ. Aliquando etiam Pontifices, ut conſtat ex Epiſtolis Gregorii Magni, Joannis VIII., & Gregorii VII.,

VII., quod & aſtruunt Acta Vetera Vaticana apud Baronium anno 1154. & Otto Morena anno 1158., ideoque ſaltem uſque poſt finem Seculi XI. Italos etiam pleroſque a Seculo X., hac Indictione ut plurimum uſos, ex documentis evincitur; inter cætera duo affert Du-Cangius ex Franciſco Maria in Mathilde Comitiſſa lib. 3. pag. 105. & 108., quorum primum actum dicitur anno ab Incarnatione 1079. 15. Kal Octobris Indictione 3., quæ erat 2. Romana. Alterum anno 1078. 6. Kal. Octobris Indict. 2., quæ erat 1. Romana. Aliud ex Puricello videbis infra. Plures ex ipſo, aliiſque noſtratibus Chartas proferre liceret, quibus Mediolanenſes interdum a X. Seculo hac Indictione uſos fuiſſe evincitur, præter id, quod Mediolanenſis Urbis Statuta ſupra citata diſponunt, ſed hoc, præſenti inſtituto, ſuperfluum eſſet.

Pontificia, hoc nomine inſignita, quia a Romanis Pontificibus peculiariter uſurpata, interdum a Nativitate Domini, non raro etiam a Kalendis Januarii principium deſumebat. Quæ de anni initio a Romana Eccleſia uſurpato ſupra dixi, eadem de Pontificiæ Indictionis principio intelligere licet. Pontifices tamen

ante

ante undecimum Seculum Conſtantinopolitanam Indictionem ut plurimum adhibuiſſe, jam ſupra innui. Poſtea vero conſtanter Pontificia uſi ſunt.

Nec tamen firmum, ac invariabilem in diverſis Regionibus fuiſſe, ejus indictionis, qua primum utebantur, uſum, ac principium, imo in eadem Regione aliquando diverſis temporibus invaluiſſe diverſam Indictionem incipiendi conſuetudinem, ſeu propter Dominii mutationem, ſeu alia de cauſſa, paſſim docent Authores, inter quos Mabillionius de Re Diplomatica lib. 2. cap. 24. pag. 179. & ſeq., Sirmundus in Notis ad Ennodium lib. 8. Epiſt. 9., Du-Cangius in Gloſſario; Muratorius Antiquit. Italic. T. I. col. 439., & Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ, qui pag. 430. Chartam affert datam *Anno ab Incarnatione D. N. J. C. M.LIII., anno vero Imperii Domni ſecundi Henrici Imperatoris VII., anno VIII. Epiſcopatus Domni Vidonis, quinto die Septembris, ingrediente Indictione ſeptima*. Cum tamen ante id temporis Mediolanenſes Indictione Conſtantiniana non raro uſos fuiſſe, ex diverſis Chartis a Puricello, aliiſque produ-

ctis, appareat. Indictionem tamen Conſtantinopolitanam, quæ ut dixi a Kal. Septembris incipiebat, Mediolanenſes poſtea retinuiſſe, probat eorum Statutum jam ſupra citatum. Quamvis in præſenti in Autenticis Documentis a Chriſti Nativitate annum incipiant Notarii, more Pontificio, Indictionem vero a Chriſti Nativitate pariter auſpicentur. Indictionum etiam initia, varie pro Scriptorum, aut Notariorum arbitrio antiquitus in Tabulis adſcripta fuiſſe, probat Chiffletius in Trenorchio pag. 253. Vide etiam quæ dixi in Notis ad Synodum Ticinenſem, pro Electione, ſeu Confirmatione Vidonis in Regem Italiæ R. I. T. II. col. 416. Quapropter in hiſce rebus ad veritatem eliciendam, non modica animi contentione, & mentis ſagacitate opus eſt.

Si tamen Indictionis notam alicujus Monumenti, aut Chartæ ad trutinam revocare placeat, obſervandum eſt quod anno præcedente Chriſti Nativitatem Indictio erat 3., atque ideo primus annus Chriſti Indictionem habebat 4., hoc poſito ſi alicui anno a Chriſto nato addas numerum 3., ac ſummam dividas per numerum 15., reſiduum erit In-

di-

dictio eo anno conveniens. Exempli gratia anno 1771. adde 3., conflatur numerus 1774. hunc divide per 15., reſtat 4. numerus Indictionis hoc anno currentis. Ubi vero Charta annos numeret non a Nativitate, ſed ab Incarnatione Verbi, tunc, dato annorum numero, adde ſolum 2., quia Incarnatio cadit in annum præcedentem Nativitatem. Habenda etiam eſt ratio menſis in quo Charta tradita eſt, & Nationum apud quas facta fuit, cum, prout ſupra indicavi, diverſæ Nationes, non ab eodem menſe & die Indictionem numerare conſueviſſent. Hæc etſi Eruditis nota, hic tamen, in Lectoris commodum memorare, non piguit, ut facilius Eventuum tempus conciliare poſſit.

CONTENTA
IN HOC VOLUMINE.

INſcriptio Nuncupatoria . Pag. I.
In Petri Azarii Chronicon Præfatio Ludovici Antonii Muratorii . III.
EDITORIS : Lectori Monitum . XV.
-- De Vicecomitis Nomine, Dignitate, ac Munere . XXX.
-- De diverſa poſt decimum Seculum Annum Incipiendi apud varias Nationes Ratione, & Tempore . XL III.
-- De Indictionis Origine & Diviſione . LIV.
PETRI AZARII CHRONICON .
Proemium . 1.
Capitulum Primum . Otto Archiepiſcopus . 4.
CAP. II. Matthæus Vicecomes . 15.
CAP. III. De potentia Regis Roberti, & quas Civitates poſſidebat in Lombardia . 20.
CAP. IV. De Adventu Imperatoris Henrici . 21.
CAP. V. De Joanne Papa XXII. 35.
CAP. VI. Galeatius Vicecomes . 42.
CAP. VII. Ludovicus de Bavaria Imperator . 46.
CAP. VIII. Azzo Vicecomes . 61.
CAP. IX. Luchinus Vicecomes . 81.
CAP. X. Joannes Vicecomes de Olegio . 102.
CAP. XI. Joannes Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus, & Dominus generalis . 103.
CAP. XII. Matthæus Vicecomes . 145.
CAP. XIII. Barnabos Vicecomes . 252.
CAP. XIV. De Galeatio Vicecomite . 283.
CAP. XV. Canis Grandis de la Scala . 316.
CAP. XVI. Joannes Marchio Montis-ferrati . 326.
Finalis Concluſio . 328.
Ejuſdem Authoris Opuſculum De Bello Canepiciano . 331.
INDEX Nominum, ac Rerum . 359.

PE-

PETRI AZARII CHRONICON

In Chriſti nomine. Amen.

Incipit Liber geſtorum in Lombardia, & præcipue per cunctos Dominos Mediolani: compoſitus per me Petrum Azarium Notarium infraſcriptum. Et de caſibus pravis, qui multipliciter occurrerunt.

PROEMIUM.

Quoniam humana vita eſt fragilis & caduca, memoriaque hominum labitur, ut folia pertranſeunt, quæ annis ſingulis renovantur; & quia conditiones & ſtatus quotidie variantur, ſuſcitantur errores, & imo in tantum ſuſcitati ſunt, quod cogitavi ad evidentiam futurorum ſub brevi ſtilo geſta in Lombardia (& ſpecialiter meo tempore) enarrare. Verum quia in Civitate Novaria, a qua originem traxi, gravio-

ra occurrerunt, ideo de ipſa magis, quam de alia, & ſerioſius, pertractabo. Morans itaque in Civitate Terdonæ, confuſus otio, cruciatus & exercitatus doloribus & anguſtiis perimmenſis propter occurrentia, fugatus a domo propter morbum, conatus ſum cauſſas præcedentes, ex quibus in Lombardia orta ſunt ſcandala, ſtudioſius pertractare. Verumtamen quia male ſequentia concluſerunt, de præcedentibus etiam ſcribere curabo, propter quæ felix olim Lombardiæ ſtatus in bonis & rebus, inrecuperabiliter jam defecit. Nec mirentur Lectores, ſi ſtimulus dictandi & ſcribendi me coegit, quaſi vulgariter exprimendo narranda, quum viderem ſcelera permulta vigere, errores multiplices ſuſcitari, veritatem non dici, & ſolummodo divitias procurari. Et quid divitiæ profuerint, audire poteritis. Vidi namque hominem bonum perire, nec propter infinitam pecuniam, quam habebat, ab aliquo relevari. Propter infeſtationem ſiquidem morbi, vidi patrem de filio, & filium de patre, fratrem de fratre, amicum de amico, vicinumque de vicino penitus non curare. Et quod moleſtius fuit, vidi unam Familiam, quantumcumque foret major, miſerabiliter perire, remediumque ſeu ſubſidium non haberi, medicinas non valere, fortiores, junioreſque tam mares quam fœminas uno motu deficere, ſpernere & ſperni, taliter quod nullus auſus fuit domos eorum ſic periclitantium introire. Durantibuſque prædictis vidi gentes extraneas malas regnare nec curare de peſte ipſa, ſed rapere, incendia ponere, prædari, converſationes malorum prævalere, & memetipſum etiam opprimi & turpiter ſpoliari.

Conſtat ſiquidem, Lombardiam triginta Civitatibus fore præclaram, Alpibus & montibus aſperrimis vallatam undique & circumcluſam, per quam ſolus fluvius decidens, nomine Padus, præclarior omnibus aliis fluviis Lombardiæ, a Monte Apennino trahens initium, & per inferiora loca decurrens, Lombardiam ſulcat, & in Adriaticum Mare recipitur

cipitur fluctuoſe. Quæ quidem Lombardia nobilibus Civitatibus, Populis, gentibus & Artibus ornata, inter alias Provincias Sereniſſima vocatur. Planitiem habet & montes valde fructiferos nimis; quæ ſoli Imperio Romanorum deberet temporaliter ſubjacere. Sed antequam ad alia pertranſeam, Civitates ipſas cum nominibus earumdem deſcribere volui, ut ſucceſſive dicenda valeam enarrare. Eſt igitur ipſarum Civitatum prima Civitas Metropolitana, quæ Mediolanum nuncupatur, ſecunda Cumæ, tertia Pergamum, quarta Brixia, quinta Verona, ſexta Vicentia, ſeptima Lauda, octava Cremona, nona Mantua, decima Ferraria, undecima Papia, duodecima Placentia, tertiadecima Parma, quartadecima Regium, quintadecima Mutina, ſextadecima Bononia, decimaſeptima Bobium, decimaoctava Terdona, decimanona Novaria, vigeſima Vercellæ, vigeſimaprima Iporegia, vigeſimaſecunda Taurinum, vigeſimatertia Aſta, vigeſimaquarta Alba, vigeſimaquinta Alexandria, vigeſimaſexta Aquæ, vigeſimaſeptima Vigintimilium, vigeſimaoctava Janua, vigeſimanona Savona, & trigeſima Tridentum. Conſtructa autem Civitate Romana, quæ primitus per Æneam Trojanum de ſtirpe Regis Priami, relegatum a Troja, in magnificentia fuit erecta, quamvis loca in Romana Civitate concorditer poſſeſſa fuiſſent primitus per Remum & Romulum fratres, voluit nomen illius Civitatis ab ipſis denominari, pro eo quod habuit ipſe Æneas infamiam proditoris Regis ſui & Civitatis ſuæ. Deinde Civitates prædictæ fundatæ fuerunt, & ultimæ fuerunt Laudum, quæ per Pompejum Romanum ex Piratis conſtructa fuit; & Novaria, de cujus conſtructione dicetur inferius. A principio cujus Romanæ Civitatis duo gladii ordinati fuerunt, habentes univerſum Orbem corrigere, ſicuti ipſa dominabatur, videlicet ſpirituale corrigendum per Papam, & alterum temporale per Imperium corrigendum. Et quia illi duo gladii male fuerunt concordes, per ſequentia tempora

duos acutos gladios ſingulæ in Lombardiæ Civitatibus præmiſſis dimiſerunt. Et ut magis pungerent, a duobus Dæmonibus contrariis in curſu nomen acceperunt, quorum unus vocatur Gibel, & alter Gualef. Ex quibus quando unus eſt in aere ab Orientali plaga, alter eſt ab Occidentali, & ſic faciunt Guelfi & Gibellini in Lombardia. Guelfus enim adhæſit Eccleſiæ, & Gibellinus adhæſit Imperio. Et ſic faciunt Civitates Lombardiæ. Nam quum unus poſſidet ab uno latere, & alter ab altero, tamen non eſt curandum, quia vidimus pejores Guelfos inter ſe, quam contra Gibellinos. Et ſi dictis duabus partibus carerent, fierent duæ deteriores, ut patet per ſequentia. Unde verum eſt Salomonicum illud dictum: *Nihil novum ſub ſole*. Et propterea tales errores niſi ceſſantibus hominibus non ceſſabunt. Et quia primaria ipſarum Civitatum Mediolanum nuncupatur, ideo ab ipſa decrevi primordium ſumere.

CAPITULUM PRIMUM.

Otto Archiepiſcopus.

DUm igitur Reverendus in Chriſto Pater & Dominus Otto, Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſcopus in ſua Archiepiſcopali Sede vigeret (1), Civitas Mediolani per

(1) Quandoquidem, ab eo tempore Hiſtoriam ſuam exorditur Azarius, quo ut ipſe ait, Otto Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus *jam in ſua Sede vigebat*, pluraque ex poſt evenerint, non facile Lectori intelligenda, niſi præcedentium rerum ſeriem perſpectam habuerit, rem utilem me facturum arbitror, ſi nonnulla, & præſertim qua occaſione, & tempore, Otto Mediolani Archiepiſcopus renunciatus fuerit, ac quibus jactatus ærumnis, Archiepiſcopalis Sedis, Urbiſque Dominium tandem obtinuerit, breviter, quantum fieri poteſt, indicavero.

Otto-

Ottonem Vicecomitem, natum eſſe circa annum, 1107., evincitur ex Bernardini Corii Hiſtoriæ Patriæ Parte II., ad annum 1295., quo tempore ipſum obiiſſe dicit, ætatis annorum 88. Canonicus fuit in Oppido Dexii, Fratre Gualvano de Flamma, Manipulo Florum cap. 297. Rerum Italicarum Tom. XI. col. 691. C., & Corio ad annum 1261. teſtibus. Joſeph Antonius Saxius, Ambroſianæ Bibliothecæ Mediolani Præfectus, in Mediolanenſium Antiſtitum Hiſtoria, poſt ejus mortem (quæ die 18. Aprilis anni 1751. evenit), V. Clar. Philippo Argelato curante, impreſſa, Ottonem non Canonicum, ſed Oppidi Dexii, ejuſque Capituli Præpoſitum, imo & Cathedralis Eccleſiæ Mediolani Canonicum Ordinarium, fuiſſe dicit; quoad Præpoſituram Dexii tamen, quibus Tabulis viro docto conſtiterit, penitus ignoro, cum nullos de hac re, citet teſtes. Calcus etiam Sancti Ambroſii Canonicum fuiſſe dicit. Catalogus Archiepiſcoporum, Archidiaconum Mediolanenſis Eccleſiæ eum nominat; forte credendum tot Dignitates, non eodem tempore, ſed ſucceſſive occupaviſſe.

Ejus pater fuit Ubertus Vicecomes; vide Corium ad Annum 1252. Anno vero 1257. die 14. Octobris, cum obiiſſet Legnani, Frater Leo de Perego, Mediolani Archiepiſcopus, ut habet Catalogus Archiepiſcoporum Mediolani, a Sancto Barnaba ad annum 1251., quem ex Codice MS. Capituli Metropolitani Mediolanenſis, edidit Vir. Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius R. I. T. I. Parte II., & Corius ad an. 1257.. Poſt ejus obitum, Corio ad an. 1260. teſte, Canonici Ordinarii Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolani, ad novi Archiepiſcopi electionem procedentes, in duas abiere partes, quarum una Raymundum Turrianum elegit, Modoetienſis Eccleſiæ Archipræsbiterum, Martini fratris, qui Popularis factionis auctoritate, ſummam rerum tunc temporis, Mediolani adminiſtrabat, potentia armiſque, potius quam liberis ſuffragiis, provectum. Altera Ubertum Septarienſem, Mediolanenſis Eccleſiæ Canonicum Ordinarium, virtutis morumque commendatione, nominavit. Horum neutrum Pontifici (Urbano ſcilicet IV.) confirmare placuit, ſed Raymundo Turriano, ad Novocomi Epiſcopatum promoto, ut Corius ad an. 1260. refert, ex qua Sede, ad Patriarchalem Aquilejæ, a Gregorio X. translatus fuit an. 1273., ut habet Frater Gualvanus de Flamma Manip. Florum cap. 309.; vel potius an. 1272., ut Antonius Bellonus in Vitis Patriarcharum Aquilejenſium R. I. Tom. XVI. col. 14. & 15., indicare videtur, & Ughellus, in Patriarchis Aquilejenſibus, Ottonem Vicecomitem in Oppido Dexii, ut dixi Canonicum, & tunc Octaviani Ubaldini S. R. E. Cardinalis Aulicum, eodem Ubaldino, maximæ auctoritatis viro ſuadente, Mediolanenſi Eccleſiæ præfecit, an. 1262. die 22. Julii, ſi jam citato Catalogo Archiepiſcoporum Medio-

Mediolani habenda fides, ut ratio ſuadet: hæc enim Documenta, quæ in Archiviis MS. aſſervantur, plerumque ſynchrona ſunt, cum Archivorum pro tempore Cuſtodes, in ipſis ſuorum Paſtorum, tum mortem, tum electionem exacte inſcribere ſoleant; neque iis præterea mendis ſcateant, quæ amanuenſium & typographorum incuria, in editis Hiſtoriarum Libris, non raro occurrunt.

Refert itaque prædictus Catalogus, mortuo Fratre Leone de Perego, anno 1257. die 14. Octobris, vacaſſe Sedem annis quatuor, menſibus novem, diebus ſeptem; quod tempus, ſi addideris prædicto anno 1257. die 14. Octobris, cadet Electio, habita etiam ratione anni Biſſextilis in diem 21. Julii, anni 1262., ut bene notat Muratorius R. I. T. IX. col. 69. in Notis ad Stephanardum de Vicomercato. Stephanardus prædictus, Corius, Ughellus, Frater Pipinus, aliique paſſim Scriptores, anno 1261., eum ad Archiepiſcopalem Sedem promotum, tradunt, ſed perperam. In prædicta tamen Muratorii Nota, Impreſſoris errorem adverte, qui annum 1157., pro 1257. poſuit. Diſcrepantia vero inter prædictos Authores, diverſæ annum incipiendi methodo, forte tribuenda.

Corius ad an. 1261., & Gualvanus Flamma, lepidam recenſent Hiſtoriolam, quam in cauſſa fuiſſe dicunt, quod Otto Vicecomes, ad Archiepiſcopalem Dignitatem evectus fuerit; hujus tamen facti fides, ſit penes citatos Scriptores. Dicunt itaque Cardinalem Ubaldinum (Octavianum ſcilicet, ut nominant alii Scriptores); e Legatione in Galliam reducem, Mediolani applicuiſſe, atque in ædibus propè Sancti Ambroſii Templum, hoſpitio ſuſceptum fuiſſe, cumque ibi vidiſſet Carbunculum, in Templi Theſauro aſſervatum, poſtulaſſe a Canonicis, ut ipſum venderent, omni paratus pretio lapillum emere, quem ob eximiam pulchritudinem, gratum futurum munus Pontifici afferebat. Canonici vero, ne ad id, etiam inviti, auctoritate petentis, cogerentur, ad Martinum Turrianum confugerunt, rem ipſi aperientes, qui mane ſequente, multiplici clientium ſequela ſtipatus, equeſter, atque armis munitus, ad plateam dictæ Eccleſiæ properavit, non ſine Cardinalis admiratione, ac metu, qui ſciſcitatus quid hoc eſſet, reſponſum habuit: Dominos Turrianos intellexiſſe, eum velle diſcedere, ideoque ad eum comitandum, honoris cauſſa, veniſſe; quod ille, credere ſimulavit, ac ſtatim diſceſſit. Corde tamen injuriam premens, Turrianorum depreſſionem ſemper poſtea optavit; cumque hoc non alio obtineri poſſe modo, quam per Nobiles ejuſdem Urbis, plerumque exules, quibus ad excutiendum Turrianorum jugum, non voluntatem, ſed Ductorem deficere, cognoſcebat; opportunam nactus occaſionem, Ottonem Vicecomitem, antea in Oppido Dexii Canonicum, tunc vero in ejus aula domeſticum,

cum, virum magni conſilii, nec minoris animi, a Pontifice ad Mediolanenſem Archiepiſcopatum elevari, nulla non arte curavit, atque obtinuit, Octavianus enim Ubaldinus S. R. E. Cardinalis, maxima tunc temporis in Pontificia Curia auctoritate, pollebat. De eo enim ait Benvenutus de Imola, in Commentariis ſuper Comedias Dantis, apud Muratorium, Antiquitat. Italic. T. I. col. 1047. *Ipſe fecit Archiepiſcopum Mediolani, qui exaltavit Stirpem ſuam ad Dominium illius Civitatis*.

Nec tamen ideo ad ſuæ Eccleſiæ dominium pervenit Otto; Turriani enim, hac intellecta promotione, non ſolum Caſtra, & univerſos Archiepiſcopatus occupaverunt redditus, ſed etiam omnes Ottonis fautores expoliaverunt.

Diſceſſit inde Roma Otto, Mediolanum verſus, anno 1263., teſte Corio, adjunctiſque ſibi exulantibus Mediolano, die prima Aprilis, Aronæ Caſtrum ingreſſus eſt, ſed brevi a Turrianis obſeſſus, menſe Maji fuga evadere, ac Caſtrum, ſalvis perſonis, victori dimittere, coactus fuit, qui omnia loci munimenta ſolo æquavit; Ottone interim Romam reverſo.

Hic poſtea, Roma iterum diſcedens cum Gregorio X. Pontifice, qui Lugduni Concilium convocaverat anno 1274., eum comitatus eſt, data a Pontifice ſpe, ipſum in reditu, in ſua Sede firmandi; quod tamen obtinere non potuit, ac ejuſdem Pontificis juſſu, anno eodem ad Bugellam, Vercellenſis Provinciæ tunc Oppidum, nunc Urbem, ſe contulit. Iterato poſteà bello contra Turrianos non longe ab Angleria, pars Ottonis ſuccubuit, ac Thibaldus Vicecomes, ejus Nepos, & Pater Magni Matthæi, qui poſtea ſub ejus auſpiciis, ſummam rerum Mediolani obtinuit, a Turrianis captus, atque obtruncatus poſtea fuit Galerati, quod anno 1275. contigiſſe tradunt. Otto Vercellas proceſſit, atque inde Novariam, ex qua amicorum, atque expulſorum Mediolano, convocato Exercitu, ad Caſtrum Seprii properavit. Ibi ſupervenientibus Turrianis, cum Exercitu Mediolanenſi, acriter pugnatum eſt; prima die Vicecomes Victor, die ſecunda profligatus, Novocomum verſus profugit: ibi non conceſſo Urbis ingreſſu, per devia montium, ad Orſenicum Caſtrum, ſe reduxit, ut tradit Corius, ſeu potius ad Zurnicum Pagum ſubalpinum in Valle Levantina ad oram Ticini, fluentis in Verbanum Lacum, a quo diſtat paſſuum milliaria 20., non 17. pro ut dicit Muratorius. Nota 88. ad Poema Stephanardi de Vicomercato. R. I. T. IX. col. 87., qui certe Pagus, Canobio longe vicinior, quam Orſenicum, in Briganteis Collibus poſitum, ad quem non per devia montium, ſed per planitiem fere æquam, acceſſus patet.

Poſtea ad Canobium progreſſus, Comiti Viſcardo de Languſco atque Exulibus Mediolani, ſe jungens, Aronæ, quam denuo Turriani muniverant, obſi-

obſidionem tentavit , ſed irrito ſucceſſu : de victoria enim deſperans , ibique extincto prædicto Comite inde receſſit . Hec omnia anno 1276. peracta fuere , ſequenti vero anno 1277., Otto, refecto parumper exercitu , ac Comite Raymundo de Languſco , Novocomenſibus , ac Mediolanenſibus expulſis opitulantibus , Seregnium Oppidum in Agro Mediolanenſi , occupavit . Turriani interim die 20. Januarii , ad Oppidum Dexii , cum Sequacibus ſuis , & partem Copiarum Mediolanenſium ſe contulerunt ; ſed die 21., ante ſolis ortum , Otto Archiepiſcopus , qui diu ibi Canonicus fuerat , ab amicis clam ante ſolis ortum cum ſuis admiſſus , Turrianos inermes , & nihil tale timentes , facto impetu , proſtravit , & fudit ; Napus , Carnevarius , Henrech , Lombardus , Moſca , & Guido , omnes ex Turriana Gente, multique alii , a Novocomenſibus capti, ad Caſtri Baradelli carceres deducti : Caſſonus , & Gothofredus Turriani , fugam arripuere , negatoque a Laudenſibus , Urbis ingreſſu , Cremonam ſe receperunt . Urbs Mediolani , intellecta Ottonis Victoria , Nuncios ad eum deſtinavit , ipſum ad capeſſendam ſuæ dignitatis poſſeſſionem in Civitate , invitans , quod ab eo factum die 22. Januarii , anni 1277.

Nec ideo ceſſaverunt Turriani , eorumque Fœderati , continuas ſequentibus annis, Ottoni, ac Mediolanenſibus, moleſtias inferre, uſque ad annum 1279. , quo poſt menſem Septembris Guillelmus Marchio Montisferrati , ab utraque parte Arbiter conſtitutus , pacem inter ipſos pronunciavit . Sed cum ſagax Otto , conventorum executionem , artificioſe eluderet , ac præterea , bello non pace , Mediolani Dominium obtineri poſſe Turriani cognoſcerent , anno 1281. die 17. Maji , Raymundus , Aquilejæ Patriarcha , quinque centum milites ex Foro Julii , Laudam deduxit , quorum quilibet tribus Famulis , armis , & equo inſtructis ſtipatus procedebat ; acceſſerunt bis centum Cremonenſes bellatores , Manfredus Archipresbiter Modoetiæ, Caſſonus , Gothofredus , Salinus , omnes Turriani , cum eorum fautoribus , & magno Militum numero , Papienſium , Vercellenſium , Brixienſium .

Die Lunæ prædicti anni 1281., decimanona Menſis Maji , omnes Vaprium verſus , ſigna moverunt , excepto Raymundo Patriarcha , qui Laudæ permanſit ; die Jovis 22., Poteſtas , Capitaneus , ac univerſi Mediolani Bellatores , cum Comenſibus , & Novarienſibus , ad Gorgonzolam proceſſerunt , & die Dominico 25. prædicti Menſis , Vaprium ſe contulerunt , ubi commiſſa eſt adverſus Turrianos pugna, tanta animi, ac virium contentione , ac propitia ſorte , ut fuſa , necata , fluvio Abduæ merſa , ac captivata maxima hoſtium parte , paucis fuga , ſalutem obtinere contigerit . Hoc prælium , quo Caſſonus , pluresque alii ex Turriana Gente occubuerunt , ſi non ultimum , maximum tamen fuit , quod Otto contra hos Mediolanenſis liber-

liber-

per quoſdam Magnates de la Turre & Nobiles, ut plurimum, poſſidebatur, & in tantum, quod titulum majoritatis acquiſiverunt Anno MCCL. & deinde dominio potitus eſt Dominus Guido de la Turre, qui contra voluntatem aliquorum de parentela ſua, qui ſe ſe reputabant in potentia pares, quamvis in ſenſu nec ſimiles nec æquales, ſe dicebat caput partis Guelfæ in Lombardia. Hi magnates de la Turre ſuperbe ſe ſe agentes cœperunt in Civitate Mediolani potentes opprimere, & ſpecialiter quos reputabant fore Gibellinos. Cœperuntque alia gravia facere, quæ juri nullatenus congruebant, nec dominanti convenire debebant. Et adeo in eis crevit ſuperbia cervicoſa, quod elati puellas formoſas rapiebant, & contradicentes tam ſuper iſto negotio, quam ſuper aliis gravibus privace mactabant, etiam quodammodo fingentes juſtitiam exercere. Magnam quantitatem ex principibus Mediolani fecerunt decapitare, qui ad locum ſupplicii ſuper plauſtris miſeri ad macellum conducti fuerunt. Populum autem ſublevabant, & in tantum quod in Mediolano nec in Comitatu aliquis erat hiſce ſimilis, nec in potentia coæqualis. Tantum dominium pro moleſto ferebant antedicti Nobiles Gibellini, & etiam multi ex Nobilibus & potentibus Guelfis Mediolani. Nec eſt novum. Superbi enim amicos non habent, & undecumque ſibi aggregant inimicos. Nam ſi quis ſuperbo amicus efficitur, oportet ut multorum inimicus exiſtat. Et pro eo Dominus Guido de la Turre antedictus adeo ſe

B in

libertatis oppreſſores, ſuſtinuit; atque ex hac die ſumere licet epocham, ejus tranquillioris dominationis in Urbe, atque exordium exaltationis Vicecomitum in Civitate Mediolani. Quamvis Matthæo, poſt plures annos, Mediolani Dominium amittere, ac Turria os ibi dominantes videre diu, ipſe exul pauper, & a cunctis derelictus, contigerit, donec ab Henrico VII., patriæ reſtitutus, dolo & forte, ſummam rerum iterum obtinere, & ad Filios, ac Nepotes tranſmittere, datum eſt.

in Civitate Mediolani præelatum reddidit, ut alios Lombardos crederet ſubjicere, utque ceteræ Civitates deberent totaliter ſubjacere. Et ita ſuperbe & improbe ſe geſſit cum aliis de Domo ſua opulentis, ut inimicos in Civitate ipſa, & in aliis Civitatibus Lombardiæ (quamquam Guelfis) multaſque inimicitias ſpeciales & odia privata acquiſiverit. De remotione talis Tyranni aliæ ut plurimum Civitates ſub ſilentio tranſiverunt, cupientes tamen remotionem ipſius; & principaliter Dominus Comes Philipponus de Languſco ferox & probus, qui dominium Civitatis & diſtrictus Papiæ cum parte ſua feliciter gubernabat. De quorum potentia Domus de la Turre, Dominus Raymundus, ſtans in Curia Romana inter illos de la Turre, dedignatus eſt fieri Archiepiſcopus Mediolani, imo fieri voluit Patriarcha Aquilejenſis (2), & per ſequentia profuit propter ipſius

(2) Rem aliter ſe habuiſſe, quam hic refert Azarius, ex iis, quæ Nota 1. recenſui, luculenter apparet. Nec Raymundum Turrianum dedignatum fuiſſe Archiepiſcopatum Mediolani veroſimile eſt, cum Epiſcopatum Novocomenſem non recuſaverit, atque in eo per plures annos permanſiſſe, notum ſit. Ad eum enim promotus ab Urbano IV. anno 1260., ut Corio, & Scriptori Annalium Mediolanenſium Rerum Italicarum T. XVI. col. 663. D., placet, ſeu 1261., ut habet Ughellus T. V. in Epiſcopis Comenſibus, in eo permanſit uſque ad annum 1273., quo tempore a Gregorio X. Pontifice ad Patriarchalem Aquilejæ Sedem translatus fuit, ut evincitur ex Vitis Patriarcharum Aquilejenſium Anonymi Authoris editis Rerum Italicarum T. XVI. col. 15. B., ubi Typographi errore dicit 1373. pro 1273. Gregorius enim de Montelongo, qui Raymundum in Patriarchali Sede præceſſit, obiiſſe dicitur anno 1269., ac Sedes vacaſſe quatuor annis, cui ſuffectus fuit Raymundus. Frater Joannes Franciſcus de Rubeis Raymundum promotum fuiſſe tradit die 21. Decembris 1273., Bellonius R. I. T. XVI. col. 50. dicit Raymundum vixiſſe in Patriarchali Sede annis 25. menſe 1. diebus 17., obiiſſe autem in Caſtro Utini, & Aquilejam translatum, ac ſepultum in Sacello Sancti Ambroſii, quod ipſe conſtrui, atque ornari fecerat. Anno vero 1297. demortuum eſſe, evincitur ex ipſo Bellonio,

ſius potentiam. Sed Dominus Otto Vicecomes (tunc parvæ progeniei ad reſpectum) ſenſu ſuo elegit fieri Archiepiſcopus Mediolani. Cui Archiepiſcopo & Domui ſuæ bene ſucceſſit per ſequentia. Prætera dictus Guido non contentus tali vel tanto dominio ſeculari, etiam Eccleſiaſtica uſurpabat. Quod valde moleſtum habebatur Clero Civitatis antedictæ, & præcipue tunc Domino Ottoni, ut ſupra digniſſimo Archiepiſcopo. Qui in virtute, moribus, eloquentia, temperantia, & perſeverantia alios excellebat. Et faſtiditus tanta elationis ſuperbia præfatus Archiepiſcopus in ipſum Dominum Guidonem & Domum ſuam & ipſorum dominationem, cœpit machinare; & a principiis fundamentum accepit, continuo nefandam dominationem malleandi.

Et quia omnis virtus in tribus conſiſtit, voluit ipſa tria ſecum habere pro poſſe, quæ ſunt in unoquoque negotio,

---

lonio, qui Gregorium de Montelongo defunctum anno 1268. ſexto idus Septembris; Sedem vacaſſe annis quatuor, ac Raymundum vixiſſe in Patriarchatu annis 25. menſe 1. diebus 17. tradit, ut ſupra dictum eſt prout calculum ineunti patebit. Ughellus in Patriarchis Aquilejenſibus, Raymundum Turrianum Pagani filium, ex Comenſi Epiſcopo, Patriarcham Aquilejæ a Gregorio X. factum dicit die 13. Februarii anno 1272. Nota in margine appoſita annum 1271 indicat, atque obiiſſe die 21. Februarii, anno 1298.; cui circa mortis annum, etiam conſentiunt Annales Mediolanenſes nuper citati, col. 686.. Meliorum Documentorum defectu, nihil inter diſſentientes Scriptores definire audeo, niſi forte diverſa anni principium numerandi conſuetudo, apud diverſos Authores, eorum diſcordiæ cauſſa ſit; alios enim ab Incarnatione, alios a Nativitate annos numeraſſe, non raro obſervavi, imo alios Incarnationem ab anno præcedente, alios a ſubſequente calculum Ordinarium deſumere. Vide Covarruviam, Vide Mabillionium de Re Diplomat. lib. 2. cap. 23., du-Cangium in Gloſſario ad verbum, *annus ab Incarnatione*, Puricellum in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ pag. 119., Vide quæ dixi in Diſſertatiuncula ad calcem Moniti ad Lectorem.

gotio, ſcilicet principium, medium, & finis. Principium voluit habere a ſe, medium a ſuis, ut dominio antedicto inimicitias daret, & præcipue ab his, quos talis dominatio reputabat amicos ſuos, ut ſtatim de prædictis dicetur ad evidentiam futurorum. Qualem autem finem ſit habiturus, non dico, quia ſcire futura non eſt humanum; ſed ſpero concludere, quod bono principio, perſeverantiæque boni medii, ſtatus finalis laudabiliter reſpondebit. Otto igitur Archiepiſcopus abhorrens homicidia, cœpit Civitatem Mediolani regere cum Capitaneis & Valvaſſoribus: ad regimen quorum præfatus Dominus Archiepiſcopus multum homines induxit, & cauſſam procuravit, propter quam Nepos ſuus Maphæolus Vicecomes ſuo tempore regnaret, ſicut regnavit, Domum Vicecomitum ampliando. Hic Otto omni virtute præclarus, oriundus ex Vicecomitibus, pauca de patrimonio poſſidebat, quum his diebus ſolum Invorium inferius, Olegium Caſtellum cum ſuis pertinentibus diu poſſediſſet, nec non in Maxino, & aliquibus locis Verganti. Parentes, & præcipue ipſius Domini Archiepiſcopi, aliqua, ſed non multum, nec in magna quantitate poſſidebant. Quæ loca adhærent territorio Novarienſi, & ſunt regulariter ſub Domino Archiepiſcopo in ſacris, & aliqua temporaliter obligata habebat. Etenim dictus Maphæolus dicitur, quod, quum natus fuiſſet in Maxino (ſive in Invorio inferiori, ut dicunt alii) omnia animalia domeſtica in ipſo loco incœperunt mugire (3). Hunc Maphæolum venire juſſit Mediolanum, alioſque quamplures tam juvenes quam formoſos de Domo Vicecomitum habere

(3) Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 655. C. tradunt, quod ex tali animalium mugitu, Matthæus Vicecomes in ſua infantia, vocatus fuerit *Bruggia*, quod vulgari Ruſticorum hujus Provinciæ ſermone, idem ſonat, ac *Mugire*. Corius etiam ad annum 1250., idem factum affirmat.

re ſecum voluit : Quos faciebat ſcientia erudiri , moribus perpoliri , & in tantum , quod minor de ipſius Familia iſtos & ſocios , ſi aliquod ultra normam faciebant , baculabat , & ad humilitatem ipſos coercebat ; & præcipue illum Maphæolum , qui in majori ætate iſtos alios & multo magis excedebat ; ipſum ad magnalia inducendo , admonens eumdem , ut vivere ſciret cum Nobilibus Mediolani , ac ſublevaret Capitaneos & Valvaſſores , quouſque videret tempus ipſos deprimendi . Nec ceſſavit Otto , donec ipſum Maphæolum ad dominium Mediolani quodammodo provocavit . De cujus provocatione , mediis , & ſubſequentibus , inferius ſerioſius deſcribetur . Summatim autem dici poteſt , quod dictus Maphæolus (nuncupatus poſtea Dominus Matthæus Vicecomes) alios ſucceſſores de Vicecomitibus exceſſit bonitate , virtutibus , ſagacitate , & induſtria . Quod ſibi neceſſarium fuit per ſequentia , quoniam non habuit cauſſam de die continue dormitandi (4).

CAP.

(4) Quandoquidem Azarius nihil de morte Ottonis Archiepiſcopi refert , ejus circumſtantias hic indicare placet . Otto itaque Archiepiſcopus obiit die 8. Auguſti , anno 1295., ut tradunt Chronicon Parmenſe R. I. T. IX. col. 830. D. , Chronicon Placentinum R. I. T XVI. col. 484. A., in quo de hac morte legitur Epiſtola Matthæi Vicecomitis , ſcripta Poteſtati , Capitaneo , & Communi Placentiæ , data die 9. Auguſti anni 1295. Muratorius R. I. T. IX. in Præfatione ad Poema Stephanardi de Vicomercato , eodem anno 1295., ipſum extinctum dicit . Corius refert , menſe Juiii Ottonem ætatis annorum 88., animi gratia ſe contuliſſe , una cum ſuis Phyſicis , ad Caravallem , ubi amœnas habebat ædes , ibique cum moraretur , infirmitate correptum , tandem extremum clauſiſſe diem , die Lunæ 8. Auguſti anno 1295. Eo vere anno dies octava Auguſti cadebat in diem Lunæ , prout ineunti calculum patebit . Die vero Martis ſequente , magna pompa , ac univerſo Mediolani Clero comitante , ſummo mane translatum fuiſſe ad Cathedralem Eccleſiam Sanctæ Mariæ , ubi celebratis ſolemniter Inferiis , e regione Altaris Sanctæ Agnetis , tumulatus fuit ; hac poſtea a Joanne Vicecomite primum Novariæ Epiſcopo , inde Archiepiſcopo Mediolani , addita Inſcriptione , in marmorea Tabula ; In-

Inclitus ille Pater Patriæ, lux gloria Patrum
Fulgor Juſtitiæ, Fidei baſis, arca Sophiæ
Largitor veniæ, Portus Pietatis egenis
Intrepidus Paſtor, quem moles nulla laborum
Ardua devicit, Populo latura quietem,
Ille pius Princeps, & Præſul amabilis, in quem
Altus virtutum ſplendor convenerat omnis.
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta
Totaque fulgebat Regio, nunc pallet adempto.
Clara Vicecomitum proles, venerabilis Otto
Oh dolor, oh vulnus, cinis eſt hoc marmore factus.
Chriſte Pater vitæ requieſcat ſpiritus in te.
Annis undenis ter, ſenis terque diebus,
Præfuit Eccleſiæ, Paſtor bonus, Ambroſianæ
Mille ducenteno quinto, noviesque deceno,
Quarto hic Auguſti, bis liquit gaudia Mundi.

Hærebit fortaſſe Lector, poſt ea, quæ ex probatiſſimis Authoribus, ſupra retuli, cum leget carmine decimotertio: *Annis undenis ter, ſenis terque diebus præfuit Eccleſiæ*. Cum enim, eum obiiſſe die 8. Auguſti anni 1295., ex citatis Scriptoribus, & ultimis Inſcriptionis Carminibus conſtet, ſi Dominii initium accipies ab Electione, ab Urbano IV. facta die 22. Julii anno 1262., ipſe præfuit Eccleſiæ annis 33., diebus 18.. Si vero deſumere placeat a die primi ingreſſus in ſuam Diœceſim, hoc eſt in Oppidum Aronæ, quem dixi eveniſſe die 1. Aprilis anni 1263., ex eo tempore ad ejus mortem fluxere anni 32. menſes 4. dies 7. Si ab ingreſſu in Urbem Mediolani, poſt profligatos in Oppido Dexii Turrianos, hoc eſt a die 22. Januarii anni 1277., tranſierunt anni 18. menſes 6. dies 17. Neutra itaque ultimarum epocharum cum Carmine indicato videtur convenire; niſi forte alicui verbum *terque*, ita intelligere placeat ut ad annos, non ad dies, referendum credat: tunc enim ex annis *Undenis ter*, *ſenis terque diebus*, conflarentur anni 33. & dies 18., quod temporis ſpatium conveniret epochæ ejus promotionis ad Archiepiſcopatum, ut ſupra dictum eſt. Talem itaque Poetæ fuiſſe mentem non dubito, quamvis obſcure explicatam. De Ottonis Vicecomitis vita, & morte præter Scriptores jam citatos, vide Muratorii Præfationem, & Notas ad Stephanardum de Vicomercato R. I. T. IX. pag. 59., & alios; vide Mediolanenſium Antiſtitum Hiſtoriam poſthumam Joſeph Antonii Saxii, qui prædictam difficultatem vidit, ſed non ſolvit.

CAP. II.

Matthæus Vicecomes.

MAphæolus igitur de Vicecomitibus antedictus crevit, & juvenis multæ induſtriæ, & maximæ moralitatis & virtutis effectus eſt (5). Communis quidem fuit ſtaturæ, largus in pectore, hilaris vultu, affabilis, & benignus, largus in expendendo, tractabilis in acquirendo amicitias Lombardorum, & præcipue Civitatum Mediolano adhærentium, & tamquam Gibellinus & Imperialis homo cœpit de Imperio tractare, & multas magnas Domos de Nobilibus Mediolani ad Imperium provocavit, ac etiam cum contrariis fœdus inire cœpit. Crevit autem iſte, & quum fuiſſet in juventute, Dominam Violantam de Burris in uxorem ſibi copulavit, quæ fuit mulier formoſa, robuſta, rubeoque colore perfuſa. Erant enim tunc temporis Burri magna Parentela in Mediolano, & amici ſuæ voluntatis. Ex quo matrimonio nati ſunt Galeaz primogenitus, Joannes, Marcus, Luchinus, & Stephanus, & multæ nobiles mulieres, de quibus ad præſens tacetur. Perſiſtens autem dictus Otto Archiepiſcopus in ſuo cœpto propoſito, ad magna quæque ſemper dictum Maphæolum inducens, taliter in Mediolano tractavit, ut conſilio celebrato tam Po-

(5) Matthæum Vicecomitem, ex Thibaldo, & Anaſtaſia, alias Berta, de Pirovano, in Vico Invorii natum anno 1249. die 15. Auguſti, præter Corium ad annum 1249, alii etiam ejus ævi Scriptores tradunt. Ejus Uxor fuit Bonacoſſa, filia Scarſini Burri Mediolanenſis, cui nupſit anno 1269. Ejus Filii fuere Galeatius, Marcus, Luchinus, Joannes, & Stephanus, de quibus in ſequentibus pluries erit ſermo. Filias etiam quinque ſuſcepiſſe tradit Gualvanus Flamma, Manipulo Florum R. I. T. XI. col. 698., ad annum 1269. E.

Populariter quam Nobiliter tres ex Majoribus Mediolani, voce, virtutibus, atque ſama conſtituti fuerint Domini, tamquam Gubernatores dominii Civitatis Mediolani, videlicet Dominus Guido de la Turre, Maphæolus Vicecomes, & Henricus de Modoetia dictus Metteſogus; quibus tota Civitas & Comitatus univerſaliter adhærebat. Ex quibus duo Guelfi dicebantur, & tertius Gibellinus. Cogitavitque idem Archiepiſcopus, qualiter in dominando poſſet dictus Maphæolus, & ad tempus ſtabilitum, principium habere regnandi. Et ſapienter agens, ſic operam dedit, quod prædictus Dominus Henricus electus fuerit in Poteſtatem Pergami; & quam Poteſtariam de conſilio præfati Domini Archiepiſcopi acceptavit. Poſt cujus receſſum dictus Maphæolus habuit incipere ad ſedendum. Et ſic ſuo tempore ſedit etiam pro alio, pro eo quod ipſe Dominus Henricus ſe abſentaverat. Inter ipſum, & Guidonem orta fuit quæſtio, tamquam de paritate contendentes; & in ipſa quæſtione Dominus Maphæolus ſuccubuit, qui proinde de Civitate Mediolani expulſus fuit cum complicibus ſuis, nulla alia Terra Mediolani devaſtata (6). Et profugus per nemo-

(6) Matthæum Vicecomitem a Mediolani dominio expulſum, non contentio de paritate, ac Primatu in cauſſa fuit, ut hic narrat Azarius; Turriani enim jam ab anno 1277., ut Nota 1. dictum eſt, ab Urbe pulſi, exulare coacti fuerant; & quamvis ſequentibus annis, præcipue 1285. 1286. 1287. 1289., & 1290. nullum non moverint lapidem, Mediolani, aliarumque Urbium exules, atque Marchionem Montisferrati, & Comitem de Languſco, contra Vicecomites excitando, numquam tamen Urbem ipſis ingredi licuit; quapropter Aquilejæ, ut plurimum apud Raymundum Turrianum Patriarcham commorantes, anxiam inquietamque agebant vitam.

Rem igitur altius repetere non gravabor, veramque indicare cauſſam expulſionis, præcipue cum ad Vicecomitum hiſtoriam illuſtrandam, atque Lectori aperiendam, hoc non parum conferat. Ea enim mihi, in hiſce conſcribendis notis, mens fuit, ut quæ Azarius omiſit, ex Antiquis Scripto-

toribus ſupplerem; ubi erravit corrigerem, & univerſæ eorum temporum Mediolanenſis hiſtoriæ, quaſi epitomen, Lectori offerrem. Quod etſi a Pluribus jam pridem factum quis afferat, hoc tamen hic commodum Lectori futurum ſpero.

Poſt mortem Ottonis Archiepiſcopi, anno 1295. extincti, ut dixi Nota 4., Matthæus Vicecomes Populi Capitaneus, Mediolani regebat Dominium, ac eadem menſura, qua in dicta, atque in proximis Civitatibus, ejus potentia, & auctoritas augebatur, creſcebat etiam Nobilium Mediolani invidia, ac metus Tyrannis etiam proximarum Civitatum communis, ne a Matthæo denique in ſervitutem deducerentur, ipſeque tandem arbitrarium omnimode induceret Dominium. Hinc frequentes contra eum, Nobilium primi ordinis in Urbe, conſpirationes, quæ protinus ac detectæ, carcere, exilio, bonorum confiſcatione, domuum a fundamentis everſione, interdum morte, puniebantur. Nec præcedentes pœnas evitare potuit Petrus Vicecomes, quamvis ejuſdem Matthæi Patruus eſſet. Hinc major in dies contra Matthæum ſimultas, & odium in multis, qui Reis ſanguine, vel amicitia, jungebantur.

Anno tandem 1302. eo res deducta erat, ut ipſi Mediolani Proceres, & Turrianos, & aliarum Civitatum Dominos excitarent, ut Mediolanum accederent, ab intrinſecis majus auxilium, quam a propriis militibus accepturos, ſpondentes. Hæc inimicorum Matthæi, adeo confirmabant animos, ut Turriani, Cremonenſes, Papienſes, Laudenſes, Cremenſes, Alexandrini, Novarienſes, Vercellenſes, & Novocomenſes, una cum Alberto Scoto Placentiæ Domino, & Marchione Montisferrati, contra Matthæum, percuſſo fœdere, ſe junxerint, ut ipſum a Mediolani Dominio, deturbarent.

Proceſſerunt itaque die 8. Junii prædicti anni 1302., cum fœderato Exercitu, ad Lavaniam prope Cornelianum, juxta flumen Abduæ. Matthæus vero, cum militibus exteris, ad ſua ſtipendia exiſtentibus, ad Sanctum Columbanum properavit. Albertus interim Scotus plurimorum ex Mediolanenſibus rogatu, Bernardinum Scotum, pro Urbis Poteſtate miſit, cujus officiis Civitas hoſtium fœderi acceſſit. Non contra Mediolanenſes, nec contra Vicecomitem, arma ſumpſiſſe, ab ipſis dictum, ſed tantum ut firmata pace inter Turrianos, & Vicecomites, bello, excidiis, & vaſtationibus, quibus Langobardiæ Urbes, jam diu premebantur, finis tandem imponeretur.

Interim, Matthæus cum ſuis, ad Canonicam Viboldoni acceſſerat, Mediolanum ingredi non audens, ubi Muſca, & Guido Turriani, cum non paucis militibus, jam ſe contulerant, fautorum ſuorum auxilio; videnſque

mora & alia ardua loca fugit, improbando quos credebat amicos & latitando. Fugienſque uſque Novariam, ſe reduxit in Terra Olegii Calulfi diſtrictus Novariæ, quæ tenebatur per partem Torniellorum etiam expulſorum una die a Novaria tamquam Gibellinorum, ubi Dominus Philippus Torniellus cum aliis ſuis ſequacibus permanebat. Ve-

ſe fere ab omnibus derelictum, ſub fide Nunciorum Reipublicæ Venetæ, qui pro pace curanda, miſſi fuerant, Pioltellum venit, ibique in Concilio Nunciorum fœderatarum Urbium, decretum fuit, quod de diſſidiis inter Vicecomites, & Turrianos, eorumque adhærentes, ſtandum foret Sententiæ, ab Alberto Scoto proferendæ, qui protinus declaravit; veram & ſinceram pacem inter Vicecomites, & Turrianos, eſſe debere, iſtis & eorum adhærentibus licere in Urbe pro libito commorari, reſtitutis, ac reintegratis a Communitate, eorum prædiis, ac domibus. Hac Pace in conſpectu Matthæi lecta, ipſe Clavam Capitaneatus Mediolani, ſponte in omnium conſpectu Alberto Scoto tradidit, Dominiumque dimiſit.

Hæc Corio teſte acta ſunt die 12. Julii prædicti anni 1302. Annales Veteres Mutinenſes R. I. T. XI. col. 75. D. id eveniſſe dicunt die 14. Junii. Gualvanus Flamma Manipul. Florum R. I. T. XI. col. 727. C. eandem diem 14. aſſignat. Matthæus poſtea, cuſtodiam Alberti Scoti, qui ipſum Meltii, contra datam fidem, retinebat, evadens, Novocomum ſe contulit, ubi a Turrianis ipſum perſequentibus prælio fuſus, cæſis etiam, aut fugatis ejus amicis, qui Mediolani prius tumultum in ejus favorem, excitaverant, reſtaurato etiam ſequenti anno 1303., prope Novocomum bello, ſed infælici eventu, Placentiam, inde Piſcariam, in Brixienſi agro, ſe reduxit. Poſtquam vero ſequentibus annis, ſortem contrariam ſemper expertus eſſet, Nogarolæ in Veronenſi agro prope Atheſim, domicilium fixit, obſcuram ac pauperem ibi ducens vitam, quouſque Henrici VII. Cæſaris adventus in Italiam, ad majora ipſum excitavit, atque evexit.

Narrat Corius ad annum 1308., & Villanus Hiſtoriarum lib. 8. cap. 61. Guidonem Turrianum ad ſuperbiam, tot rebus proſperis, elatum, miſiſſe quendam ex ſuis ad Matthæum Vicecomitem, qui ſciſcitaretur: *Quid faceret? Utrum ſperaret Mediolanum reverti? Et quando?* Ad hæc autem Matthæum, qui ſocio comitante, apud Atheſis ripam deambulabat, reſpondiſſe. *Quid faciam vides: Mediolanum redire ſpero: Quando Turrianorum crimina excedent ea, propter quæ ſum expulſus.*

Verum Dominus Maphæolus videns, quod in Burgo Olegii prædicto non poterat permanere propter nimiam rebellionis ſequelam, fugit per partes Blandrati, & Azilium ſe reduxit. Eſt autem Azilium Caſtrum in principio Comitatus Maxini, & apud Iporegiam conſtitutum, ubi parum moræ traxit. Deinde non valens perſequutorum manus effugere, receſſit ad Lacum Gardæ, & deinde ſuper Lacum de Iſeo Brixienſem, ubi cum magna cuſtodia latitabat. Expulſus vero fuit Anno MCCXCIX. (7) Quo Anno pars Gibellina Novariæ, Vercellarum, Cumarum, & Pergami, propter impotentiam fuit totaliter expulſa, huc illuc divertendo. Pars vero Beccariorum expulſa erat de Civitate Papienſi. Et quia pars Gibellina, præterquam Terdonam & Brixiam in iſtis partibus non tenebat, ideo Dominus Maphæolus ſtatum dictorum Dominorum de Iſeo elegit, in Lacum fugiendo, & ibi pauper moram traxit. Tornielli autem propter impotentiam habuerunt ab Olegio fugere, & diſtrictum Novariæ linquere, fugientes ad Caſtrum Tixineſii ſuper Padum apud Valentiam; & ibi cum parte ſua & fautoribus reducti, etiam in Terdona converſando, deprædando Mediolanum, Papiam, Vercellas, Alexandriam, & breviter aliam univerſam partem Guelfam, permanſerunt uſque ad Annum MCCCX. quo univerſa pars Gibellina fuit in Civitatibus eorumdem per ſacratiſſimum Imperatorem Henricum, & cum magna difficultate, reſtituta (8), una

(7) Expulſum fuiſſe Matthæum, non anno 1299., ſed anno 1302., in precedente Nota, jam dixi, quod præter Corium citatum, docent etiam Gualvanus Flamma cap. 341. R. I. T. XI. col. 717. C., Annales Veteres Mutinenſium, ad annum 1302. R. I. T. XI. col. 75. D., Joannes Villani lib. 8. cap. 61. R. I. T. XIII. col. 393. B, aliique paſſim Scriptores; Amanuenſis ergo errore annus 1299. indicatur. Circa Menſem tamen & diem aliqui diſſentiunt, menſe Junii, & die 14., aut 16., id eveniſſe, dicentes.

(8) Vide infra Notam 11.

una etiam cum Guelſa in Civitatibus, unde expulſa erat. In Caſtro Tixineſii fuit pars Gibellina machinis cum obſidione firmata & machinata, pro eo quod nullam fortalitiam in Civitatibus Mediolani, Papiæ, & Vercellarum poſſidebat pars Gibellinorum antedicta.

CAP. III.

De potentia Regis Roberti, & quas Civitates poſſidebat in Lombardia.

DUrante vero litigio antedicto, & antea, orta erat contentio ſine fine inter ſacrum Imperium, & Sanctam Romanam Eccleſiam; in quo tantum univerſi Chriſtiani adhæſerant, quod mortuis Imperatore Frederico, & filiis, tam Regibus quam aliis, qui diverſimode, & ſub diverſis prœliis ſuccubuerunt, Imperium vacavit, & Rex Karolus Regna Siciliæ & Apuliæ, & quantum potuit, occupavit. Nec contentus Rex Robertus ejus filius de Regnis ipſis & aliis coronatus fuit. Et videns Italiam Imperio carere & Magiſtro, curam adhibuit de univerſa Italia, & præcipue Lombardia (favente etiam Eccleſia Romana) poſſidenda. Nec mirum, ſi aliquas Civitates in Lombardia acquirebat; quoniam non patiebatur, quod Cives ſupportarent expenſas guerrarum, ſed ipſas, & maximas proviſiones de ærario ſuo Siciliæ perſolvebat tam Civibus ſubjectis in Civitatibus acquiſitis, quam ſtipendiariis facientibus guerram eorum contra quoſque Gibellinos. Et participante Eccleſia Romana, Civitates Bononiæ, Ferrariæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Placentiæ, Cremonæ, Terdonæ, Alexandriæ, Aſtæ, Albæ, Aquarum, & Taurini in Lombardia, & cum aliis quampluribus Marchionatibus & Comitatibus, ipſi & parti Guelfæ ſubjecit. Et dum niteretur alias univerſas Civitates Lombardiæ ſubjugare & Imperio

perio auferre, ipſe demum ad Imperium clamaverunt. Cui clamationi etiam Comites Papienſes cum ſequacibus ſuis, qui fuerunt Guido de la Turre prædictus, Advocati de Vercellis, Antonius de Fiſſiraga pro Lauda, Vitani pro Cumis, Colioni pro Bergomo, & ſequaces eorum, quamquam Guelfi, adhæſerunt, nolentes dominia ipſarum Civitatum linquere, quæ propria ſperabant; & maxime propter impotentiam Gibellinæ partis expulſæ, ut precario a dictis Romana Eccleſia & Roberto Rege recognoſcerent, inter ſe diſcrepantes, nec confidentes. Nam ex nunc inter Guelfos ipſos, quamquam confœderatos, exortæ erant magnæ zizaniæ & rancores, volens alter alteri prævalere. Qui errores partes ipſarum Civitatum Guelfarum deſtruxerunt per ea & alia, quæ poſtea ſunt ſequuta, ut ſerioſius explicabitur. Et deſtructas tenent de præſenti.

CAP. IV.

De adventu Imperatoris Henrici.

DEus autem Pater omnipotens, a quo bona cuncta procedunt, ſine cujus beneficio nullum rite fundatur exordium, volens preces juſtorum & miſerabilium perſonarum obaudire, viam aperuit, per quam ſacrum Imperium in Alamanniam eſt deductum; ordinemque dedit, ut non obſtantibus contradictionibus, Illuſtris Dominus Rex Henricus de Lucemburgo Catholicus, & claræ præeminentiæ, diademate, & Corona Imperiali Anno MCCCX. (9) cum

(9) Henricus VII. de Lucemburgo, Coronam Imperii accepit Aquiſgrani die Regum anno 1309., Amanuenſis ergo errore, ejus electio ad annum 1310. dilata. Vide Hiſtoriam Imperii gallice ſcriptam a D. Heiſs T. I. lib. 2. pag. 147., alioſque.

cum maxima difficultate, extiterit coronatus. Qua ſuſcepta, cogitavit ſtatum Italiæ, & præcipue Lombardiæ reintegrare, volens unicuique, quod ſuum eſt, attribuere. Auditiſque querimoniis Lombardorum, & præcipue Matthæi Vicecomitis, qui una cum Philippo Torniello de Novaria, Ricardo de Tizonibus de Vercellis, Franchino Ruſca de Cumis, Ameo de Suardis de Pergamo, Muſſio de Beccaria de Papia, Comite Uberto Lando de Placentia, N. (10) Viſtarino de Lauda, Uberto Marchione de Sippiono de Parma, & aliis expulſis pro parte Gibellina de aliis Civitatibus Aſtæ, Alexandriæ, Albæ, Januæ, & Taurini, ſimul coiverant: Audītiſque querimonis expulſorum de Brixia & Mantua pro parte Guelfa, ſine aliqua contradictione dicto Anno MCCCX. reintegrare ſtuduit, & ubique ipſos in domum ponendo, cum maxima comitiva ſua & multorum Procerum pertranſibat. Dum autem ipſe Imperator contenderet apud Civitatem Brixiæ pro reſtituendo partem Guelfam expulſam a dicta Civitate, cogitaverunt prædicti Gibellini reſtituti Civitates ipſas poſſidere, ſperantes, quod virtute Imperii Sancta Romana Eccleſia & præfatus Rex Robertus non poſſent partem Guelforum reſtituere, nec manutenere, quum multi Gibellini Nobiles ex ipſis multum dolerent, pro eo quod fuiſſent retroactis temporibus a Popularibus conculcati. Et ſic participato conſilio, conſilium in Mediolano tamquam a principio & capite inierunt, & tale, quod e Mediolano expulſa fuerit Domus illorum de la Turre in feſto Beatiſſimæ Sanctæ Agnetis MCCCXI. die XXI. Januarii; qui numquam uſque ad præſentem

(10) Forte Baſſanus Viſtarinus, qui poſtea anno 1311. creatus fuit Vicarius ab Henrico de Flandria Mareſcalcho, cui Henricus Imperator, dominium perpetuum ejus Urbis, conceſſerat. Vide Gualvanum Flammam Faſciculo Florum cap. 350. R. I. T. XI. col. 722. D.

ſentem diem redierunt in Mediolanum. In quibus expellendis præfatus Dominus Matthæus magnam cautelam habuit (11). Promiſerat enim illis de la Turre participare cum

(11) Hic tempora, & res confundit parumper Azarius noſter. Die Sanctæ Agnetis 21. Januarii proſtratos fuiſſe in Oppido Dexii Turrianos ab Ottone Archiepiſcopo anno 1277., jam ſupra relatum eſt Nota 1., eorum vero expulſio ab Urbe, de qua nunc loquitur Author, die 11., vel 12. Februarii anni 1311. evenit, affirmantibus Bonincontro Morigia in Chronico Modoetienſi R. I. T. XII. col. 1099. B.; Chronico Aſtenſe R. I. T. XI. col. 231. C., Corio ad annum 1311., Joanne Villani in ſua Hiſtoria R. I. T. XIII. col. 449. C., Factum tamen hoc, defunctorie nimis recitat Azarius, quod fuſius explicatum vidiſſe, Lectori gratum fore ſpero.

Cum Matthæus Nogarolæ, ut Nota 6. dictum eſt, a Mediolano exul obſcuram duceret vitam, inter plures Urbis Cives quos utpote Vicecomiti addictos, expulerant Turriani, quidem erat Franciſcus de Garbagnate dictus, juvenis, mentis ſagacitate, ac ſcientiarum eruditione non vulgari, ornatus; hic omnibus expoliatus opibus, Patavium aufugerat, ibique ſcientias docens, aliquot annis vitam ſuſtentaverat; ſed tandem, tranquillæ, ſed pauperis vitæ tædio captus, libros, cæteraque vendidit; atque equo, & armis ſibi comparatis, in Germaniam, dimiſſa Minerva, Marti nomen daturus profectus eſt. Nec irrito quidem ſucceſſu; corporis enim formæ, & ſagacis mentis commendatione, inter Henrici VII. Cæſaris Aulicos cooptari obtinuit. Poſtea cum Cæſar ad expeditionem Italicam opportune diſponeret, interrogato ſæpius de Italicarum Rerum ſtatu Garbagnato, is omnia Cæſari diſtincte aperuit: Tyrannos, eorumque mores, ac vires enumerans; ſingulorum ſimultates, atque amicitias declarans, artes inſuper indicans, quibus Cæſarem fallere, ac tandem opprimere, veroſimiliter tentaturi erant. Quo factum eſt ut Garbagnatus non modicam apud Henricum iniret gratiam, quam vir prompti, ac ſagacis ingenii, non ſervare ſolum, ſed in dies augere ſtuduit, ita ut cum in Italiam Cæſar deſcendiſſet, cunctaque ſibi narrata, vera eſſet cognoviſſet, Garbagnatum inter cariſſimos habuerit, ejuſque non raro, conſilio uteretur. Nec omiſerat Garbagnatus, frequenter cum Cæſare de Matthæo Vicecomite, quem maximis efferebat laudibus, ſermonem habere; ejus animi dotes exaltare, ac felicem Mediolanenſium ſtatum, ſub ejus regimine, recenſere: quæ quidem familiaribus repetita ſermonibus, non mediocre, talem cognoſcendi virum, deſiderium in Cæſare, excitaverant. Cum

cum illis in expellendo a Mediolano Vicarium Imperialem cum gentibus ſuis. Et credentes illi de la Turre prædicta, quæ firmata jam fuerant vinculo ſacramenti, iverunt ad ſe armandum. At Dominus Matthæus ſubito venit ad Vicarium Imperii, nuntians, ut ſe præpararet cum gentibus ſuis. Et ſic ipſe Dominus Vicarius cum gentibus Imperialibus, & una cum Domino Matthæo, & ſequacibus ſuis, armata manu in illos de la Turre inſilierunt, ſternendo, taliando, & oc-

---

Cum itaque Henricus iter ſuſcepiſſet Italiam verſus, ac primo Taurinum, poſtea die 12. Novembris anno 1310. Aſtam ingreſſus eſſet, Matthæum ad ſe accerſiri, Garbagnato juſſit; Matthæus vero inimicorum inſidias timens, mentito veſtium apparatu, atque obliquo viarum tramite, Aſtam properavit. Cumque ibi Gibellinæ æque, ac Guelphæ factionis Principes in Langobardia Viri conveniſſent, Cæſaris in obſequium, ac ejus gratiam captaturi, Matthæus a Gibellinæ partis primoribus, magna exultatione exceptus, ad Cæſaris præſentiam, ipſis comitantibus deductus eſt. Ante Cæſaris pedes procubuit Matthæus, eumque compoſito ſermone exoravit, ut iis pacem ac quietem, Imperiali Majeſtate tribuere placeret, qui non alio præmebantur crimine, quam quod Imperiali dignitati juratam fidem, ac ſubmiſſionem ſervaſſent. Annuit Cæſar, ſibique fidelibus, & pacem, & quietem ſe daturum ſpopondit; Matthæum præterea, non obſcuris amoris & gratiæ indiciis, excepit. Contrariæ vero factionis viros, Guelphos nempe Principes, in ipſo Cæſaris cubiculo, Matthæi, humiliter eos ſalutantis amplexus reſpuere, ac ipſum conviciis onerare, non puduit: moris enim eſt iis, quos fortuna extulit, alios quos ipſa depreſſit, aſpernari; cœco quidem, ſed communi conſilio.

Matthæus interim, quem rerum gerendarum peritia ac prudentia in primis commendabat, in dies proficiebat in gratiam Cæſaris; qui cum inter Guelphos & Gibellinos in Aula commorantes, firmandam juſſiſſet pacem, iſti in Matthæum, omnem ineundæ pacis, eorum etiam nomine, auctoritatem, ſignatis tabulis, contulerunt. Idem a Guelphis factum, in perſonam Caſſoni Turriani Mediolanenſis Archiepiſcopi, in Cæſaris Aula tunc commorantis; quapropter poſt aliquot dies, cum de conditionibus conveniſſent inter ſe, Caſſonus Archiepiſcopus, & Matthæus Vicecomes, nomine etiam conſanguineorum ſuorum, atque aliorum partis Guelphæ, & Gi-

& occidendo. Quorum impetum ſuſtinere non valentes illi de la Turre, & tamquam improviſi, fugerunt extra Mediolanum ad eorum Caſtra, nec inde rediverunt. Et ſic dictus Dominus Matthæus adhæſit Imperio, & inimicos ſuos expulit cum cautela. Contra quos aliter nulla fuiſſet potentia, quum tunc Domus de la Turre ceteras Italicas in potentia excederet & perſonis. Turrianis igitur ſic expulſis, Bruſati & Caballatii ſimul in Civitate Novariæ colligati in

D feſto

Gibellinæ, ipſis adhærentium, percuſſa fuit pax, ac præteritarum rerum oblivio, publicis ſignata tabulis, die 4. Decembris, anno prædicto: quæ pax poſtea ſequente incœpto anno 1311. Mediolani confirmata, & rata iterum fuit. Vide D. du Mont Corps univerſel Diplomatique du Droit des Gens, ad annum 1311.

Cæſar poſt hæc Aſta diſcedens, Caſale Sancti Evaſii, poſtea Vercellas, inde Novariam, ac tandem Mediolanum applicuit die 23. Decembris. Hoc interim obſervatione dignum eſt, quod cum Nobiles, Populuſque Mediolani certatim obviam Cæſari proceſſiſſent, Guido Turrianus ad ſuburbiorum ingreſſum vix, illum excepit, magna clientium ſtipatus caterva, ac proprium Vexillum præſeferens; qua de re indignati Teutones, qui nullum vexillum coram Cæſareo elevari patiebantur, ipſum, ex geſtantis manu ereptum, humi proſtravere, lutoque merſere. Ad Henrici conſpectum, deſcendit ab equo, quo vehebatur, Turrianus, ac dexterum ejus pedem oſculatus eſt, cui Cæſar: *Guido humaniter recognoſce tuum Regem, quia durum eſt contra ſtimulum calcitrare*.

Ingreſſus itaque Cæſar Mediolanum, Matthæo Vicecomite ipſi ad dexteram adſtante, domicilium in Palatio, quod Curiam Ducis vocant, ingreſſus eſt; vocatiſque ex aliis Civitatibus Nunciis, in eorum præſentia, & plurium Epiſcoporum, ac omnium fere Italiæ Magnatum, Coronam Ferream Italici Regni, in Divi Ambroſii Templo, Caſſonis Turriani Mediolani Archiepiſcopi manu, capiti impoſitam, accepit, die Epiphaniæ ſacro, anno 1311.

Non deſunt tamen Scriptores qui dicunt, quod interim Matthæus Vicecomes, qui, Pace cum Caſſono Turriano, in Aſtenſi Civitate firmata, jurejurando promiſerat, ſe nullam in Mediolanenſis Reipublicæ adminiſtra- artem ſuſcepturum unquam, dolo, & arte Dominium obtinere,

ag-

feſto Sancti Bernardi de Junio eodem Anno MCCCXI. ſimiliter Vitani de Cumis, Colioni, & illi de Rivola de Bergomo, omnes expulſi fuerunt cum ſuis ſequacibus dicto Anno. Gibellini vero victoriam obtinentes, tantam cautelam habuerunt, quod furtive Civitatem Papiæ intraverunt per partem verſus Ticinum una cum illis de Beccaria. In quo introitu Dominus Comes Ricardinus frater Domini Comitis Philipponi, debens ſolicitare cuſtodiam, coitum cum una

---

aggreſſus eſt. Guidonem Turrianum, qui ut a Cæſaris famulatu ſe excuſaret, infirmitatem ſimulaverat, inviſit, pluries, ſinceram ſimulans amicitiam, eique ſubdolis ſermonibus, Patriæ infelicitatem commiſerans, quæ ſub duro Germanorum jugo oppreſſa, tandem ad interitum ruere cogeretur, addidit ſe nihil aliud optare, quam reliquum ſuæ vitæ, in Patria conſumare tranquille; quod ſi Guido concedat, ſuas atque amicorum vires, ſe libenter pro liberanda Patria, offerre; ac ſi junctis viribus Germanos inermes, ac nihil tale cogitantes, aggrediantur, non eſſe dubitandum, quin plenam de ipſis Victoriam conſequantur, eoſque quibus ſors ſupereſſe concedet, cito citius in Germaniam effugere cogant.

Quamvis nullus gratior Guidonis aures demulcere poſſet ſermo, quam qui de expellendis Germanis loqueretur; antiqui tamen hoſtis, ac recentis amici blandientibus verbis fidem non habens, Guido, a ſimili contra ſuum Regem perpetranda re, prorſus ſe alienum declaravit; ſed Matthæus magnæ ſagacitatis, & eloquentiæ vir, non ideo a propoſito deſtitit; Cæſarem jam vides pro ſuo Vicario virum exterum nobis dediſſe, dicens, qui ejus nomine Mediolanum regit, & gubernat, ac poſt ejus diſceſſum plenarie dominabitur, ac Guidonem interrogans, quid tunc Mediolani facere præſumeret, factus ex Domino Servus, ac hoſtium ſuorum contumeliis, ac vindictæ inermis expoſitus. Plura addidit Matthæus, ac ſuas ſponſiones Sacramento firmavit. Facile credunt homines quæ optant, & nihil conciliandæ fidei aptius, quam Sacramentum, niſi homines plures, perjuros facile eſſe, experientia demonſtraret. Hiſce rationibus victus Guido, cordis ſui penetralia aperuit Matthæo, Dominii conſortium offerens, atque inviolabilem promittens amicitiam. Dilato interim in tertiam diem novo congreſſu, ut rerum gerendarum ordinem, ac methodum, uterque maturius meditari poſſet. Convenere iterum Matthæus, & Guido, cunctaque Matthæi

una Domina Papiæ habens, audito rumore venit ad plateam, & occiſus fuit. Et dictus Comes Philipponus ejus frater captus, & in Mediolanum deductus, in Turri Arengi exſtitit carceratus, ubi tamdiu permanſit, quod diem clauſit extremum. Quibus ſic peractis, prædictæ Civitates Mediolani, Novariæ, Vercellarum, Cumarum, Bergomi, Papiæ, ſe ſe in tanto amicitiæ fœdere copularunt, etiam undequaque adunatis aliis partis Gibellinæ Lombardiæ,

D 2 quod

thæi præcipue conſilio, tam caute diſpoſita fuere, ut de felici exitu dubitandi, non eſſet locus; præcipue quia Galeatius Matthæi filius incipiente tumultu, fores Urbis claudere, ac pontes verſatiles elevare promiſerat, ut excluſis Germanis, qui in Suburbiis, & Vicis circa Urbem hoſpitabantur, iis, qui in urbe erant, auxilium dari, impediretur. Galeatius etiam Matthæi filius, cum Franciſco, & Simone Turrianis, Guidonis filiis, præcedentibus diebus; in Pratis extra Ticinenſem Portam, non longe a *Ponte Credario*, de hac re, conſilia habuerant.

Nocte autem præcedente diem, quo tumultus excitari conventum erat, Matthæus ſecreto nuncio Cæſari cuncta declarari curavit, qui vocato ad ſe Sabaudiæ Comite, aliiſque Exercitus Ducibus, Milites ante diluculum ad pugnam paratos eſſe debere, juſſit, ut inſurgente tumultu, primo motu in hoſtes, antequam turmas omnes paratas haberent, irruere, eoſque proſternere facilius poſſent. Die itaque indicta, cum Simon Turrianus ſummo mane adventantes undique clientes ſuos, armis inſtructos, in platea prope ſuam domum, ordinatim diſponeret, apparuere Germanorum Manipuli, quos Cæſaris Duces, exploratum, miſerant. Simon vero Turrianus, conſpirationem, ex hac re detectam cognoſcens, amplius cunctandum eſſe, non judicavit; quapropter Germanos ſtrenue aggreſſus, eorum plures occidit, reliquos, ſalutem fuga quærere coegit: qua re, etiamſi ſuorum clientium pars maxima, nondum ad aſſignatum locum conveniſſet, ſpe tamen auxilii, quod a Galeatio Vicecomite expectabat, in magnam obtinendæ victoriæ ſpem, elatus fuit. Sed Galeatius, Germanis, quos ab Urbis ingreſſu excludere promiſerat, in eam quam ci[illegible]iſſime evocatis, ipſis ſe ſuoſque jungens, contra Turrianos arma movit, quo facto, ut Turriani primum retrocedere, poſtea terga vertere, coacti fuerint, & tunc pugna, Turrianorum cædes, non prœlium, nuncupari meruit.

Dum

quod faciendo guerram, cœperunt Caſtra & fortilitias expulſorum diruere & ſubjicere, non obſtantibus ſubſidiis Regalibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ cum aliis Civitatibus Lombardiæ ipſi adhærentibus cum multis Gibellinis, qui dedignati erant de dominio Vicecomitum, conſtituto Legato, qui dictas Civitates voluntarias poſſidebat, & multum contenderet & niteretur cum expulſis Guelfis, præfatum Dominum Matthæum a Civitate Mediolani ex-

---

Dum hæc gladio geruntur, Matthæus Vicecomes, primo armorum fremitu, primiſque horriſonis civium vocibus ad arma conclamantibus auditis, in propinquum Epiſcopi Tridentini hoſpitium, qui tunc erat Cæſaris Cancellarius, propere, paucis comitantibus, inermis ſe contulit, eum exorans, ut ad Cæſaris præſentiam, ad cujus nutum vivere atque mori paratus erat, eum ducere placeret, ne a Palatii Cuſtodibus, ejus fidem ignorantibus, offenderetur. Deducto ad Cæſarem Matthæo, is ipſum increpare cœpit, quod Galeatius ejus filius Turrianis conjunctus, contra ipſum arma ſumpſiſſet, ac ipſe in fide titubans, tam tarde ad eum veniſſet. Sed Matthæus propriam innocentiam adſtantis Epiſcopi Tridentini teſtimonio comprobavit; De Galeatio vero ſe nihil ſcire dixit, ſed illum contra ſuum Regem arma ſumpſiſſe, non credere. Nunciatum paulo poſt Cæſari fuit, Galeatium primo tumultus clamore audito, arma ſumpſiſſe, ac magna armatorum Civium ex Vercellenſi, maxime, & Ticinenſi Urbis Regione, ad Vicecomitis Vexillum concurrente, ſe Germanis Militibus conjunxiſſe, atque ad Cumanam profectum Portam, quingentos Ducis Auſtriæ equites, prope Sanctum Simplicianum, in Suburbio degentes, introduxiſſe, quibus auxiliis tranquillitas Urbi reſtituta, cæſis aut fugatis rebellibus. Grata hæc fuere Cæſari, cujus animus, incerto rerum eventu anxius, hactenus hæſerat.

Expulſis itaque ab Urbe Turrianis, die 11. Februarii 1311., ac Vicecomitum fide erga Cæſarem probata, vix aliquis credet, Matthæum, a Cæſaris gratia excidere, impoſterum potuiſſe; id tamen, brevi intercedente tempore, evenit. Plures enim ex Mediolani Proceribus, qui Matthæi excluſionem a Mediolani Dominio, anno 1302., ut Nota 6. dictum eſt, procuraverant, ſubdolis ſermonibus, ipſum apud Cæſarem, ſuſpectum reddere, multiſque inſimulare delictis, adeo ſagaciter ſtuduerunt, ut Cæſar Matthæum Aſtenſem in Urbem, Galeatium in Tarviſinam, relegaverit. Sed

expellere, quæ tunc muro interiori carebat, Modoetiam, Laudum pro viribus, Burgos Mediolani & ſuburbia exercitu fulciendo, ſententias excommunicationis proferendo, theſauris Eccleſiæ apertis, & undequaque ſtipendio perquiſito contra præfatum Dominum Matthæum & ſequaces, & uſque in quartum gradum ſuarum progenierum. Habebant autem illi de la Turre tempore expulſionis eorum de ipſorum Domo Patriarcham Aquilejenſem, cum quo in Foro-Julii ſe reduxerunt, & penes alteros Patriarchas etiam de ſuis ibidem continuo permanſerunt, adeo quod nemo ipſorum

rum

Sed Franciſci Garbagnati opera, & Vicecomitum innocentiam, & æmulorum fraudes cito cognovit Cæſar. Evocatis itaque ab Exilio Vicecomitibus die 7. Aprilis, ſi Annalibus Mediolanenſibus R. I. T. XVI. col. 169. C. habenda fides, Matthæum, dum ipſe Brixiam obſideret, ſuum Vicarium in Mediolanenſi Urbe conſtituit, quod die 18. Julii eveniſſe, aliqui tradunt. Privilegia, libertates, & bonas conſuetudines, Communitati Mediolani, per prædeceſſores Romanorum Reges conceſſas, confirmavit, Diplomate Mediolani dato XIII. Kal. Aprilis Indictione IX. anno 1311., apud præcitatum du Mont, videndo.

Dedita poſtea Henrico Brixia, opera Cardinalis Lucæ de Fliſco, Ticinenſem Urbem, Langobardorum quondam Regiam, inviſit Cæſar; ac poſtea Januam progreſſus, extincta ibi piiſſima Uxore ſua Margaretha Joannis Brabantiæ Ducis Filià, cui anno 1292. nupſerat, ut tradit Struvius in Corpore Germanicæ Hiſtoriæ T. I. pag. 572., maritimo itinere Piſas ſe contulit, Matthæo interim Vicarii dignitate, Mediolani commorante, ac Urbem regente. De his factis vide Bonincontrum Morigiam in Chronico Modoetienſi R. I. T. XII. col. 1099. B. Vide Joannem Villani Hiſtor. lib. 9. R. I. T. XIII. col. 453. D., Chronicon Aſtenſe R. I. T. XI. col. 231. C., Joannis de Cermenate Hiſt. R. I. T. IX. col. 1242. B., Corium ad annum 1311., alioſque plures.

Qui tamen penitiorem Rerum, quæ tempore Ottonis, ac Matthæi Vicecomitum evenere, cognitionem habere deſiderat, conſulat elaboratiſſimum opus Comitis Georgii Giulini, cui titulus: *Memorie ſpettanti alla Storia ec. della Città, e Campagna di Milano*. Is enim, perluſtratis maximo labore, ac mentis ſagacitate, Antiquorum Tabulariorum membranis, majorem Hiſtoriæ Patriæ lucem affudit, quam unquam ſperandum fuiſſet.

rum de la Turre deinde auſi ſunt, cauſſa moræ, Mediolanum nec Comitatum intrare. Quibus etiam poſt breve tempus dedit pars Gibellina ſecundum conflictum in Burgo Deſii (12) Comitatus Mediolani, in quo captus fuit Dominus Muſca de la Turre, & carceratus, & ibi mortuus cum multis de ſequacibus ſuis; dimittentes ex tunc univerſas fortilitias Comitatus Mediolani. Quod factum fuit Anno MCCCXII.

Prædicti autem expulſi de Civitatibus antedictis Mediolani, Papiæ, Novariæ, Vercellarum, Cumarum, & Bergomi, & ſimul prima amicitia colligati; cognoſcentes quod capite diſſoluto membra de facili diſſolvuntur, Mediolanum

(12) Hic iterum extra ſedem, conflictum Dexii commemorat Azarius; anno ut ſupra dixi 1277. ſecutum. Nulla anno 1312., nec 1313. Dexii pugna fuit inter Gibellinos, & Guelphos. Pugnatum quidem apud Vercellas, quas a Guelphis recuperavit Comes Guarnerius, ſeu Gualterius de Homberg, quem Capitaneum Fœderatorum Gibellinorum, deputaverat Henricus Imperator, ſuis Litteris datis Januæ die 13. Februarii 1312., Regni 4., quas invenies in Codice Italiæ Diplomatico Joannis Chriſtiani Lunig, ſub dicto anno, & etiam alibi. Pugnatum in Laudenſi agro, ubi Caſtra omnia a Rebellibus occupata, ſuperata, & capta fuere. Pugnatum Soncini, quod a Guillielmo Cavalcabove occupatum, ejus ac ſuorum morte, recuperavit dictus Comes. Pugnatum ad Pontem Sancti Petri, Ponzone de Ponzonibus, qui ad Bergomum fraude occupandum properabat, a Ludriſio Vicecomite ejus Urbis Poteſtate, debellato. Pugnatum contra Vicarium Roberti Siciliæ Regis, apud Lignanum, ejuſque, ut multi credunt, auro potius, quam ferro, diſſipatus Exercitus, quem in Turrianorum, aliorumque Guelphorum ſubſidium, deſtinaverat, juxta conventa in tractatu, die quinta præcedentis Novembris Papiæ coram Ugone de Baulcio, dicti Regis Seneſcalcho, ab ipſis, ſignato. Ejus vigore, eidem Roberto, perpetuum Dominium Mediolani, aliarumque Langobardiæ Urbium, conceſſum erat, ſub certis conditionibus, quas apud Corium, ad annum 1312. videre, licet. Commiſſa denique pugna prope Placentiam, contra Philippum Comitem de Languſco, & Antonium Fiſiragam, iiſdem captis, & ad Mediolani Carceres, deductis, ſed nulla iis annis apud Dexium pugna.

num retinere ſtuduerunt, quantumcumque grave videretur; & mortem in laribus ipſis elegerunt. Et ſic communicato conſilio, Dominum Calcinum Torniellum in Poteſtatem Mediolani creaverunt, & Dominum Henricum Torniellum in Capitaneum dictæ Civitatis ſtatuerunt, permanentibus Dominis Galeaz, Luchino, Johanne, Marco, & Stephano, viris utique formoſis & ſtrenuis ad pugnandum, cum aliis Nobilibus de cernia Civitatum prædictarum, & voluntariis, ſcilicet cum paucis ſtipendiariis, & aliis Proceribus gratis acquiſitis pro cuſtodia Civitatis Mediolani. Nec mirum, ſi tunc parva ſtipendiariorum quantitas habebatur; quoniam dictæ Civitates nuper acquiſitæ nullas vel paucas intratas habebant, nec habere poterant; nec ipſi reſtituti pecuniam habebant, quum expulſi multo tempore permanſiſſent, & cum porro pilato ad eorum patrias pauperrimi rediviſſent. Et dicitur, quod propter pagas habendas tunc temporis, præfatus Dominus Galeaz per Teutonicos ſtipendiarios fuit detentus, & de Civitate ipſa fugiendo voluit exilire. (13) Cedentibus ergo ipſis contra Medio-

(13) Expulſum vere de Mediolano Galeatium die Lunæ 8. Novembris 1322., eumque Laudem aufugiſſe, a Sucio, & Jacobo de Viſtarinis, ejus Urbis Dominis, eique amicitia junctis, perhumaniter ſuſceptum, tradunt præter Corium, alii ejus ævi Scriptores. Vide Jo: de Cornazano Hiſtoriæ Parmenſis Fragmenta R. I. T. XII. col. 734. C. qui ad annum 1322. dicit: *A dì nove di Novembre un Lunedì, Galeazzo Viſconte fu eſpulſo da Milano. Poi a dì dodici di Decembre in Domenica l' anno medeſimo, ritornò nel Dominio*. Expulſionem die 8. Novembris accidiſſe credo, quia eo anno, & menſe, dies Lunæ cadebat in diem octavam, non nonam; ejus reſtitutio vero die 12. quæ erat dies Dominica. Cauſſa tamen tumultus Stipendiariorum Teutonum, quo ad fugam coactus, non a male ſolutis ſtipendiis, ſed a ſuorum, & Legati Pontificii machinationibus, provenit. Ludriſius Vicecomes, Franciſcus Garbagnatus, Simon Cribellus, primarii Urbis viri, aliique nobiles, invidia, & Pontificis Legati ſponſionibus commoti, Teuto-num

Mediolanum poſitis in Terra Modoetiæ, volenteſque iterato alii Eccleſiæ complices, & etiam alii Gibellini facti rebelles, armata manu Mediolanum invadere, ſtrenuus & impatiens vir Marcus cum Teutonicis ſuis & aliis complicibus ſociatis, tranſeundo Abduam, Eccleſiaſticos invaſit, & ibi Dominum Franciſcum de Garbagnate rebellem, ſuos præcedentem, potentia armorum in ipſo flumine peremit. Ob cujus mortem ipſos inimicos poſuit in conflictum, & quotquot voluit, cepit, ipſos totaliter confringendo. Deinde Modoetiam obſedit, & in tantum, quod fame fuit reſtituta & recuperata cum maximo ex utraque parte diſpendio perſonarum. Et captus Antonius de Fiſſiraga. Pro cujus captione Lauda extitit acquiſita. Cœpitque fortuna iſtis Gibellinis, de limo & profundo ſic ſublevatis, dulciter arridere. Quibus durantibus Dominus Matthæus Vicecomes præfatus diem clauſit extremum, videlicet Anno MCCCXXII. (14) Quæ habentes contrarii pro moleſto, & dum

num Capitaneis magnam vim auri, & Stipendiorum auctionem, Legati & proprio pollicentes nomine, ad defectionem traxere. Cum tamen poſtea, Optimates prædicti, parum inter ſe convenirent, nullaque eſſet in Urbe quies, ac Militibus etiam ſtipendia, ac promiſſa præmia deficerent, tædium tam Cives, quam Milites cepit; quapropter, miſſis ad Galeatium ſecretis nunciis, ipſum ad Mediolani Dominium revocavere, pacta prius præteritarum rerum oblivione. Quapropter, die Decembris duodecima ejuſdem anni, Urbem hora matutina pacifice ingreſſus eſt. Hæc tamen omnia poſt Matthæi mortem evenere, Amanuenſis fortaſſe vitio, præpoſtere ſcriptis conſignata. Vide Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 700. C., Corium ad annum 1322., Joannem de Cornazano R. I. T. XII. col. 734., Joannem Villani R. I. T. XIII. col. 526. D. & ſeq., Gualvanum Flammam R. I. T. XI. col. 729. A. alioſque ejus ævi Scriptores.

(14) Plura in Azarii Codice, Amanuenſis incuria hic omiſſa fuiſſe, evidens eſt. Ab anno enim 1312. ad annum 1322. proſilit Azarius, pluribus omiſſis, quæ hoc intervallo acciderunt, quæque apud Corium, alioſque

dum iſti Gibellini ſuper Padum in diſtrictu Papiæ, Terras & Oppida acquirerent & vaſtarent contra potentiam Regalium, Eccleſiaſticorum, & aliorum Guelforum (quantitas quorum in duplum reſtitutos excedebat) ſe jungentes apud Baſſignanam, ordinatum prœlium ſtatuerunt. In quo quidem prœlio Deus gratiam ſuam extendens taliter ſtabilivit, quod præfatus Dominus Marcus cum ſequacibus ſuis victoria obtenta campum obtinuit, mortuis & captis innumerabilibus. De quorum præda & quæſtu multi Gibellini facti fuerunt non modicum opulenti. Et de ipſo campo & bello debiliter evaſit Dominus Raymundus de Cardona Capita-

E

---

que jam citatos Authores, ſi lubet, inveniet Lector; ea enim huc referre ſupervacaneum eſſet, cum plerumque bella fuerint, pro ſibi aſſerendo, ſeu dilatando Mediolani Dominio; quod cum fieri neutiquam poſſet abſque Pontificis indignatione qui Guelphis favebat, Matthæus ab illo Excomunicatione percuſſus fuit: cujus Decretum Pontificis juſſu, in Eccleſia Sanctæ Mariæ, in Valentia Oppido Papienſis Diœceſis, promulgatum fuit, die 14. Martii, anno 1322., ut habet Ughellus T. 4. col. 206.

Matthæum tamen anno 1322. ab hoc Seculo ereptum, certum eſt. Gualvanus Flamma Manipulo Florum R. I. T. XI. col. 728. E., ipſum die 26. Junii defunctum dicit. Guillielmus Ventura in Chronico Aſtenſi R. I. T. XI. col. 262. D. die 24. ejuſdem menſis. Joannes de Muſſis in Chronico Placentino R. I. T. XVI. col. 493. B. ipſum obiiſſe dicit die 28. Junii dicti anni 1322. Corius ad dictum annum tradit Matthæum, accerſito ab Urbe Placentiæ, ubi morabatur, Galeatio filio ſuo, eidem Dominii adminiſtrationem tradidiſſe; ipſum viſitandis devote Eccleſiis unice intentum, ac tandem ante Altare Majoris Eccleſiæ Mediolani, convocato prius Clero, Symbolum Fidei clara voce recitaſſe, elato inde capite conclamaſſe; *hanc eſſe Fidem, quam toto ſuæ vitæ tempore profeſſus erat, & ſi aliquid contra hoc, ipſi opponeretur, impoſturam eſſe*; ac de ſupradictis, publicum, ab idoneo Notario Rogari juſſit Inſtrumentum. Deinde a Templo diſcedens, non ſecus ac ſi mentis non eſſet compos, Modoetiam proceſſiſſe, ad Divi Joannis Baptiſtæ viſitandum Templum, ibique infirmitate correptum, ad Creſcentiaghi Monaſterium ſe contuliſſe, ubi filios ſuos ibi ſupervenientes,

pru-

pitaneus generalis, & filius Eccleſiæ nominatus. Sed cum illis, quos ſecum habere potuit, ad Civitatem Vercellarum illico ſe reduxit. Erat autem tunc temporis Civitas Vercellarum poſſeſſa per illos de Advocatis, major quorum dictus Simon de Colobiano denominabatur pro parte Guelfa. Qui quidem Advocati tres partes ipſius Civitatis cum ſuis ſequacibus detinebant. Reliqua vero quarta pars per Dominum Henricum de Tizzonibus, & per illos de Soramontibus, & de Burgano, pro parte Gibellina, & cum magno labore poſſidebatur. Cujus Civitatis partes muris, ferris, trabibus, & aliis aptis ad defenſionem ſeparabantur, & ſo-

---

prudentibus inſtruxit præceptis, tertia vero die, morti tributum ſolviſſe, ætatis annorum 72. Hactenus ex Corio. Chronicon vero Modoetienſe R. I. T. XII. col. 1118. D. dicit Matthæum Modoetiam ſe contuliſſe die feſto Sancti Joannis; ſequenti vero die, ingrediente morbo, Creſcentiacum iviſſe, & die tertia ibi extinctum. Hæc ſi vera ſunt, ejus mors incidet in diem 28. Junii anni 1322. Ipſum Nota 5. natum vidimus die 15. Auguſti 1249., die 24. Junii Modoetiæ fuiſſe, ſequenti die morbo correptum Creſcentiacum ſe contuliſſe, ibique tertia die, hoc eſt 28. Junii extinctum, anno 1322., ex hoc apparet eum vixiſſe annos 72., menſes 10. dies 12. Addit Corius Filios per dies quatuordecim mortem occultaſſe, aſſidentibus in Extincti Matthæi cubiculo Medicis, ut ante conſueverant, ac dapibus pro nutritione infirmi quotidie illatis; quod factum eſt, ut firmando imperio neceſſaria, hoc tempore, peragerentur. Corrigendus ideo Joannes Villani, qui Matthæum poſt nonageſimum ætatis annum obiiſſe, ac Galeatium ejus filium, eadem qua ille obierat die, militibus ſtipatum, per Urbem equitaſſe, ac Cives coegiſſe, ipſum in eorum Capitaneum ad annum eligere, aſſerit lib. 9. cap. 154.

Matthæi corpus ſecreto, ac ſine pompa tumulatum fuit, ne Pontifex ejus cineres aliquando de loco ſacro ejiciendas juberet, tamquam Viri e Fidelium ſocietate expulſi; Creſcentiaghi tamen, aut in Carevallis Monaſterio ſepultum credunt Scriptores. Diſcrepantiam vero Authorum circa diem mortis Matthæi, jam videt Lector ex eo originem trahere, quod ejus mors per quatuordecim circa dies, a Filiis occultata fuerit.

& ſolummodo duas partes, videlicet Portam Salini & Portam Sancti Stephani retinebant Gibellini. In qua Civitate quæſtio pluribus annis duravit, adeo quod ſingulis diebus ipſorum annorum volens pugnare pedes & eques contrarius quomodolibet reſpondebat. Quo tempore in ipſa Civitate fuerunt Leges & Plebiſcita facta. Et Civitas ipſa tunc magnæ præeminentiæ ut plurimum devaſtata fuit, & de cujus proceſſibus ad præſens tacetur. Acquiſivit autem præfatus Dominus Matthæus dominium Civitatis Novariæ Anno MCCCXIV. & parum tenuit, & Caſtrum Bergaminum per ipſum conſtructum Novarienſes explanaverunt. Dominus autem Marcus ejus filius dicto Anno MCCCXIV. cum auxilio partis Gibellinæ dominium Civitatis Alexandriæ & Terdonæ acquiſivit & poſſedit uſque ad MCCCXXI. Et tunc cum auxilio Raymundi de Cardona Guelfi in dictas Civitates intraverunt. Guelfi, & pro Regia Majeſtate regere incœperunt uſque ad recuperationem Domini Luchini Vicecomitis.

C A P. V.

De Joanne Papa XXII.

JOannes autem Servus Servorum Dei, Papa XXII. ſapientiſſimus & potentiſſimus, in ira ſua perſiſtens, ut patet per præcedentia & ſubſequentia, volens ſtatum Vicecomitum & ipſis confœderatorum in Lombardia ex toto deprimere, lata dicta excommunicationis ſententia, ut eſt dictum, & a qua nequit appellari, cautelis adhibitis & favoribus, præmiſſos Gibellinos a Lombardia curavit expellere, quum alii Gibellini ſeu Imperiales in Lombardia non exſtarent. Quam autem cauteloſus fuerit, audietis: Nam ipſe filius fuit unius popularis, & ante Papatum vocabatur Jacobus de Oſſa, qui propter ſcientiam,

mores, & aſtutiam factus fuit Cardinalis, & deinde Papa. Dolens itaque Joannes Papa de prædictis, Carolum Regem Francorum ad exſequutionem præmiſſorum induxit, & cum ipſo procuravit, quod Dominum Philippum de Valeſio de ſtirpe Regali perſonaliter ad exſequutionem præmiſſorum tranſmiſit. Qui cum maxima gente ſua Civitatem Vercellarum intravit, & ad bellum ordinatum Vicecomites, alioſque confœderatos & complices invitavit. Quod ipſi Gibellini annuerunt, licet multum timerent propter multitudinem gentium illarum. Et habetis ſcire, quod ſicuti ipſe Dominus Papa erat partialis, ſic & per conſequens ſui ſtipendiarii erant partiales; nec ſuo tempore aliquem de Alamannia Teutonicum accepiſſet, ſed ſolum Provinciales, Linguadocas, ſive Guaſcones (unde ipſe erat) Hiſpanos, & Francigenas ſtipendio admittebat. Quid ultra? Egregius vir Dominus Galeaz Vicecomes, major prædictorum fratrum, & regens Mediolanum, cum aliis fratribus ſuis, videlicet Marco, Luchino, & Stephano laicis, virtutibus circumſpectis, & præcipue Marco, qui omnes alios probitate excedebat, non ſicut perterritus, ſed ſicut gaudens, bellum annuit; fratres, confœderatos, ſequaces, amicitiis undequaque acquiſitis, hilari vultu ad prædictum bellum invitavit, dicens, quod per mortem laudes acquirebantur, non quod haberent contra ruſticos debellare, ſed cum Regalibus & Proceribus partis Mundi, & maxime pro defendendo eorum patriam & penates. Et tantum ipſos animavit, quod unanimiter de morte non curantes, bellum promiſerunt. Et quia dicitur in proverbio: *Portatur leviter quod quiſque portat libenter*; non gravaverunt labores, nec ſarcina pro ipſo bello acquirenda. Nam quilibet ex ipſis Gibellinis parans bona & alias amicitias tam in equitibus quam peditibus largiter expendens, ad prædictum bellum properavit. Nec mirum, quum illud apud ipſos finale erat exitium. Propterea etiam multos juvenes cingulo Militiæ deco-

decoravit. Cœperat jam Mediolanum multiplicare, quod propter præcedentia multum graviora perpeſſus dormitaverat. Nec poſt parvam moram confœderati a parte ſuperiori, & ab Orientali plaga Lombardiæ glomerati, cœperunt venire in Mediolanum, prout etiam Thuſculi, & quilibet Gibellinus univerſæ Lombardiæ. Etiam univerſi volentes ſtipendia accipere, tam in Mediolano quam in aliis Civitatibus confœderatis ſcribebantur. Et quia Civitas Mediolani in tantum implebatur, quod potuiſſet victualibus vacuari, communicato conſilio præfatum Dominum Marcum cum Luchino & Stephano, & tota gente acquiſita, Novariam deſtinavit; & ibi monſtram ipſorum fieri ſtabilivit. O quam pulchra flos juventutis & probitatis Mediolano exivit propter virtutem Domini Marci jam experti ad bellandum, & quos præda jam cœperat ditare! O quam pulchra formoſitas Teutonicorum & aliorum virorum expertorum in bello & Lombardorum, Mediolano exivit! Et verum eſt, quod deinde tanta nobilitas, tantaque probitas, nec tanta voluntas dicitur campum intraſſe Lombardiæ. Veneruntque Novariam in nomine Sanctorum Ambroſii Confeſſoris, & Zorgii Martyris, qui cingulo Militiæ extiterunt decorati. Ubi dum eſſent, ſtatuerunt una die Novaria & ſuburbiis exire, & in loco aperto ſe ponere cum peditibus & carrigio undique perquiſito. Nam magnam copiam victualium præparabant pro ſubſidio, & ſuſtentatione partis Gibellinæ in Vercellis obſeſſæ, ubi per menſem ſolas fabas prædicti in Vercellis concluſi eorum Milites comederunt prœlia ſuſtinentes. Qui Dominus Marcus dum ſuper prato Marzaleæ (15) apud

(15) *Pratum Marzaleæ*. Hanc denominationem retinet etiam in præſenti, ea pars Novarienſis Urbis Pomerii, quæ extra Vercellenſem Portam ſe extendit, circa Fanum Deiparæ Gratiarum, ac Monaſterium ei adnexum Canonicorum Regularium Lateranenſium, uſque ad Pontem dictum *della Braghina* & flumen Agoniæ.

apud ſuburbia Civitatis Novariæ, & ubi fiunt Mercata, cum univerſis prædictis exiviſſet, conſtituit ductorem & factorem acierum & ordinatorem univerſi exercitus & çarrigii, nobilem & ſtrenuum virum Henricum Torniellum, primogenitum & fortiorem fratrum ſuorum. Qui acies ipſas & libenter annuens ordinavit, præponens dictum Dominum Marcum in potentia acierum; & ſic ſucceſſive verſus Civitatem Vercellarum greſſus ſuos direxerunt, & moderate.

Numquid inclyti viri Dominus Philippus de Valexio, & Raymundus de Cardona in Vercellis permanentes negligentes fuerunt aut remiſſi in viribus acquirendis? Certe non. Quanto belli tranſmiſſo & ſuſcepto, Portas quinque Civitatis Vercellarum per ipſos Guelphos poſſeſſas, die noctuque apertas tenuerunt, ut volentes intrare & exire Civitatem antedictam pro libito facerent. Et tantam gentem habuerunt ex proceribus partis Guelphæ Lombardiæ, quod in duplum numero contrarios excedebant, ſperantes partem Gibellinam ab omni poteſtate de præſenti deprimere. Venerunt autem Mediolanenſes & confœderati cum univerſa parte Gibellina & carrigiis prædictis, apud muros Civitatis Vercellarum, & ibi inter Salvium (16) flumen & Civitatem caſtramenta direxerunt: ſperantes de pugna, ut promiſerant & dicebant. Videntes autem prædicti partis Guelphæ tantam multitudinem multorum procerum, baleſtrariorum, & peditum a Mediolano proceſſiſſe, valde fuerunt perterriti; nec non carrigia ordinata, & tam onuſta victualibus, quæ fecerunt ſine marte portam Civitatis Vercellarum ſalva intrare, potius condoluerunt, & inter ſe conſilia inierunt, dicentes, quod prædictum bellum non poterat perfiniri ſine maximo diſcrimine perſonarum. Et quia

(16) Servum, ſeu Cervum nominant nunc Indigenæ.

quia eventus belli dubius eſt, ſi a caſu bellum perderent, quod tota pars Gibellinorum perpetuo divitiis permaneret locupletata, quia Guelphi divitias poſſidebant. Et dum prædicta murmurarentur, præfato Domino Philippo ex parte Domini Mediolani duo botti argentei pleni vino (ut dicebatur in Vercellis & publice) exſtiterunt præſentati. Præterea dum Dominus Petrus .... ex Dominis de Paleſtrino valde probus cum D. barbutis ex proceribus partis Guelphæ Papienſis, pro mittendo Vercellas Salvium flumen tranſire ſtuderet, & ipſe qui præcedebat, volens videre caſtramenta partis Gibellinæ, & qualiter procedebant, levata viſeria barbutæ (17), uno verettono (18) in fronte exſtitit vulneratus, & taliter quod ab equo ſubito cecidit interfectus. Alii vero ſocii ſubito ſugerunt, alia virtute non oſtenſa. Attamen Mediolanenſes bellum quotidie exſpectantes, cogitaverunt a bello ceſſare. Et communicato ſapienti conſilio, decreverunt potius præfatum Dominum Philippum de Vercellis recedere, quam bellando ipſum occidere, nolentes Domum Franciæ animare ad vindictam contra ipſos faciendam; & ipſum aliis donis ſtuduerunt demulcere. Et ſic ſagaciter ſe geſſerunt, quod prædicti Dominus Philippus & Raymundus ſine bello cum gentibus ſuis receſſerunt a Vercellis. Et poſt paucos dies Advocati cum gentibus ſuis private noctis tempore de ipſa Civitate receſſerunt, ubi uſque ad præſentem diem Domus ipſorum in ipſam Civitatem non redivit. Et Mediolanenſes cum aliis confœderatis & magno gaudio ad propria rediverunt. Præfatus autem Papa Joannes prædictis auditis doluit, & indignatus contra præfatos Dominos Philippum & Raymundum, flevit

(17) Vide infra Notam 115.

(18) Verettonum, Sagittam majorem a valida Baliſta emiſſam eſſe, evincunt textus a Du-Cangio relati, inter quos, etiam præſentem citat.

flevit amare, non ſperans deinde de victoria Lombardorum; & volens malum velle contra Mediolanenſes, & confœderatos propalare, quum dicatur: *Nihil tam occultum, quod non reveletur*, ipſis jam, ut ſupra, excommunicatis Beneficia Eccleſiaſtica interdixit, nolens alicui Gibellino Beneficium conferre. Sed habentes Beneficia, pro ſuo poſſe privavit & depreſſit. Nec contentus de Beneficiorum depreſſione, temporaliter etiam partem Gibellinam, ut potuit, deprimere curavit. Exactis prædictis, Dominus Papa antedictus in intentione graviori perſiſtens, præmiſſos Gibellinos, & alios Lombardiæ in mari terraque ſtuduit & ab alio latere propulſare, adhærens Regi Roberto, de quo confidebat, & quem ſperavit a via ejus recta non deviare, timore Dei poſtpoſito, glomerationem gentium ſuarum in Janua præparando; & ordine dato quod cum ſuo & Regis Roberti ſubſidio, Januenſes ad arma provocavit. Et factis de Fliſco pluribus Cardinalibus, & Prælatis magnis etiam pluribus partis de Grimaldis ſibi adhærentibus, Nobiles de Spinolis & de Auria cum eorum ſequacibus & potentiſſimis de Janua fecit exilire, dirumpendo domos eorum. Et ſub incendio Januenſes incitavit, & in tantum, quod Regem Robertum in ipſa Civitate pro tempore fecit permanere. Videntes autem prædicta præfati Domini de Spinolis & de Auria, & detrimentum ſuarum perſonarum, & bonorum ſuorum depopulationem, tamquam ſapientes & potentes auxilium a Domino Mediolani & complicibus imploraverunt, quantitatem auri & argenti pro ſtipendiis offerentes. Qui expulſi & adjuncti, addito virtuoſo viro Domino Marco Vicecomite, ſuburbana Civitatis Januæ quantumcumque domibus excelſis, & Turres ibi præeminentes intraverunt, Civitatem ipſam durius obſidendo. Ibique furit pugna in infinitum. Ruunt domus. Per utraſque partes forantur ſcuta ictibus baliſtarum. Clades maxima ſequitur, continuatis prœliis in acumina omnium lancearum cadunt corpora occiſo-

ciſorum; & tamdiu diverſiſque menſibus & diebus duraverunt prædicta ſcelera, quod præfatus illuſtris Rex homicidia abhorrendo, timenſque de perſona, propter magnanimitatem, iram, & aſtutiam inimicorum, cogitavit ab ipſa Civitate ſe abſentare. Nec mirum, quia dum conflictus innumeris prœliis perdurabat, præfatus illuſtris Rex conſuevit in introitu Civitatis ipſius Palatium unum ſitum apud introitum Civitatis, tamen ultra introitum in longo protenſum, ſpatiando aſcendere, & videre qualia procedebant ex utraque parte commiſſa. Quæ videns unus ex Teutonicis ſub ſtipendio Domini Mediolani cogitavit prædictum Palatium diruere, ipſo inclyto Rege ſuper Palatio permanente. Et dum de præſenti fundamenta ipſius Palatii clam fodiſſet, & dictos muros lignamine fulciſſet, facta cava, ut eſt moris, tapponando (19) exſpectata hora, quod dictus inclytus Rex conſueverat prœlia ſpeculari, inito prœlio & commiſſa pugna etiam fortiori, in ipſis lignis tapponi igne accenſo, Rex antedictus Palatium non aſcendit ea die: quod proceſſit gratia divina, nolente tantum ſcelus in perſonam præfati inclyti Regis perpetrari. Et merito, quia omnibus liberalibus Artibus exſtiterat eruditus. Nec mora. Palatium id cum aliquibus, qui aſcenderant, totaliter ruinavit. Propter quæ licet inclytus Rex antedictus timorem non oſtenderet, tamen in mente pavit, & potius per alia de vita dubitavit. Quo receſſo per mare, & in Apuliam

(19) Cuniculos infra terræ ſuperficiem excavare, eoque modo ſubtus Murorum fundamenta penetrare, egeſtaque terra, eadem ligneis ſuſtentaculis fulcire, quibus poſtea, igne impoſito conſumptis, murorum tractus corruebat, mos erat antiquis in Urbium, & Caſtrorum obſidionibus, idque *Taponnare* vocabant; nomine ex Talpa cuniculos excavante, derivato, quam vulgo *Tappone* vocant. Nunc vero appoſito ſub fundamentis Pyrio pulvere, res efficacius, ac citius peragitur, ut cuique notum eſt. Italice dicitur *Minare*.

permeante, & parte Guelpha inſultus aſſiduos ſuſtinere non valente, Januam ſuo tempore dimiſerunt, in qua Domini Girardus de Spinolis Major Domus, & Bernabos de Auria dominio potiti ſunt. Et imperialiter peragentes, Domini permanſerunt, Caſtris & aliis fortalitiis perquiſitis. Et taliter peragentes, quod uſque ad præſentem diem Domini de Fliſco pro morando Civitatem ipſam non intraverunt. Diebus autem illis, videlicet MCCCXV. de menſe Julii, Dominus Ugucio de la Faxola cum univerſa parte Gibellina Tuſciæ, & quæ dominabatur Civitatibus Piſarum & Lucæ, dedit conflictum apud Montemcatinum (20) Principi fratri Regis Roberti, & univerſæ potentiæ Florentinorum, & partis Guelphæ Tuſciæ. In quo conflictu multi Guelphi perierunt, & pars Gibellina in Tuſcia incœpit augmentari.

CAP. VI.

Galeatius Vicecomes.

GAleatius autem primogenitus Domini Matthæi Vicecomitis (21), dominio Mediolani potitus eſt poſt mortem Illuſtris Romanorum Imperatoris Henrici (22) ſem-

(20) Notabilem hanc Pugnam die 29. Auguſti dicti anni 1315. eveniſſe, tradit Joannes Villani R. I. T. XIII. col. 477.

(21) Galeatium Vicecomitem Matthæi & Bonacoſſæ de Burris filium, natum fuiſſe eadem nocte, qua Otto Archiepiſcopus in Oppido Dexii eam Turrianis intulit cladem, quæ ipſum ad Mediolani Dominium evexit, nocte nempe præcedente diem 21. Januarii, Sanctæ Agneti dicatum, anno 1277., eique ob frequentem ac inſolitum, dum naſceretur, Gallorum cantum, *Galeatii* nomen datum fuiſſe, tradit Corius ad eum annum.

(22) Galeatius Vicecomes, Mediolani Dominium obtinuit poſt mortem Matthæi Patris, hoc eſt menſe Junii anni 1322. Vide Notam 14. Certe poſt mortem Henrici, quæ anno 1313. evenerat.

ſemper Auguſti & claræ memoriæ, qui credens in Volaterra Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cum clementia & paſſione ſuſcipere, per Fratrem Minorem in Hoſtia tanti Domini extitit venenatus (23). Videnſque, quod ab il-

F 2 lece-

(23) In Senenſi agro, non Volaterrano, Henricum VII. Auguſtum obiiſſe, certum eſt; neque Fratri Minori, ſed ex Ordine Prædicatorum, ejus mors, immerito tamen, crimini data. Ex ejus, ac proximi ævi Scriptoribus nonnulli in eam deſcenderunt ſententiam, ut ipſum, veneno in ſacra Hoſtia dato, extinctum crederent, ex quorum numero ſunt Author Hiſtoriæ Parmenſis R. I. T. XII. col. 732. B. aliique. Plures de hac re dubitative locuti ſunt, inter quos, ut cæteros omittam, Bonincontrus Morigia in Chronico Modoetienſi, ad annum 1313. R. I. T. XII. col. 1110. C., tradit Henricum Imperatorem apud Bonconventum infirmatum fuiſſe, ac mortuum, addens: *alii dicunt propter fluxum ventris, alii ex veneno, in Eucbariſtia a quodam Religioſo dato*.

Sanioris tamen judicii Scriptores, fabulam eſſe contendunt. Audi Ptolomeum Lucenſem, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 24. R. I. T. XI. col. 1240. E. ſic loquentem: *Eodem tempore circa menſem Auguſti, Imperator in Comitatu Senenſi exiſtens apud Bonconventum, & quaſi languens infirmatur, & moritur, &, ut dicitur, multum devote, delatumque eſt corpus ejus Piſas. Moritur die 24. Auguſti morte naturali, quamquam aliqui malevoli dixerunt, quod fuit datum ſibi venenum in Eucbariſtia. Infirmitas autem ipſa incœpit ab Apoſtemate in coſta, inde venit ad Febrem, de qua decima die moritur, ſicut a fide dignis accepi, qui fuerunt præſentes*. Vides authorem Lucenſem, ideoque Bonconventui vicinum, a viris fide dignis & teſtibus oculatis, morbi prorſus naturalis ſeriem referentem.

Sed, ut magis appareat, unde fabula hæc originem traxerit, ne pigeat quæſo, Ferreti Vicentini teſtimonium audire. Hic refert „ Cæſarem
„ ſeu labore aſſiduo, ſeu immoderato ætheris calore, languorem primo
„ ſenſiſſe, Capitis concomitatum dolore; Phlebotomia curandum dicebant
„ Medici, niſi Sol Leonis ſignum eo tempore percurrens, id, juxta eorum
„ præcepta, vetaret. Supervenit inde inter inguen, & genu Apoſtema.
„ Quietem ſuadebant Medici, ſed Cæſari Piſarum ſedem, ju‍ſtis de cauſſis
„ commutare placuit. Egreſſus itaque, verſus Senarum Urbem ſigna con-
„ vertit, & apud Caſtilionis Oppidum, nocte quievit; mane facto, trans-
„ fretato Umbone fluvio, juxta Bonconventi Pagum Caſtra diſpoſuit; ſed
„ ingra-

„ ingraveſcente Febri , atque Apoſtemate nullis cedente remediis , contra
„ Medicorum conſilium , equum aſcendere , atque ad Senarum Urbem
„ propius accedere placuit , hortatu Nicolai de Bonſignoribus , qui eam fa-
„ cile propter inteſtinas diſcordias obtinendam ſuadebat ; huic ſpei cum
„ exitus non reſpondiſſet , Caſtra repetit , & jam repentino motu , diu-
„ turnique laboris æſtu flagrans , gelidas pleno ſcypho aquas ſitibundus
„ hauſit , toroque jacens , ardorem ſedare nititur . Sed Febris immenſa ,
„ geminis aucta caloribus , ſubito membris irrepſit ; arebat guttur anhelo
„ pulmonis flatu , atrox urgebat caput dolor , cibos abhorrens , ſolo aquæ
„ nectare non ſatiabatur , nulla nocte quies . Adventante luce tertia , cum
„ Medici nulla prodeſſe remedia viderent , morbo ſemper invaleſcente , de
„ ſalute deſperantes , catholicis illum muniri Sacramentis , hortati ſunt .
„ Comes Sabaudiæ , qui Cæſari gratior , a Proceribus rogatus , compoſitis
„ verbis rem ei aperuit , qui mentis ſuæ compos , id fieri , prorſus exop-
„ tat . Adducto itaque viro auctoritatis eximiæ ſub regula Beati Dominici
„ militante , eidem confeſſus reatus ac noxas Cæſar , ac devote pœnitens ,
„ conceſſa pie venia , aſſumpſit verentiſſime Divini Verbi Sacramentum ,
„ ac demum hoc morbo in ſeptendium prolato occubuit ; quod X. Kal.
„ Septembris anni 1313. eveniſſe affirmat „ . Addit præcitatus Author ,
Cadaver Piſas delatum , ut in Prædicatorum Eccleſia tumularetur , ſed do-
loſo alicujus ex Aula ſermone , inter Milites diſſeminatum , Cæſari in
Sacra Hoſtia venenum propinatum fuiſſe , eaque de Cauſſa , ipſum extin-
ctum eſſe ; quæ res inter rudes , ac ſuſpicioni , ut notum eſt , natura
proclives homines tantam invenit fidem , ut multi in furorem adacti , in-
ter Religioſorum Clauſtra , impetuoſis tumultibus irruentes , nonnullos
metu Regulares , ſecretis thalami cubilibus latitantes , quoſdam vero
ante ipſas Templi Aras , confoderent . Hoc ſcelus , fabulæ apud multos ,
fidem fecit .

Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 698. C. dicunt Monacum quendam natione Teutonicum authorem fuiſſe hujus , contra Ordinem Prædicatorum , calumniæ , quam inter Milites ſparſit . In proceſſu autem temporis , ad Pontificem Joannem XXII. acceſſiſſe , eique confeſſum ex ſola malitia eum Ordinem infamandi , hoc feciſſe . Pontificem vero , ſuis ad diverſos Principes epiſtolis , facti veritatem declaraſſe , ac innocentiam Ordinis Sancti Dominici .

Hæc fuſius proſequi placuit , ut tandem intelligat Lector , quid de hac re credendum ſit . Videri etiam poteſt Natalis Alexander Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ T. VII. pag. 262. & ſeq.

Ejus ſepulcro ſequens inſcriptum fuit Epitaphium , referente Joſepho Martin. in Theatro Baſilicæ Piſanæ T. I. col. 32.

HOC

lecebris Eccleſiæ Paſtoris non poterat perdurare, procuravit verbo & opere de ſtatu Imperiali augendo, quantum potuit. Et vacante Corona Imperii, nobilis vir Dominus Ludovicus Bavariæ Dux & Elector electionem Imperialem, conſentientibus Electoribus Alamanniæ, obtinuit, quamquam per alium Ducem Auſtriæ, favente Eccleſia, labores maximos fuerit perpeſſus. Unde præfatus Ludovicus a præ-

---

HOC IN SARCOPHAGO
NON QUIDEM SPERNENDO
HENRICI
OLIM LUCEMBURGENSIS COMITIS
ET POST HÆC
SEPTIMI HUJUS NOMINIS
ROMANORUM IMPERATORIS
OSSA CONTINENTUR
QUÆ SECUNDO
POST EJUS FATUM ANNO
VIDELICET MCCCXV.
SEXTILIS PISAS TRANSLATA
SUMO CUM HONORE
HOC IN FANO
AD HANC USQUE DIEM
COLLOCATA PERMANSERE.

Subtus viſitur Aquila, ungulis geſtans epigraphen, fortitudinem, ac ſufficientiam noſtram, ex Deo eſſe indicantem; cujus tenor eſt.

QUIDQUID FACIMUS
VENIT EX ALTO

præfato Joanne Papa noluit coronari. Et tandem opere præfati Domini Galeatii, & obtenta victoria in Alamannia contra Ducem Auſtriæ, qui in campo comparuerat occaſione Coronæ, & ſuccubuerat, Mediolanum accedere procuravit pro Corona ſaltem Ferrea in Modoetia recipienda.

CAP. VII.

Ludovicus de Bavaria Imperator.

PRæfatus itaque Ludovicus Bavarus vices Imperii gerens (24), formoſus perſona, nobilis valde, literatus,

(24) Poſt Henrici VII. obitum, vacaſſe Imperium a die 24. Auguſti 1313. ad 19. Octobris 1314. rerum Germanicarum Scriptores tradunt, quo tempore inter Fridericum Auſtriæ & Ludovicum Bavariæ Duces, quamvis conſobrinos, officiis, ſponſionibus, omnique arte, concertatum eſt, ut Electores in ſuam quiſque traheret partem. Comitiorum die 19. Octobris, abſentibus Colonienſis Archiepiſcopi, & Rodulphi Palatini Comitis, Nunciis, in craſtinam diem prolata electio. Bavarus Francofurti degens, cominus rem ſuam tuebatur. Auſtriacus Saxenhauſii in oppoſita Mœni fluvii ripa conſidens, eminus urgebat. His de cauſſis diſpar Electorum ſententia: Moguntinus, Trevirenſis, Bohemus, Brundeburgenſis, pro Bavaro ſteterunt. Colonienſis, Palatinus, Saxonicus, pro Auſtriaco, cui ſymbolam adjiciebat ſuam Carinthiæ Dux, qui Bohemiæ Regnum, & votum ſibi debitum aſſeverabat, cum Vinceslai Filiæ primogenitæ ipſe nupſiſſet; altero etiam ex Brandeburgi Marchionibus, ejus Marchiæ jura, & votum ſibi aſſerente. Ludovicus Aquiſgranum profectus, a Moguntino Archiepiſcopo Coronam Imperii accepit; Fridericus a Colonienſi, Bonæ coronatur. Uterque ſe canonice electum jactabat.

Quæſtionem armis dirimendam cenſuerunt ambo. Ad arma igitur concurſum fautorum auxilio, ac incerto Marte pugnatum, vaſtatis, ac peſſumdatis pluribus Germanici Regni Provinciis, uſque ad annum 1322, quo prope Muldorphium atrox inter utrumque exercitum, pugna fuit. Fridericus fuſis dejectiſque brevi ſpatio Ludovici Phalangibus victoriam jam manu ſtringebat,

gebat, cum Bavaræ Militiæ Dux quidam nomine *Scuperman*, collectis profugis, ac nova inſtructa Cohorte, Auſtriacos jam victores, ac ſolutis ordinibus predæ intentos, tam opportune aggreſſus eſt, ut hoſtium fugam ſimulatam fuiſſe, ut eos in inſidias traherent, ſuſpicati victores, terga non cunctanter verterint, maxima eorum ſtrage, capto Friderico ipſo Auſtriaco, quem quinquaginta occidiſſe Milites propria manu, afferebant; capto etiam ejus Fratre Henrico, lethalibus ſauciò vulneribus, captis præterea cæteris Exercitus Ducibus, quibus mors pepercerat.

Deducto ad Caſtri Tranſvirzenſis carceres Friderico, in quibus triennio cuſtoditus eſt, pacem cum plerifque contrariæ partis Principibus firmavit interim Ludovicus, quem in legitimum Cæſarem recognoſcere, non detrectarunt. Cæteri armis ad id coacti, inter quos Comes Palatinus ejus Frater, quem, quia ſuffragium in electione Friderico dederat, & contra Fratrem conſpiraverat, Dominio expulſum, ac omnibus expoliatum fortunæ bonis, in Angliam confugere coegit, ubi pauperem miſeramque vitam, tandem cum morte commutavit.

Joannes interim XXII. Pontifex in Ludovicum iratus, quod Imperialem dignitatem abſque ejus approbatione, & conſenſu occuparet, Auſtriacos Fratres, alioſque Germaniæ Principes contra illum inceſſanter excitabat; quæ etſi irrito tunc ſucceſſu agerentur, ne tranquillam Imperii poſſeſſionem aliquando turbarent, Moguntini Archiepiſcopi conſilio, pacem cum Friderico Auſtriaco firmavit Ludovicus, eumque libertati reſtituit certis pactis conventionibus, quarum præcipua, quod ipſo vivente Imperialem dignitatem ac titulum omnino dimitteret. Hæc ut confirmarent pacta, apud Morpachum convenere ambo Principes, ac reciprocis amplexibus, vetere renovata amicitia, inconcuſſam ſervare fidem jurejurando promiſerunt. Hæc anno 1325. peracta ſunt.

Rebus Germanici Imperii tali modo compoſitis ad Italicum Regnum mentem convertere, Ludovico conceſſum eſt. Requiſitis itaque, atque obtentis ab Imperii Principibus ad Italicam expeditionem neceſſariis, ac conſuetis ſubſidiis, iter ingrediente anno 1327. ſuſceptum eſt. Quæ in Italia fecerit Ludovicus, ſequentibus Notis 25., 28., & 41. videre licet, ibi ad illuſtrandum Azarium, opportuniori loco reſervata. Hoc interim addendum Ludovicum, Scriptorum conſenſu natum fuiſſe anno 1284., obiiſſe vero 1346. die 11. Octobris, dum Urſum perſequeretur, ab equo delapſum, apopletico credunt ictu perculſum. Vide Joannis Villani Hiſtor. lib. 12. cap. 15., & R. I. T. XIII. col. 983. B., Vide *D. Heiſs Hiſtoire de l' Empire livre 2. chap. 26.*, Tomis duobus impreſſum Amſtelodami, qui poſt alios ſcripſit.

tus, probus, ſagax, & expertus cœpit dominio Mediolani velle frui. Nec mirum, quia Civitas Mediolani multum erat jam reſtituta, guerris aliqualiter ceſſatis, ut inferius dicetur, etiam quia aliqui ex ſolitis eſſe Mediolano confœderati, prædicta perſuaſerunt, & de Civitatibus Mediolano adhærentibus, nolentes, quod Mediolanum tam creſceret, quod medullas ipſarum Civitatum abſorberet. A quibus conſilium tale ipſi Ludovico datum proceſſerit, omittitur (25). Sed veniendo in Lombardiam per Cumas per-

(25) Prudenter quidem Azarius omittit hoc loco nomina eorum, qui Ludovico Galeatium ſuſpectum reddidere, multiſque apud eum inſimulavere calumniis; Marcum enim ejuſdem Galeatii Fratrem, ac Lodriſium Vicecomitem ei ſanguine junctum inter primos nominare debuiſſet; quod quidem homini, qui Matthæi ſecundi, ejuſdem Marci Nepotis, ſtipendia merebatur, ut ipſe de ſe prodit Cap. X., omnimode evitandum erat. Cum tamen ſimili abſque dubio de cauſſa, ea ſilentio gravia quæque prætereat, quæ Galeatio hoc tempore acciderunt, brevi eadem recenſere ſermone, Lectori gratum fore confido.

Cum igitur Ludovicus Bavarus, menſe Februario anni 1327. a Galeatio, aliiſque Gibellinæ factionis Principibus contra Pontificis, Roberti Regis, ac Florentinorum potentiam evocatus, Italiam verſus ſuſcepiſſet iter, atque Veronam eſſet ingreſſus; Lodriſius Vicecomes turbidi vir ingenii, ac Marcus Galeatii Frater, animi ferocia ac bellica laude clarus, ſed ob id ſuperbus, & fraterni dominii impatiens, a Lodriſio etiam ſeductus, officii ſimulatione obviam Cæſari euntes, ipſi plura contra Galeatium aperuerunt; eum ſcilicet cum Pontificis Legato, de ineunda pace, ac fœdere tractatum habere; Mediolani Dominium pro arbitrio tyrannice regere, pluraque alia, quibus leſæ Majeſtatis reum inſimulare ſatagebant, Cane Scaligero viro aſtuto, qui ex aliena diſcordia commoda ſibi obventura ſperabat, ſymbolam ſuam ad hæc conferente. Dicunt ejus ævi Scriptores, Galeatium intellecta Fratris proditione dixiſſe *Marcus ſe ipſum vulnerat*. Quod cum Marco relatum fuiſſet, reſpondiſſe: *Galeatius vult eſſe ſolus, & ſolus erit*.

Procedente poſtea per Vallem Camunicam Ludovico, Novocomum ingreditur, ibique Galeatium obviam habuit, omnia obſequia, ac ditiſſima offerentem munera. Cæſar præmiſſis Mediolanum 4000. Equitum, ipſe cum Uxo-

Uxore, die 12. Maji poſt meridiem anno 1327. Modoetiam ingreſſus eſt, Mediolanum vero ſequenti die pervenit. Ibi, regiis vere ſumptibus a Galeatio hoſpitio exceptus, die prima Junii, Ferrea ab Epiſcopis Aretino, & Brixienſi, in Divi Ambroſii templo, Corona redimitus fuit; magno ad hanc rem Optimatum, ac Procerum Italiæ concurſu, & maximo Galeatii Diſpendio. Quo non obſtante Cæſar prædictus, die quinta Julii, Galeatium cum ejus Fratribus, Joanne, ac Luchino, & Azone Filio, dominio expoliatum, ac duro carceri in Caſtro Modoetiæ, ab eodem Galeatio conſtructo, mancipari juſſit.

De hoc conveniunt ejus ævi Scriptores, non tamen eandem aſſignant cauſſam. Bonincontrus Morigia in Chronico Modoetienſi R. I. T. XII. col. 1150. D., quem ſequitur Corius ad annum 1327., tradunt Stephanum, minorem Galeatii Fratrem, inter Ludovici Aulicos adſcitum, dum die quadam, Pincernæ officio ad Cæſaris menſam fungeretur, ac de more præguſtato ejuſdem vini hauſtu fidem ſeu, ut ajunt, credentiam feciſſet, protinus infirmatum eſſe, & poſt paucos dies, ut ipſe Morigia loquitur, obiiſſe; quamobrem Cæſari perſuaſum, quod venenum ipſi propinare, intentio fuerit. De qua re ſuſpicio, cum præcipue, ſuper Galeatium, ac Fratres ipſi adhærentes, caderet, ideo Carceri fuiſſe mancipatos. Res tamen ſupra fidem videbitur, ſi conſideres, Pincernam vix modicum vini, ſummis labiis deguſtare, moris eſſe, Principe, nulla interpoſita mora, poculum plenum abſorbente; quapropter, ſi venenum vino commixtum fuiſſet, citius Imperator, quam Picerna, extinguendus erat: cum tamen Cæſarem nullo tentatum incommodo, legamus. Non deſunt tamen qui dicunt Stephanum, Cæſaris juſſu poculum, quod ipſi porrigebat, bibere coactum fuiſſe, eaque de cauſſa mortuum eſſe. Nec tamen veroſimile videtur Galeatium, ſi tantum ſcelus in animo habuiſſet, Fratrem ſanguine, & amicitia ſibi junctum, ad hoc perpetrandum facinus, ſelegiſſe; quin potius ipſum ea die, a Pincernæ officio, avertiſſe, ſi non alia, ea certe de cauſſa, ne Cæſaris mors, ac mortis vindicta, ſuper ſe & ſuos caderet.

Azarius noſter, ut infra videbimus, Stephanum ob excedentem cum Ludovico compotationem, quod veroſimilius eſt, extinctum dicit. Stephanum ſepulturæ traditum in Eccleſia Sancti Euſtorgii, in Sacello Divo Thomæ de Aquino dicato, prope Matrem, & Sororem, die 5. Julii anno 1327. tradit Galvanus Flamma, Manipulo Florum, R. I. T. XI. col. 731. D., qui dicit eadem die, qua Stephanus ad ſepulcrum deferebatur, ejus Fratres ad Modoetiæ carceres, translatos fuiſſe.

Alii vero Authores, Ludovici avaritiæ rem hanc tribuendam cenſent: bimeſtri enim ſpatio, hoſpitio exceptus Cæſar, ejuſque Proceres, totaque

G Aula

pertranſivit. Et in tantum error ille crevit, quod Dominum Bertoldum de Morſtetem, dictum de Niffem, Vicarium pro Imperio in Mediolano conſtituit. Franchinum & fratres de Ruſconibus de Cumis Vicarios Imperiales fecit. Robaldonum & Calcinum fratres de Torniellis de dominio Civitatis Novariæ inveſtivit; Ricardum de Tizionibus, Suzium de Soramontis de Civitate Vercellarum, & reliquos in aliquibus Civitatibus Lombardiæ, de quibus, quia nimis effari prolixum, tacetur ad præſens. Privilegia Imperia-

Aula a Galeatio; Soluta præterea Imperatori, diverſis vicibus magna auri vi, cum Ludovicus aviditate inſatiabili, & gravis & importunus ſemper exiſteret, novaque poſceret, pro ſolvendis Militibus ſtipendiis, ſubſidia; cumque hæc Galeatius conſumpto ærario, ac ſubditis, ad plenam jam defectionem, Marci, Lodriſii, aliorumque impulſu, non abnuente Cæſare, deductis, imponere non auderet, ideoque ſolvere impos eſſet; tunc proſpecto hoc rerum ſtatu, Marcus, ac Lodriſius magna ſtipati Nobilium ſocietate, ad Cæſarem accedunt, petuntque ſupplices, ut æqui juris libertatem Civitati concedat, remota Galeatii tyrannide. Id ſi Cæſari placeat, Mediolanenſes, quantam oporteret pro Militum ſtipendiis pecuniam, præbituros, nec a fide & amicitia Cæſaris, ullo unquam modo, & tempore, ſe paſſuros divelli. Hac ſponſione, quæ Ludovici avaritiam ſuaviter vellicabat, commotus Cæſar, non dubitavit Galeatium Fratreſque, ac Filium, in vincula conjicere, die, ut dictum eſt, quinta Julii 1327. in Caſtro Modoetiæ. Bonincontrus Morigia jam citatus, in Chronico col. 1149. C. diem 7. aſſignat; ſed die quinta Mediolani captum, die vero 7. ad Modoetiæ carcerem traductum, non inveroſimile eſſet, niſi præcedens Flammæ teſtimonium obſtaret.

Poſt hæc Cæſar, reformata Reipublicæ Mediolanenſis adminiſtratione, viros ſelectos 24. ex ſingulis excerptos Tribubus, eidem præfecit, impetrata ſubinde honorarii ſubſidii nomine, pecuniæ magna vi, ac majore quam a Galeatio, popoſcerat, die 3. Auguſti 1327., conſtituto prius Mediolani, Comite Guillielmo Monfortio ſuo Vicario, qui ſummæ rerum, publicoque Conſilio, & tutelæ Urbis cum delecta Germanorum manu præeſſet, impetratiſque a Scaligero, Ateſtino, Paſſarinoque Mantuano, equitum auxiliis, Hetruriam verſus, ſigna movit, Marcum Vicecomitem ſecum ducens.

rialia etiam confirmavit Anno MCCCXXVIII. (26) Dum autem prædicta gererentur, convocato Concilio in Mediolano, & etiam participantibus quampluribus Lombardiæ, & Alamannis, & ſecum ſociatis, & in opprobrium prædicti Joannis Papæ propter ea, quæ committebat contra Imperium, ejuſque participes, ut ſuperius eſt deſcriptum, & alia, de quibus nimis prolixum eſſet enarrare, creaverunt alterum Antipapam (27), creaverunt alios Cardinales, creaveruntque alios Epiſcopos, ipſis in Lombardia beneficia aſſignantes. Et vidi Dominum Joannem de Spaim Alamannum in Sede Epiſcopali Novarienſi ſedere, & Epiſcopatum ipſum poſſidere. Coegeruntque Fratres & Presbyteros Lombardiæ, non obſtante Interdicto Domini Papæ Joannis antedicti, ut habetur ſupra, Miſſas celebrare. Propter quæ Sacerdotes prædicti denegantes, fugerunt, & fuerunt deprædati. Tamen vidi Fratrem Paganum de Lucino de Cumis Fratrem Minorem in Novaria Miſſas celebrare. De nominibus vero Antipapæ & Cardinalium tacetur ad præſens (28). Eo autem tempore dum

G 2 præ-

(26) Anno 1327. hæc Privilegia confirmata fuiſſe veroſimilius eſt, antequam Mediolano diſcederet Ludovicus.

(27) Non Mediolani hoc facinus peractum, ſed Romæ. Vide Notam ſequentem.

(28) Dum Ludovicus Bavarus Romæ commoraretur, Imperii Coronam accepit die 17. Januarii anni 1328., prout videre licet in Joannis Villani Hiſtoria lib. X. R. I. T. XIII. col. 631. C., qui tamen anno 1327. hoc accidiſſe dicit; obſervandum tamen eſt, Hiſtoricum Florentinum, annos numerare juxta ſuæ Nationis morem, quæ annum incipiebat die 25. Martii poſt Nativitatem, ut ſuperius explicavi, ideoque diem 17. Januarii 1327., reſpondere anno 1328. juxta aliarum Nationum computum, quæ a Chriſti Nativitate, annum incipiebant. Anno poſtea eodem, die vero 21. Maji, a Nicolao Pſeudopontifice, ejus juſſu poſtea electo, iterum Imperiali Corona ornari voluit. Cumque intellexiſſet Ludovicus, Pontificem Joannem XXII.,

ex-

excommunicationis Decretum contra ipſum promulgaſſe, quod una cum cæteris hac occaſione ab eodem Pontifice actis, videre licet apud Edmundum Martene, Theſauri novi Anecdotorum T. II., & in Codice Italiæ Diplomatico Joannis Chriſtiani Lunig, vehementi concitus ira, novum eligere Pontificem inſtante maxime Populo Romano, conſtituit. Sententiam ideo contra eundem publicavit Joannem, quem Jacobum de Oza de Cathurco, ſimpliciter nominabat, ipſum tamquam Schiſmaticum, prophanum & Hæreticum, caſſum, & reprobatum, amplius pro Pontifice non eſſe habendum, decernens, quam Sententiam videbit Lector in Chronico Siciliæ apud Edmundum Martene, loco citato, ac etiam R. I. T. X. col. 901. B.

Procedens inde ad novi Pontificis electionem, die 12. Maji dicti anni 1328., convocato Ludovici juſſu, ſummo mane in Divi Petri Eccleſia univerſo Clero, Populi Capitaneis, Majoribus Urbis, atque Aulæ optimatibus, Fratrem Petrum de Corvaria accerſiri mandavit, eumque elevato ſubſellio, ſedere jubens, ter elatata voce Populum interrogante Venetiarum Epiſcopo, an Fratrem Petrum, pro Pontifice habere placeret, & Populo affirmante, Ludovicus electionem approbavit, & confirmavit, indicto Nicolai V. (alii IV. dicunt) nomine, ac ipſi Annulum porrexit, ſacro amictu induit, & dexteræ aſſidentem voluit. Inde poſt Concionem Populo factam a Fratre Nicolao de Fabriano, cujus fuit thema: *Reverſus Petrus ad ſe dixit; Venit Angelus Domini, & liberabit nos de manu Hærodis, & de omnibus factionibus Judæorum*; Celebrato poſtea ſolemniter Miſſæ Sacrificio, ab Eccleſia ordinatim procedentibus omnibus, magna pompa ad ædes, & prandium, novus Pſeudopontifex deductus eſt.

Frater hic Petrus de Corvaria, ſeu ut alii volunt, de Corbaria, ſi Amalrico Augerio in Vita Joannis XXII. R. I. T. III. parte 2. col. 492. A. credimus, vocabatur Petrus Rainallucii de Corbario, Reatinæ Diœceſis, a patre ſuo ruſtico & paupere, ſic dictus; uxorem habuit Joannam Matthæi de Corbario, cum qua conjugaliter cohabitavit annis quinque, poſtea ea invita, vivente, ac deſerta, Ordinem Fratrum Minorum ingreſſus eſt. Ipſum plures poſtea creaviſſe Cardinales, tradit Chronicon Senenſe R. I. T. XV. col. 80. E., inter quos nominat: *Meſſier Franceſco d' Alemagna, che era Veſcovo d' Albano, Meſſier Jacomo Veſcovo di Vinegia, Meſſier Pietro Onichi di Roma, Meſſier Giovanni Arlotus di Roma, Nicolao da Fabriano de Frati Minori, Meſſier Fra Ermonico Tebaldi, di Santo Statio di Roma, Frate Minore.* Quibus addi poteſt Joannes Vicecomes, Galeatii Frater, creatus poſtea anno 1329. die 29. Januarii, teſte Joanne Villani lib. X. cap. 117. & R. I. T. XIII. pag. 674. E., qui tamen annum indicat 1328., ſed more Florentino intelligendus eſt, ut ſupra monui. Idem Joannes Villani Hiſtoriarum lib. X. cap.

73,

73. R. I. T. XIII. col. 645. D., die 15. Maji, ſeptem creatcs fuiſſe a Pſeudopontifice Cardinales, tradit, ac prædictis Abbatem Sancti Ambroſii Mediolani, adnumerat. De Cardinalium promotione ab eo facta, vide Notas ad vitas Pontificum, factas a D. Petro Ginnani Priore Benedictino, Sancti Vitalis Ravennæ R. I. T. III. parte 2. col. 518., vide etiam Alphonſi Ciacconii Vitas Pontificum Romanotum T. II. col. 443., qui Joannem Vicecomitem, Monachum fuiſſe Ciſtercienſem, & Abbatem Sancti Ambroſii dicit. Hoc etiam affirmat Bartholomeus Areſius in ſerie Abbatum Sancti Ambroſii Mediolani pag. 36., qui tamen fallitur, dum ipſum inaugurationi Ludovici Bavari a Nicolao V. Pſeudopontifice Romæ facta, interfuiſſe dicit; cum eo tempore Joannes, in Modoetiæ Caſtro, carceri mancipatus jaceret. Vide Bonincontri Morigiæ Chronicon Modoetiæ R. I. T. XII. col 1151. B. Fallitur etiam Areſius, cum credit Joannem Vicecomitem, Petri Vicecomitis Filium fuiſſe; Matthæi enim, & Bonacoſſæ de Burris Filium, una cum Galeatio, aliiſque Fratribus fuiſſe, nemo ignorat.

Non deſunt tamen Scriptores, qui prædictum Petrum de Corbaria, virum ſpectatæ probitatis, & ſanctimoniæ, deſcribant, inter quos Joannes Villani Hiſtor. lib. X. cap. 71., Albertinus Muſſatus in Ludovico Bavaro R. I. T. X. col. 774. C., aliique; ad Pſeudopontificatum vero, invitum, ac reluctantem, Ludovici timore, & amicorum violentia, vix trahi, ſe paſſum.

Infelici tamen exitu dignitatem occupavit; nam expulſo Roma, Auguſti menſe, Ludovico, indeque in Hetruriam profecto, ac poſtea in Langobardiam, denique menſe Decembris 1329. in Germaniam ſe recipiente, profugus Roma, cum ipſo diſceſſit Petrus, atque Piſis aliquandiu commoratus, cum inde diſcedendi inſtaret neceſſitas, per tres Menſes in Caſtro Bargari 35. a Piſis lapide, poſtea in prædicta Urbe, in Domo Bonifacii Comitis Novelli de Donairatico, occultus latuit, uſque ad diem 4. Auguſti anni 1330., quo tempore detecta re, & delata ad Epiſcopum Lucenſem, Comes prædictus, minis ac rerum ſuarum periculo, Pſeudopontificem, Clerico, a Joanne Pontifice ad hoc deſtinato, tradere, coactus fuit, in Vigilia Beati Dominici, anno prædicto. Hic autem Triremi impoſitum, ex Piſano Portu, Maſſiliam ipſum deduxit, indeque terreſtri itinere Avenionem, ubi quamvis proprios confiteretur errores, privare ac publice, veniamque humiliter peteret, ut videre licet apud citatum Augerium, Carceri tamen ad vitam mancipatus fuit. Ejus confeſſionem, vide in Vita Joannis XXII. Papæ ex Bernardo Guidone apud Balutium, & R. I. T. III. parte 2. col. 494., & ſeq.

prædictus Dominus Ludovicus electus ut ſupra, de receſſu a Mediolano tractaret, ut in partes Tuſciæ ſe transferret pro eundo Romam pro Sede Imperiali rehabenda, perquiſitaque magna auri & argenti copia, & pluribus Terris & Civitatibus modo prædicto in Lombardia & Tuſcia ſibi datis, una die faciendo collationem, ipſe Dominus Ludovicus cum majoritate ſuorum, & aliorum Nobilium tam de Mediolano quam aliunde, & cum ſcypho argenteo Nobilis vir Dominus Stephanus Vicecomes, junior filiorum præfati Magnifici quondam Matthæi taliter potavit, quod ea nocte diem clauſit extremum (29). Prædicta autem fuerunt Anno MCCCXXVIII. (30) diverſis in menſibus. Cum quo Ludovico receſſit Dominus Baſſanus Crivellus, qui numquam Mediolanum rediit. Venit autem tempore illo in Mediolanum Magnificus Dominus Canis Primus de la Scala, & volens oſtendere magnificentiam ſuam in Mediolano, infinita expendidit, ut apud Imperatorem crederetur potior Lombardus. Qui Dominus Canis ſtans in domibus Sancti Ambroſii, continuam Curiam tenuit publicam, & apertam: quod numquam facere poterat præfatus Dominus Galeatius propter ſcandala præcedentia & infinitas expenſas, quas Domini Vicecomites tulerant pro principiis acquirendis, nec audebant facere magnalia, occaſione recuperationis pecuniæ. Poſtea, ſedato rumore prædicto, fecerunt. Imo dicitur, quod præfatus Dominus Canis ita prodige expendere voluit, ut curaverit, quod venalia ſelvaticinarum, gallinarum, pullorum, & ſimilium in Mediolano non reperi-

(29) Vide quæ de hac re dicta ſunt Nota 25.

(30) Non anno 1328. ſed 1327. evenit mors Stephani Vicecomitis, antequam Ludovicus Mediolano diſceſſerit, die 5. Julii eiuſdem anni, ut Nota 25. dictum eſt. Quæ autem electionem Pſeudopontificis, ac Cardinalium reſpiciunt, ea dicto anno 1328. evenere, ut Nota 28. tradidi.

perirentur: quod minime facere potuit. Voluitque tamquam magnanimus introitum & exitum e Civitate Mediolani habere.

Et prædicta præfatus Dominus Ludovicus ſubtacens ac indulgens ipſi Domino Cani propter ipſius Imperialis partis in Lombardia dignitatem ſuſtinendam, patiebatur ac tolerabat. Ex quo præfatus Dominus Canis aperta una Puſterna jam clauſa apud Sanctum Ambroſium, Pontem ſuper foſſa Mediolani ſuis expenſis conſtrui fecit. Quod non valens tolerare præfatus Dominus Galeatius, qui tunc dormitabat, noctis tempore dictum pontem fecit tacite dirui. Deinde videns Dominus Canis, iterato dictum pontem ſuis expenſis refici fecit, dicens, quod volebat pro libito intrare & exire Mediolano. Et iterato prædictus Dominus Galeatius dictum pontem cadere fecit; addens quod nullo modo dictus pons fieret. Et tunc prædicta & alia magnificentiæ verba taliter creverunt, quod Dominus Canis a Mediolano receſſit, & prædictus Dominus Galeatius cum ſucceſſoribus ſciverunt Mediolanum ampliare & magnificare, & per ea, quæ dicentur, ſtuduit & curavit in Mediolano permanere. Mortuo autem ſic proditorie Imperatore Henrico, ut eſt dictum, Dux Guarnerius cum univerſa gente dicti Imperatoris ſub ſtipendiis Gibellinorum ſe firmaverat, & major pars cum Domino Mediolani. Et dum pars Guelfa niteretur a partibus Tuſciæ Lombardiam intrare, Gibellini Lombardi una cum Domino Azzone juvene in Carfagnana ſimul in Altopaſſo loco obviaverunt, ubi diverſimode prœlium fuit commiſſum, in quo pluſquam mille Guelfi gladio perierunt (31). Deinde præfatus Dominus Azzo venit

(31) Die nempe 23. Septembris 1325., vide Hiſtoriam Joannis Villani lib. IX. cap. 304. R. I. T. XIII. col. 578. D., qui hanc Cladem, Mareſchalchi Bornii, qui a Galeatio Eques creatus fuerat, vitio tribuit.

nit cum gentibus illis Mutinam, ubi coadunabatur pars Gibellina pro ſuccurrendo Montemvegium in Valle Semoziæ poſſeſſum per Dominum Paſſarinum de Bonacoſſis (32). Dominum Civitatum Mantuæ & Mutinæ, & qui dictum Caſtrum tamquam Mutinenſe gubernabat, quamvis nunc ſit in Comitatu Bononiæ; pro cujus ſubſidio venerat præfatus Dominus Canis cum exſortio ſuo, & in Mutina erat. Sed quum audivit Dominum Azzonem cum gente Domini Galeatii ad prædictum auxilium venire, propter ſuperius dicta, tamquam verus inimicus Domini Galeatii, receſſit cum gente ſua (33), & Veronam rediit, proponens Civitatem Mantuæ ipſi Domino Paſſarino in reverſione accipere. Quod fuiſſet, niſi quod Dominus Paſſarinus providit, quod in Mantuam ipſe Dominus Canis non permitteretur intrare. Sed non ceſſavit deinde Dominus Canis, donec prædictum Paſſarinum cum ejuſdem filio Franciſchino mori fecit, & dictas Civitates perdere. Obſidebatur tunc Caſtrum Montis-Vegii per Bononienſes & Legatum expulſum a Placentia cum univerſo exſortio partis Guelſæ. Et dicto exercitu non perpendente, Domini Azzo Vicecomes, Paſſarinus, & gens illorum de Ferraria, qui tunc ſimul erant colligati, dictum campum in loco nuncupato Zapulino propinquo Mon-

(32) De eo vide Chronicon Mantuæ, Bonamentis Aliprandi, Antiquit. Italic. Muratorii T. V. col. 1165. D.

(33) Temporum, rerumque geſtarum ordinem, hic iterum pervertit Azarius, vel ejus Amanuenſis. Mortem Henrici anno 1313. accidiſſe, Nota 23. jam dixi, poſt quod tempus ea etiam evenerunt, quæ hic commemorat; ſed certe ante adventum Ludovici Bavari, & ejus moram Mediolani. Quapropter ſimultas Galeatii Vicecomitis, cum Cane Scaligero, quæ dum Ludovicus Mediolani commorabatur, ipſo Azario authore, ortum habuit, nondum exiſtere poterat, anno 1326., imo 1325., quo ea quæ hic recenſet, acta ſunt, cum Ludovicus anno tantum 1327. ingreſſus ſit Mediolanum, ut Nota 25. dictum eſt.

Monti-Vegio & Bazano invaſerunt. In qua invaſione commiſſo prœlio Bononienſes in fugam ſe poſuerunt, in qua fuga quotquot voluerunt ex Bononienſibus & ſtipendiariis ſuis mortui & cæſi fuerunt, quorum non fuit numerus (34). Sed die hodierno oſſa mortuorum tam hominum quam equorum in loco illo apparent. Propter quæ parti Guelfæ male ſucceſſit. Et eſt notandum, quod iſtud fuit prœlium quintum generale, in quibus pars Guelfa perdidit. Et ſi una vice obtinuiſſet, pars Gibellina, in Lombardia ſtare non poterat. Quibus Bononienſibus etiam in dicto prœlio Domini de Panego a Bononia expulſi multum nocuerunt, & magnas vindictas fecerunt in Populum Bononienſem, pro eo quod dictus Populus jampridem ex ipſis duos decapitaverat, nec deinde amici fuerunt. Fuerunt autem prædicta Anno MCCCXXVI. (35) Præfatus autem Magnificus Dominus Galeatius Mediolani Vicarius Imperialis confirmatus, uxorem ceperat nobilis parentelæ de Marchionibus Eſtenſibus de Ferraria, nomine Beatricem (36), quæ nobilem

H

(34) Die 15. Novembris anni 1325., hanc cladem Bononienſibus illatam tradunt Coævi Scriptores, non 1326., ut ſcribit Azarius.

(35) Vide quæ dixi Nota præcedente.

(36) Galeatius Vicecomes, jam de menſe Junii anni 1300. uxorem duxerat Beatricem, Obizonis Marchionis Eſtenſis, die 20. Februarii anni 1292. mortui, Filiam; quæ nupta prius Nino Gallure, qui in agro Piſano loca plura poſſidebat, ejus morte vidua, & Dominio expoliata, ad Azonem Fratrem, una cum Filia, quam ab illo ſuſceperat, Ferrariam confugere coacta fuerat. Nuptiæ celebratæ fuerunt Mutinæ die 24. Junii anno 1300., Vide Corium ad hunc annum; Filiam vero Joannam nomine, annorum octo quam a Nino ſuſceperat Beatrix, Mediolanum duxit, quæ poſtea Riciardo Caminatæ, inter Veronæ Gibellinos, viro primario nupta fuit. Hunc Ninum ex Piſana Vicecomitum Familia fuiſſe, aliqui dicunt. Is, non ſolum in agro Piſano plurima poſſidebat bona, ſed etiam in Sardinia, inter quæ Galluræ Judicaturam. De Beatrice, ac Joanna ejus Filia, vide Dan-

bilem virum Dominum Azonem filium procreavit, & Dominam Rizardam matrimonio copulatam Domino Frailino Marchioni Salutiarum. Curavitque præfatus Dominus Galeatius probus ſtatum ſuum augmentare, quum eſſet induſtria plenus. Et taliter tractavit cum Domino Verzuſio de Lando, quod una die captata, ipſe Dominus Verzuſius cum aliis de Domo ſua de Lando, & ejus complicibus, fugavit Annibalem Legatum pro Sancta Romana Eccleſia, Placentiam Civitatem poſſidentem, & ipſam Civitatem ſub dominio præfati Magnifici Domini Galeatii tradidit & aſſignavit (37), & quampluribus annis poſſedit. Crevitque ſuo tempore diſcordia inter præfatum Dominum Verzuſium & præfatum Dominum Galeatium, occaſione unius nobilis mulieris; & in tantum quod prædictus Dominus Verzuſius cum ſequacibus ſuis præfatum Dominum Galeatium dominio dictæ Civitatis privavit (38), & tenuit brevi tempore.

Dantem Aligherium Purgat. cant. 8. v. 70., de Nino vide ejuſdem Infern. cant. 22. v. 82.

(37) Galeatium, Placentiæ Vicarium conſtitutum fuiſſe pro Imperatore Henrico VII. die 18. Maji anni 1313., tradit Joannes de Muſſis in Chronico Placentino R. I. T. XVI. col. 489. B., eodem vero anno die 10. Septembris electum fuiſſe Dominum perpetuum ejuſdem Civitatis; Muſſo, Corius ad eundem annum conſentit. Jo. vero Villani, eam Urbem obtinuiſſe ſcribit die 24. Julii anno 1312. Hæc tamen facile conciliabit, qui Vicariatum a Cæſare, poſt adeptum Urbis Dominium, obtinuiſſe credat.

(38) Verzuſium Landum, ſeu ut alii vocant Verſutium, parti Legati Pontificis tunc temporis addictum, Placentiæ poſitum fuiſſe, die 9. Octobris anni 1322., ſcribit Joannes de Muſſis, in Chronico Placentiæ R. I. T. XVI. col 493. C., & Joannes de Cornazano, in Fragmentis Hiſtoriæ Parmenſis R. I. T. XII. col. 734. C.; Joannes Villani R. I. T. XIII. col. 525. D. aliique. Adducta enim Militum prædicti Legati, atque exulum Placentinorum Phalange, ad Civitatis Mœnia, clam noctis tempore acceſſit, ubi perforato ab amicis intrinſecis muro, Urbem ingreſſus occupavit; Azone Vi-

re. Deinde dictam Civitatem Dominus Franciſcus Scottus cum parentela ſua & ſequacibus partis Guelfæ poſſedit, expulſis Gibellinis & Bardellis, in parte Civitatis dominium uſque ad recuperationem Domini Azonis, ut infra dicetur, poſſederunt, Eccleſia tamen privata dicta Civitate in Lombardia. Timentes autem Civitates Lombardiæ, ne Mediolanum dominium ipſarum procuraret, ſicut procuravit, fecerunt venire Illuſtrem virum Dominum Joannem Regem Bohemiæ (39) cum multa gente, & qui citius ſine bello do-

H 2

Vicecomite Galeatii Filio, ejuſque amicis, ac Militibus ad fugam coactis. Factus inde a Legato Urbis Rector, in qua dignitate permanſit uſque ad menſem Maji ſequentis anni. Quid autem in cauſſa fuerit, ut Verzuſius Landus, Galeatium Vicecomitem, qua data occaſio erat, acriter inſectaretur, ſi ſcire lubeat, audi Bonincontrum Morigiam in Chronico Modoetienſi R. I. T. XII. col. 1119. A ſic loquentem: ,, Eodem vero tempore ,, (anno nempe 1322.) Vergiuſius de Lando Civitatis Placentiæ Gibellinæ ,, factionis primus, ex odio extra dictam Civitatem exul ſtabat, quia Ga- ,, leaz Matthaei primogenitus, dictæ Civitatis, pro ſua ſtrenuitate Princeps ,, factus, multo tempore, ipſo exiſtente ad quandam ſuam Villulam no- ,, mine Rivaltam, pro Bianchina, miræ pulchritudinis uxore ſua pluries ,, miſerat, quod ad ſui veniret præſentiam, pro ut dicitur, eam carnali- ,, ter cognoſcere volens. Quæ multarum nobilium mulierum, & agnatorum ,, juvenum choro ſociata coram Galeatio, ſecundum mandatum multoties ,, feſtinavit. Cui Galeatius non celati amoris ardens, inquit: non ſociata ,, quod venires pro te miſi, & illa roſeo colore vultum habens perfuſum, ,, ſuis nitentibus oculis, more mulierum amoris indicans ſignis, Galeatio ,, inquit: *intelligo vos Domine mi*, *alias veſtram videbo faciem*. Reverſa do- ,, mum paratis equis, confeſtim ad Villam equitavit, & viro verba Galeatii ,, intimavit, ob quam cauſſam Vergiuſius, cum Galeatio inimicitiam con- ,, trahens, ſponte factus eſt exul; etiam quia ſuperbum Principatum Ga- ,, leatii ægre ferebat, cum deſideraret ipſe in Urbe regnare ,,.

(39) Cum anno 1330. Joannes Rex Bohemiæ Filius Henrici VII. Imperatoris, in Carinthiam veniſſet, aliqua expediturus negotia cum ejus Regionis Duce, ipſius Regis Sororio, pars quæ Brixiæ tunc temporis Dominium occupabat, ab extrinſecis non minus, quam a Veronæ, & Medio-

dominium habuit Cumarum, Bergomi, Novariæ, Vercellarum, Papiæ, Regii, Cremonæ, Brixiæ. Et brevi ipſas ſine bello perdidit, & miſere.

CAP.

---

diolani Dominis, in anguſtiis poſita, Nuncios ſecreto ad dictum Regem deſtinavit, Urbis Dominium, atque Pecuniam pro itineris ſumptibus offerens; hæc cum a Rege hilari animo ſuſcepta fuiſſent, ac in Italiam poſtea deſcendiſſet, Brixiam die 31. Octobris, ſeu ut aliis placet, Decembris, magna Civium acclamatione, ingreſſus eſt, 400. cataphractorum equitum ſtipatus præſſidio. Brixiæ exemplum ſecutum eſt Bergomum, & anno ſequenti, plures Langobardiæ Civitates, Novocomum, Papia, Novaria, Vercellæ, Cremona, poſtea Parma, Regium, Mutina, Luca, & refferente Gualvano Flamma in Opuſculo de rebus geſtis Azonis Vicecomitis R. I. T. XII. col 1003. D. Mediolanum, certis tamen prius pactis legibus, quarum non ultima fuit, dictum Regem Mediolani ſuum Vicarium conſtituere debere, Actium Vicecomitem. Quod Gualvanus in Opuſculo nuper citato, conſtare dicit, ex Regiſtro illorum de Panigarolis, quos de *Paganoris* per Amanuenſis errorem nominat. Commoratus in Italia Rex, uſque ad initium Junii ſequentis anni 1331., quo tempore relicto Carolo ejus Filio, qui cum 800. equitibus Provinciam regeret, ipſe in Galliam, ut cum Rege, & Pontifice plura de rebus Italici Regni conſuleret, profectus eſt.

Poſt ejus diſceſſum, plures ex prænarratis Urbibus, eadem, qua ipſas conquiſiverat facilitate, ab eo defecerunt. Brixia, malorum, quæ ab Henrico VII. ejus Patre ſuſtinuerat, memor, ac novæ arcis conſtructione laceſſita, die 14. Junii 1332. in Dominium Martini Scaligeri, nonnullorum Civium conſenſu, ac fraude, tranſiit. Bergomo menſe Septembris exemplum imitante. Papia menſe Novembris ejuſdem anni, ab Actio Vicecomite occupata. Reverſo ſequente anno 1333. in Italiam Rege, Bononiam die 3. Aprilis ingreſſus eſt, ubi frequentibus cum Legato Pontificis conſultationibus celebratis, in Hetruriam proceſſit. Inſtaurandi autem Dominii ſpe deperdita, ac extorta a ſubditis Civitatibus maxima, quam potuit, pecunia, menſe Octobris 1333. una cum Filio, & ſuis, inglorius ad Germaniam revertitur. Vide Joan. Villani Hiſtor. cap. 168. & ſeq., Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col 855. C., Gualvani Flammæ Opuſculum R. I. T. XII. col. 1003. D.

CAP. VIII.

Azzo Vicecomes.

AZzo autem Vicecomes (40) filius unicus præſati Magnifici Galeatii, poſt mortem patris ſui cœpit dominium Mediolani miniſtrare (41). Qui quamquam juvenis,

(40) Actium, ſeu ut antiqui Scriptores nominant, Azzonem, quem etiam Ambroſium, unde *Ambroſazzo*, & per ſyncopem *Azzo*, a nonnullis Scriptoribus nominatum video; Gualvanus vero Flamma in Opuſculo R. I. T. XII. col. 998. B. ab Azzone Eſtenſe nomen derivatum dicit. Filium Galeatii Vicecomitis, & Beatricis Eſtenſis natum fuiſſe Ferrariæ die 7. Decembris anno 1302., tradunt coævi Authores, inter quos Gualvanus Flamma in Opuſculo nuper citato; quamvis idem Scriptor Manipulo Florum R. I. T. XI. col. 717. E., eum dicat anno 1303. Ferrariæ natum; quod Amanuenſis errori forte tribuendum eſt. Expulſo enim a Mediolano Matthæo, Galeatii Patre, Galeatius ad Sancti Angeli Caſtrum, quod illi poſſidendum conceſſerant Turriani, deductus, Uxorem tunc prægnantem, ad patrios lares reducendam curavit, ut incertarum rerum pericula evaderet, ac ſub Actii Eſtenſis ejus Fratris tutela viveret, quouſque fors meliora concederet.

(41) Ab anno 1327. ad 1329. tranſit Azarius, iis omiſſis, quæ hoc evenerant intervallo, quæ tamen non modici fuere momenti. Utrum hoc Amanuenſis vitio, ut alibi dixi, qui plura omiſerit in Apographo, quod unicum ad nos pervenit, ut non uno loco ejuſdem apparet, an ipſi Auctori tribuendum ſit, qui res Vicecomitibus, quibus inſerviebat, non gratas refricare conſulto omiſerit, aliis judicandum relinquo. Interruptam tamen hoc modo Hiſtoriæ ſeriem, tædium Lectori allaturam facile credo; quapropter graviorum rerum, quæ hoc tempore acciderunt Epitomen hic contexere, gratum pariter Lectori futurum confido.

Ludovico Bavaro in Hetruriam ſigna movente, Galeatius cum Joanne, & Luchino Fratribus, ac Filio Actio, ſeu Azzone ut Nota 25. dictum eſt, in Caſtro Modoetiæ, ſub cuſtodia Joannis de Rizach, Germani, maximæ crudelitatis hominis, tetro incluſi Carcere quem *Furnum* vocabant, & adhuc in

in Turre Caſtri, videre licet, remanſerunt, Marco Vicecomite ſecum dumtaxat, adducto. Ludovicus interim in Hetruria, ac poſtea Romæ plura fecit, quarum aliqua Nota 28. tradita ſunt, Marcus vero Vicecomes, qui in Cæſaris Aula vivebat, animo verſans, quam infelicem exitum ejus cum Fratre ſimultas habuiſſet, amiſſo Mediolani Dominio, Fratribus duro Carceri mancipatis, ſe paupere ac neglecto in Aula Principis, ingloriam trahente vitam; cognovit tandem, prudentiam ſtrenuitate utiliorem eſſe. Quapropter apud Romæ Proceres, ac Caſtrucium Antelminellum, Lucæ aliorumque locorum Dominum, qui Ludovicum potenter adjuverat, armis, conſilio, & pecunia, omnem movebat lapidem, ut Fratrum libertatem, a Cæſare impetraret. Sed irrito ſemper ſucceſſu; adeo ut Caſtrucius, qui Galeatium pluſquam Fratrem diligebat, ira motus ei dixerit, ipſum præpoſtero conſilio, graviorem Gibellinis, quam Guelphis extitiſſe; ac poſtea cum ei nunciatum eſſet, Florentinos paucorum proditione, Piſtorium occupaviſſe, ad hanc recuperandam Civitatem, cum omnibus ſuis Militibus, Roma diſceſſit, non ſine Cæſaris metu, ne ob denegatam Vicecomitum libertatem, Caſtrucius ab eo deficeret. Hac potiſſimum de cauſſa, ſententiam mutavit Ludovicus, juſſitque per epiſtolas Joanni de Rizach, ut Vicecomites e Carcere dimitteret, & Galeatio Vicecomiti, ut cum Fratribus, in Hetruriam ad ſuum properaret conſpectum. Libertati, tali modo, reſtituti ſunt Vicecomites die 25. Martii 1328., quam die 7. Julii præcedentis anni amiſerant. Vide Bonincontrum Morigiam in Chron. Modoet. R. I. T. XII. col. 1152. A. Gualvanum Flam. in Manip. Florum R. I. T. XI. col. 732. E., Corium, alioſque ſæpe citatos Scriptores.

Galeatius refecto parumper a Carceris ſquallore corpore; inſtructaque ad profectionem Familia, adſcitiſque ex numero veteranorum lectiſſimis Centurionibus, equitumque Præfectis, in Hetruriam ad Caſtrucium Antelminellum, Piſtorium obſidentem, ſe contulit, libertatem illi potius, quam Ludovico, acceptam referens; a quo amiciſſime ſuſceptus fuit, eique traditum obſidentis Exercitus imperium, perficiendorumque operum directio, ipſo Lucam proficiſcente ad tollendas ærarii difficultates. Eo itaque poſt paucos dies reverſo, reſque ultra ſpem, Galeatii ſollicitudine abſolutas, conſpiciens, illi obſeſſos omnibus modis ad deditionem urgendi provincia data eſt, Caſtrucio, Florentini, ac Pontificii exercitus motus obſervandi, ac repellendi reſervata. Quo factum eſt, ut intra paucos dies Urbs ad deditionem coacta fuerit.

Dum hæc agerentur, vehemens morbus Galeatium invaſit, aeris æſtu, atque inſolito, poſt lungam Carceris quietem, labore ab ipſo contractus, quo nihil remittente ad Peſciæ Oppidum lectica delatus eſt; nec Galenicæ ar-

artis juvantibus remediis , tertia die naturæ debitum ſolvit , ætatis anno 52. Tumulatus fuit Lucæ , Caſtrucio extremos honores magnifice curante . Galeatii Epitaphium videre licet , apud Paulum Jovium , in vita prædicti Vicecomitis , quod an unquam ſepulcro inſculptum fuerit , ſunt qui dubitant . Galeatium die 6. Auguſti prædicti anni 1328. Lucæ demortuum tradit Gualvan. Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 732. C., Peſciæ tamen defunctum , & Lucæ ſepultum dicunt Scriptores alii .

Tempore quo hæc in Hetruria eveniebant , Ludovicus Romæ , ærario reficiendo conſulturus , *Coltam* (Tributi extraordinarii ſpecies eſt) Civibus impoſuit . Joannes vero Pontifex , univerſam Italiam , ac totam fere Germaniam , ad Pſeudopontificis partes defeciſſe conſiderans , majora etiam timens , niſi Ludovicum , & Nicolaum Roma expellere contigeret , apertis theſauris , maximam auri vim ad Robertum Apuliæ Regem , & Beltrandum Italiæ Legatum , tranſmitti curavit , ut primus inſtaurato Exercitu Romam verſus procederet , ſecundus Romanorum Optimates ac Populum muneribus , ac diſtributa opportune pecunia , ad ſuas partes alliceret , nec irrito ſucceſſu : Romani enim his artibus conciliati , non ſolum *Coltam* ſolvere recuſarunt , ſed etiam , jam proximi Roberti Exercitus auxilio audaciores facti , tumultus excitare cœperunt . Ludovicus vero , deficiente pecunia , annona , & Milite , poſt Caſtrucii diſceſſum , ſe hoſtibus imparem cognoſcens , die quinta Auguſti , Roma egreſſus , Hetruriam verſus , ſigna movit , ac tandem ſuperatis multis in itinere incommodis Piſas , pervenit cum Nicolao Pſeudopontifice .

Obierat hæc inter Caſtrucius ; ideoque Piſani , ejus Filiorum Dominium recuſantes , Ludovico obviaverunt , ut Urbem ingrederetur, invitantes ; menſe Januarii 1329. ; Dum Piſis commoratur Ludovicus , annonæ , & pecuniæ defectu ſemper laborans ; quamvis ſubjectas ſibi Thuſciæ Urbes maximis gravaſſet tributis , plures ſuorum militum cohortes , non ſolutis ſtipendiis , ab ipſo defecere . Advenerant Piſas eo tempore Actius , Luchinus , & Joannes Vicecomites , ad Ludovici obſequia parati ; quos Princeps amicorum precibus , ſed potiſſimum recuperandæ pecuniæ neceſſitate urgente in gratiam recepit . Conventum itaque fuit , Marcum , Joannem , Luchinum , & Actium , intra certum temporis ſpatium ſexaginta Florenorum auri millia , Ludovico daturos (alii Scriptores , centum viginti quinque millia , fuiſſe dicunt) medietatem nempe Militum Tribunis , pro ſtipendiis emeritis , Marco Fratre ſub eorum cuſtodia pro obſide , uſque ad ſolutionem dimiſſo , reliquum Principis ærario . Actium vero Mediolani Vicarium generalem Cæſaris conſtituendum , Joannem Legatum in Langobardia Cardinalem titulo Sancti Euſtachii , a Pſeudopontifice crean-

creandum. Hæc facta ſunt, primum die 15. Januarii 1329., ſecundum die 20. ejuſdem menſis in Conciſtorio Cardinalium, habito Piſis die mercurii, Nicolao Pſeudopapa, & Ludovico Cæſare præſentibus. Epiſtolas de Vicariatu collato, ad Mediolani Rectores datas die 18. Januarii 1329., & ab ipſis communicatas Communi Modoetiæ, vide apud Bonincont. Morigiam in Chron. Modoetiæ R. I. T. XII. col. 1153. C.

Actius & Joannes Vicecomites, pro paranda pecunia, Mediolanum verſus proceſſerunt, una cum Barone quodam Bavaro, cui nomen *Porcaro*, cui pars conventæ pecuniæ, juſſu Cæſaris ſolvenda erat, ac Modoetiam pervenere die ſecunda Februarii, ibique 13. dierum ſpatio, uſque ad conventæ partis pecuniæ ſolutionem, permanſerunt, qua facta dicto *Porcaro* in ſumma Florenorum auri 25000., ad Cæſarem pro ſolvendis Militum ſtipendiis, deferenda, ipſe *Porcaro*, Cæſari factus rebellis, in Germaniam cum Theſauro aufugit. Actius interim & Joannes Mediolanum ingreſſi ſunt, Monfortio Ludovici prius Vicario, in Germaniam cum ſuis Militibus, inconſulto Cæſare, proficiſcente die 20. Februarii dicti anni 1329.

Res interim Ludovici in deterius in dies ruebant: quod unice præpoſteris ejus conſiliis tribuendum. Ubi enim Italiam ingreſſus, Procerum Gibellinorum auxilio, contrariæ partis invaſiſſet Territoria & Urbes, ac Florentiam, tunc metu nutantem, agreſſus, ad deditionem coegiſſet, totius facili negotio Italiæ, obtinebat Dominium. Firmato poſtea ſic Imperio, ſuæ partes Tyrannos ſenſim deprimere, Urbeſque ab ipſis poſſeſſas, ſuo utili Dominio ſubdere potuiſſet. Ipſe vero deturbatis a Mediolano Vicecomitibus, dignitate, & beneficiis in eum collatis bene ſupra cæteros Gibellinos de eo meritis, metum cæteris incuſſit Tyrannis, ne idem ipſis etiam eveniret. Hac præcipue de cauſſa, plures ab ipſo defecere, cæteri cunctanter ac parce ſubſidia mittere, ejuſque deſtructionem potius, quam exaltationem ſtudere, rebus propriis conſulentes, opportunum duxerunt. Quo factum eſt, ut tandem Hetruriam etiam dimittere, Epiſcopo Aretino ſuo Vicario ibi conſtituto, & iter Mediolanum verſus ſuſcipere coactus fuerit.

Pervenit autem prope Modoetiam Menſe Maji, ſed locum Mediolanenſium valido firmatum præſidio intelligens, Caſtrum quod a ſuis Militibus cuſtodiebatur, ingreſſus eſt. Tentato poſtea etiam ex ea parte, ſed fruſtra, Oppido, Mediolanum ſe contulit, ibique denegato Urbis ingreſſu, caſtrametatus eſt, Urbem obſeſſurus; ipſe vero in Sancti Victoris Monaſterio hoſpitium accepit. Mediolanenſes interim non ſolum Urbem defendere, ſed agreſſores etiam contumeliis irritare, eo tempore non timebant; audi Gualvanum Flammam teſtem tunc viventem, ac Mediolani com-

commorantem R. I. T. XII. col. 1001. D. ſic loquentem : *Inſtante obſidione poſiti ſunt cuſtodes ſuper Turrim Portæ Sancti Ambroſii , qui die & nocte clamabant in vituperium Bavari : Ob Gabrione ebrione bibe bibe bò bò , Babii Babò .* Sed poſt varia tentamina , varioſque hoſtiles concurſus , cum nihil ſe proficere cognoſceret Ludovicus , neque auxilium unde ſperaret , haberet ; pacta prius cum Actio Vicecomite pro non magno ære Caſtri Modoetiæ reſtitutione , & Vicariatus Imperialis confirmatione , die 19. Junii diſceſſit , Papiam verſus , ubi Diploma Vicariatus a Ludovico , Actio conceſſum , & alia pacta inter ipſos conventa , ſignavit die 23. Septembris anni 1329. , quæ ſi lubet apud Corium ad eum annum , & in Codice Italiæ Diplomatico Joannis Chriſtiani Lunig. T. I. pag. 399. videbis .

Marcus interea Vicecomes , quem obſidem pro Stipendiis emeritis , in Hetruria apud Milites Germanos remanſiſſe , ſupra dictum eſt ; Piſis commorabatur . Actius vero promiſſam cunctabatur expedire pecuniam ultra quam Porcaro dederat , & forte ut ærario parceret , & incommodi Patrui præſentia , hac arte liberaretur . Hoc ſuſpicati Teutones , quos ad Piſarum cuſtodiam dimiſerat Ludovicus , Tarlatum Aretinum Urbis Præfectum , Piſanis Civibus exoſum , expellere propoſuerunt , atque Urbis Principem acclamare Marcum Vicecomitem , magni nominis in rebus militaribus virum, dummodo Cives emerita ipſis ſolverent ſtipendia : hoc conventum , & factum . Confirmato poſtea ad Urbis regimen Marco, Cives non ſolum pecuniam ſolvere detrectant , ſed Marcum etiam contemnere claris indiciis oſtendunt , qua re ipſe permotus , de tradenda Florentinis Urbe , conſilium init , ſed re detecta , ad Florentinos confugere coactus eſt ; humaniter atque honorifice ibi receptus , bellum contra Piſanos ſuſcipere , pro poſſe ſuadebat ; ſed Florentinis , inconſtantis ingenii virum , cognoſcentibus , nihil innovare placuit . Non deſunt tamen , qui inteſtina Florentinorum diſcordia , hanc neglectam dicant opportunitatem , qua auxilio Germanorum Piſis commorantium ejus Urbis Dominium facile obtinuiſſent .

Marcus vero quietis impatiens , cum nihil a Florentinis ſperandum videret , ad Legatum Pontificis Bononiæ degentem , clam profectus , plura contra Actium machinatus eſt ; Mediolanum deinde ingreſſus , Actium Nepotem Fratreſque ſuos Joannem , & Luchinum querimoniis ac conviciis laceſſebat , quod ipſum Obſidem , non tranſmiſſa pecunia , longo tempore reliquiſſent . Ludovicus Bavarus interim , per varias Langobardiæ Civitates divagatus , die ſecunda Decembris , Parma diſcedens , Tridentum ſe contulit , & inde in Germaniam reverſus eſt , anno ſæpedicto 1329. Vide Chronicon Bononienſe R. I. T. XVIII. col 351. alioſque quamplurimos ejus ævi Scriptores .

nis, ſenex fuit in bonitate & in virtute, lætus facie, crinibus candidus, gracilis corpore, ſed pinguedine intermixtus, affabilis, tractabilis, benignus. Nec cum eo aliquis converſationem habuit, quem non ditaret. Podagram in pedibus & manibus habuit uſque a juventute. De Domo Dominorum de Sabaudia uxorem habuit nomine Catherinam (42), & ipſa numquam filium procreavit. Dum autem iſte regnaret, Guelfos in Mediolano & diſtrictu propterea non moleſtabat. Juſtitiam vero animoſe exercebat. Sed æqua lance, & multos ex ipſis Guelfis ſibi junxit, & pro eo dominium multarum Civitatum acquiſivit diverſis annis & temporibus, neminem expellendo. Acquiſivit enim Placentiam (43), & cum magna forinſecorum gra-

(42) Actium in Uxorem duxiſſe, Catherinam Filiam Ludovici II. de Sabaudia, Baronis de Vaud anno 1330. tradunt Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 705. D, & Galvanus Fiamma in Opuſculo de Rebus geſtis. Azonis Vicecomitis R. I. T. XII. col. 1003. B.,Boninc. etiam Morigia in Chronic. Modoet. R. I. T. XII. col. 1164. A. dicit Actium nupſiſſe Catherinæ Filiæ illuſtris viri Ludovici, Fratris Comitis de Sabaudia, eodem anno 1330., Corius Mediolanenſium rerum cæterum impiger ſcrutator, has Nuptias ad annum 1333. differt, ac contra ejus morem, hiſce ſolum verbis perſtringit: *In queſti medeſimi giorni* (nempe Septembris) *Azo Veſconte menò Mugliere giovene pudica e di egregia belezza, Cathelina figliola de lo Illuſtre Ludovico Fratello dil Conte di Savoja*. Ex mutilata periodo, obſcuroque ſenſu, aliquid hic deficere, facile facile intelliget Lector; quapropter Actii Nuptias anno 1330. celebratas fuiſſe, cum prædictis Synchronis Authoribus credendum puto. Nec obſtat Guichenonium in Geneologica Hiſtoria Regiæ Sabaudicæ Domus T. II. pag. 1092. has Nuptias anno 1333. celebratas dicere; ex Corio enim, quem citat, hunc hauſiſſe errorem, evidens eſt.

(43) Placentiæ Dominium, poſt duram octo menſium obſidionem, die 15. Decembris anni 1336. obtinuiſſe Actium, docent ejus ævi Scriptores. Vide Gualvan. Flam. Opuſc. R. I. T. XII. col. 1016. E., vide eundem Manip. Flor. R. I. T. XI. col. 736. D., Joan. de Cornazano in Fragment.

gravitate & virtute acquiſivit Civitatem Cumarum (44), in cujus dominii introitu mortuus extitit per proditores Dominus Ravicia Ruſca. Acquiſivit Civitatem Brixiæ (45)

I 2 auxi-

ment. Hiſtor. Parm. R. I. T. XII. col. 740. C., Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 875. A., Joan. de Muſſis R. I. T. XVI. col. 49. C., Corium ad an. 1336., vide etiam Laudum, ea occaſione factum, inter Actium Vicecomitem, & Franciſcum Scotum, Rectorem ac Defenſorem Civitatis Placentiæ, Pacta & conventa continens, etiam favore Familiæ Scotæ, Rogatum Placentiæ ab Alberto de Gazii Notario die 14. Decembris 1336., edito in Codice Italiæ Diplomatico Jo. Chriſtiani Lunig. pag. 405.

(44) Quod Novocomum ſuæ ſubjecerit ditioni Actius, conveniunt Scriptores, cauſſam etiam aſſignantes. Franchinus enim Ruſca ejus Urbis Tyrannus, Epiſcopum, nomine Benedictum, ab Urbe jam ante expulerat. Hic primo Franchinum, atque Cives eidem faventes anathemate percuſſit, poſtea Amicorum auxilio congeſtis Militum copiis, Urbem Claſſe Lacum verſus obſedit, dum Fratres de Graſſis Canturii Domini, ac ejuſdem Franchini hoſtes, ab altero latere obſidionem urgebant. Suppetias ab Actio Vicecomite poſcebat Franchinus, ſed contra Epiſcopum arma movere recuſabat Vicecomes. Ad Maſtinum Scaligerum Vicecomitis hoſtem ſe convertit, & auxilium deprecabatur Franchinus, ſed Vicecomes hujus rei conſcius, ad Abduam Milites deſtinavit, qui auxiliaribus Maſtini copiis, fluminis tranſitum vetavere. Franchinus itaque auxiliis, & omnium rerum inopia laborans, Civium inſuper tumultuantium metu, Actio Civitatis Dominium obtulit atque conceſſit; hac tamen lege, quod Bilitionæ Caſtrum ac redditus, ipſi perpetuo poſſidendos concederet. Non conveniunt tamen de tempore Scriptores. Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 867. C., & Jo. de Cornazano R. I. T. XII. col. 740. anno 1335. id factum aſſerunt. Corius in annum 1338. differt; Annal. vero Med. R. I. T. XVI. col. 710. B., & Gualvan. Flam. de Geſtis Azonis Vicecomitis R. I. T. XII. col. 1013. A. anno 1336. hoc eveniſſe narrant. Poſteriorum, ex prædictis Scriptoribus, teſtimonio, utpote ſynchronis, fortaſſe acquieſcendum, credet Lector.

(45) Maſtino Scaligero Brixiam eripuit Actius die 8., ſeu ut alii ſcribunt 6. Octobris, anni 1337., Caſtrum vero in Montis vertice Urbi imminens, die 13. Novembris; Civibus, ac præcipue Coradino de Buchis, & Ziliolo de Ugonibus, quorum auxilio, perforatis Urbis Mœniis, Actii Milites furtive admiſſi fuerunt, acceptam referre tam facilem munitiſſimæ Ci-

vi-

auxilio Gibellinorum expulſorum. Acquiſivit Bergomum (46) ac Laudum (47) auxilio Viſtarinorum, & contra voluntatem Vegii olim molinarii, qui dominium dictæ Civitatis occupabat. Acquiſivitque Cremonam (48), quam mul-

vitatis captionem, debuit Vicecomes. Vide Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 886. A., Gualvani Flammæ Opuſculum de Geſtis Azonis Vicecomitis R. I. T. XII. col. 1019. B.

(46) Bergomum, quæ Civitas Joanni Bohemiæ Regi ſe ſponte dederat, ut alibi dictum eſt, ab ipſo rebellans, Actii Vicecomitis Dominio ſe ſubdidit, die 20. Septembris anni 1332. Anonymus Author Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 707. D. anno 1333. ac die 27. Septembris hoc eveniſſe narrat. Hiſtoria Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 856. D. menſe Septembris anni 1332., Bergomum datum domino Azoni, tradit, addens in ea Urbe, tunc temporis, fuiſſe Vicarium Regis Boemiæ, Guillielmum de Caſtrobarco.

(47) Laudis Dominium, jam a pluribus annis obtinuerat Vegius Temacoldus, qui ex Molitore, Princeps, proditione effectus, ſumma crudelitate Urbem regebat. Hæc conſpirantibus Civibus, in Actii ditionem venit anno 1335., Corius die 23. Septembris, hoc factum tradit; aliis tamen Scriptoribus, quoad menſem reſpicit, diſſentientibus. Vide Hiſtor. Cortuſior. R. I. T. XII. col. 867. C Vide Jo. de Cornazano Hiſtoriæ Parmenſis Fragmenta R. I. T. XII. col. 740. C.

(48) Cremonam, quæ Joannis Bohemiæ Regis Imperio parebat, obſedit Actius die 20. Aprilis anni 1335. Fœderatorum auxilio, eamque fame ad deditionem coegit; pactis tamen induciis per bimeſtre, quo tempore a præfato Rege, auxilia expectare liceret, quorum ſpe tandem fruſtrata Civitas, in Vicecomitis Dominium tranſiit die 15. Julii dicti anni 1335. Miror tamen Corium circa initium anni 1334. ſcripſiſſe, ceptam die 22. Aprilis ab Actio, & Fœderatis obſidionem Cremonæ, quæ fame preſſa, de deditione convenit, datis etiam obſidibus, ubi intra duos menſes Rex Ponzono de Ponzonibus copias non tranſmitteret ſufficientes ad reſiſtendum, in campi planitie Fœderatis; cumque induciarum expiraſſet tempus, Urbem in Actii Dominium perveniſſe. Ac deinde circa finem anni 1335., iterum ſcribere, die 18. Octobris Actium amicabili compoſitione, a Cremonenſibus Urbis, & Caſtri Dominium obtinuiſſe. Vide Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 708. C. Vide Jo. de Cornazano Hiſt. Parmenſis Fragmenta R. I. T. XII. col. 739. E.

multum melioramentis reparavit: Vercellas (49), & multas alias bonas Terras, videlicet Burgum Sancti Donini, (50) Cremam (51), Blandratum, & alia diverſa Caſtra nobilia. Duplicavit in potentia Mediolanum, & in brevi tempore ipſam Civitatem funditus intrinſecus murari fecit pulchro muro, ut eſt de præſenti. Nullam guerram ſuo tempore habuit nec amavit. Vivebant autem ſuo tempore nobiles viri Joannes, Luchinus, & Marcus fratres & patrui ſui de Vicecomitibus, filii quondam Domini Matthæi, carentes dominio & titulo dominii Mediolani. Ex quibus Dominus Marcus multum prodigus dominium & patientiam ipſius Azzonis infeſtabat, opprimendo Nobiles & ruſticos de Seprio inter alios. Quod multum ferebatur pro moleſto. Multa enim dicebantur, quæ non faciebat; & multa faciebat, quæ non dicebantur. Iſte Dominus Marcus carebat thoro matrimoniali, ſed ſpurios multos habebat. Robuſtus erat,

(49) Vercellenſes, ſuæ Urbis dominium ultro & concorditer Actio contuliſſe die 7. Martii anno 1334. Auctor eſt Corius ad hunc annum. Annales vero Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 707. D. anno 1333. hoc factum tradunt. Corius ex Scriptoribus Hiſtoriam ſuam compoſuit, qui diverſa annum incipiendi methodo utebantur. Hinc Chronologiæ diverſitas.

(50) Sancti Donini Oppidum, ab illis de Rubeis poſſeſſum, vel quod diu ſervare poſſe dubitarent, vel redimendæ pecuniæ cauſſa, Actio ceſſerunt anno 1335. menſe Martio. Vide Jo. de Cornazano Fragmenta Hiſtor. Parmenſis R. I. T. XII. col. 740. C.

(51) Cremam, quam Urbis titulo apud alios, jam tunc inſignitam lego, quamvis Epiſcopum, ſolum anno 1580. a Gregorio XIII. acceperit, in Azonis Dominium veniſſe anno 1335. tradunt Gualvan. Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 736. C., idem Gualvan. in Opuſculo R. I. T. XII. col. 1014. A., & Jo. de Cornazano in Fragmentis Hiſtor. Parm. R. I. T. XII. col. 740. C. Annales vero Mediol. R. I. T. XVI. col. 710. B. annum 1336. aſſignant. Hujus Urbis originem anno 570. conſignat Sigonius R. I. lib. 1., incrementum vero recepit, ex ruinis Patraſii, Urbis olim Epiſcopalis non longe poſitæ a Laudenſi Urbe, ultra Abduæ Flumen. Ejus ruinæ adhuc cernuntur in Agris a Marchione Trivultio Mediolanenſi poſſeſſis,

erat, ut ſupra, aſper & crudelis, ſed amicus amicorum. Quæ dum gererentur pro moleſto, una nocte dum eſſet in camera, mortuus eſt (52); de cujus morte certum ignoratur, & fuit Anno MCCCXXIX. Quo Anno mortuus fuit Dominus Epiſcopus Aretinus, Dominus Paſſarinus cum filio ut ſupra, & Dominus Caſtruccius, principaliores partis Gibellinæ. Propterea poſt multos Annos Lodrixius Vicecomes filius quondam Domini Petri germani præfati Domini Matthæi in Seprio, & apud Gallaratum, Caſtrum Crennæ erexit valde pulchrum, multum homines Seprii aggravando. Vitam cru-

(52) Marcus Vicecomes, cujus geſta contra Galeatium, alioſque Fratres, Nota 25. recenſui, cujus etiam memini Nota 41., Dux ſtrenuus Militum, ſed ob id ferox, impatiens, atque violentus, Actium plurimis afficiebat moleſtiis, ac minis non raro infeſtabat, quarum effectum, a viro hujus ingenii metuere, præteritarum rerum experientia, & prudentia docebat. Quapropter Actii juſſu, ac Patruorum Joannis, & Luchini conſenſu, die 8. Septembris anni 1329. Marcus in Arenæ Curia poſt prandium in cubiculum colloquii ſimulatione deductus, a delectis aliquot prætorianis comprehenſus, eliſis linteo faucibus ſtrangulatur. Cadaver e feneſtra dejicitur, ac tanquam ſponte præceps datus, ſumptuoſis exequiis tumulatur in Eccleſia Majori, apud Divæ Agnetis Sacellum, ut tradunt Bonincont. Morigia R. I. T. XII. col. 1160. D., Gualvan. Flamma in Opuſculo R. I. T. XII. col. 1002. A., ac Corius ad an. 1329., quamvis Jovius in vita Azonis in Divi Euſtorgii Templo (neſcio quo teſte) Marcum ſepultum fuiſſe tradat. De die mortis tamen non conveniunt prædicti Authores: Jo. Villani R. I. T. XIII. col. 685. D. diem 4., Gualvan. Flamma R. I. T. XII. col. 1002. diem 5., Morigia loco nuper citato, cui magis credendum, diem 8. prædicti Menſis, aſſignantibus. Notandum interim, quam caute ſe expediat Azarius dicens: *De cujus morte certum ignoratur*. Quo tempore natus fuerit Marcus, mihi certe apud ejus ævi Scriptores videre non contigit. Corius tamen ad annum 1292., inter Filios Matthæi Vicecomitis, & Bonacoſſæ de Burris nominat Galeatium, Marcum, Luchinum, Joannem, & Stephanum; quos ſi ætatis ſervato ordine numerat, Marcum anno 1278., aut 1279. circiter natum fuiſſe veroſimile eſt; ideoque anno ætatis circiter 50. obiiſſe. Galeatium enim anno 1277. die 20. Januarii natum vidimus Nota 21.

crudelem duxit erga Dominam uxorem ſuam de Marchionibus Malaſpinæ; & tantum ſe geſſit pro moleſto, quod Veronam fugit; & dictum Caſtrum poſita obſidione & machinis captum fuit & diruptum (53). Poſt cujus diruptionem Anno currente MCCCXXXVII. de menſe Januario præfatus Dominus Lodrixius volens ultionem facere de perpeſſis, & ſtatum præfati Domini Azzonis perturbare, venit in diſtrictum Mediolani uno motu cum mille quingentis barbutis & ultra, de pulchriori gente, quæ umquam Lombardiam intraſſet. Et intra Lignanum Comitatus Mediolani direxit greſſus ſuos, & moram traxit, exiſtente nive magna uſque ad umbilicum hominis. Erat autem Capitaneus illius gentis Malherba Teutonicus nomine. Et omnes uſque ad unum Alamanni. Quæ gens tunc in partibus Veronæ caſſa fuerat poſt ſedatam guerram inter Dominum Maſtinum de la Scala & Venetos, ubi magna exſtiterant commiſſa, & quos pulchro modo & ſumma pecunia acquiſivit.

Erat autem præfatus Magnificus Dominus Azzo paucis gentibus equeſtribus ſuffultus, & majoritatem ſuorum equitum tenebat in Brixia, timens, ne præfatus Dominus Maſtinus Civitatem illam recuperare ſtuderet, quam perdiderat. Et cujus Domini Maſtini conſilio prefatus Dominus Lodrixius ſe regebat. Curavit etiam ſubſidia amicorum, quantum potuit, & tam pedeſtrium quam equeſtrium de Civitatibus ſupradictis. Curavit habere Dominum Calcinum Torniellum jam expulſum a Civitate Novariæ, ut infra dice-

tur,

(53) Annum 1336. aſſignat Anonymus Author Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 710. ubi Caſtrum de Crema, pro *Crenna*, & Ludovicum, pro *Ludriſio*, inepte nominat. Vide Corium, qui hæc anno 1337. eveniſſe affirmat. Crenna autem poſita eſt in Colle non procul a Gallerati Oppido prope viam, quæ Albiciatum ducit.

tur, qui in ſuo Caſtro Vergani diſtrictus Novariæ morabatur, & multorum cara amicitia cum ipſo Domino Lodrixio tenebatur. Nec cum ipſo Domino Lodrixio erat aliquis notabilis Lombardus, præter Vincentium Suardum, qui greſſus ſuos ſequebatur, dubitans, ne dictus Dominus Calcinus ſtatum Novariæ & diſtrictum Novariæ perturbaret. Azzo autem recuperato in brevi ſubſidio, Dominum Luchinum Vicecomitem prædictum ſtabilivit guerræ Capitaneum. Et in ipſius comitiva erat nobilis vir Dominus Joannes de Fliſco cognatus ipſius Domini Luchini. Scientes itaque Teutonici, Dominum Luchinum die ſequenti Mediolano exire pro pugnando, cogitaverunt exercitum peditum dirumpere, ut ipſis bellando non nocerent, quia paucos pedites habebant. Igitur noctis tempore dictus Malnerba cum multa comitiva Terram Parabiaghi invaſit, ubi Populus ipſe dormiebat, & in ipſos pedites inſilivit. Quotquot inveniebant, trucidabant, membra mutilando. Duravitque ſtrages miſerorum & conflictus non exſpectantium uſque Rhaude. Et Dominus Lodrixius cum acie magna ſequebatur finiendo quos mors non expleverat. Et ſic verſus Mediolanum via recta procedendo obviaverunt Domino Luchino, qui de Mediolano exiverat cum gente ſua ad ſtrepitum tantæ cladis. Et aciem ſuam nondum ordinatam invaſerunt. Dominum Joannem de Fliſco volentem vires ſuas exercere occiderunt. Dominum Luchinum perſonaliter expugnantes ipſum ceperunt, & ſuper campis apud unam nucem ſine barbuta dimiſerunt, ulterius in conflictu equitum procedentes. Sed quia explanatio virum in loco illo facta non erat, ſed maxime relevata erat via, gens equeſtris Teutonica non curans de præfato Domino Luchino, quam ſuper campis dimiſerat, & alii pedites recentes ulterius procedebant; (54) & ſe reperientes ad caudam inimicorum, cœpe-

(54) Hic aliquid deeſt, quod ex Azarii lacinia in Annales Mediolanenſes

cœperunt eos viriliter expugnare. Et quia feſſos reperierant, ipſos in cuneos ſeparabant. Quibus ſeparatis & diſgregatis, campum facere non valentes, aliqui ex ipſis fugerunt, & præcipue Dominus Lodrixius, qui de perſona dubitabat, (55) & qui mortuus eſt Mediolani Anno MCCCLXIV. die VI. Aprilis, & magnifice ſepultus. Fugeratque Dominus Luchinus, qui viderat ſe deſtitutum, Mediolanum. Et ſic nocte ſuperveniente fuit finis belli, & dicta contumacia ceſſavit. Nam ea nocte Dominus Malherba cum Domino Mediolani pecunia ſuſcepta ſe concordavit, & Mediolanum brevi tempore pacifice redivit (56). Dicebantur enim mortui

K

nenſes illata, ſic ſupple: *Sic procedentes verſus Mediolanum in itinere obviaverunt 300. Militibus, qui venerant de Sabaudia in ſuccurſum Domini Mediolani. Eadem hora ſe jungentes cum Hectore de Pavico, impetum fecerunt contra iſtos Alamanos retrocedentes.*

(55) Lodriſius ad Caſtrum Sommæ ſe recepit, ſed ibi cum duobus Filiis captus, ad Sancti Columbani Caſtrum traductus, in Cavea ex ferro conſtructa, carceri mancipatur; quouſque a Joanne Archiepiſcopo poſt Luchini mortem libertati reſtitutus, tranquillam Mediolani duxit vitam uſque ad diem 5. Aprilis 1364., quo tempore obiit, ut infra videbimus. Vide Corium ad annum 1337.; vide Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 713. E, vide Chronicon Placentinum Joannis de Muſſis R. I. T. XVI. col. 497. E, de Lodriſio vide etiam Muratorii Antiquitates Italicas T. IV. col. 498. A. & Bonincontrum Morigiam in Chronico Modoetienſe R. I. T. XII. col. 1173. E.

(56) Miror Azarium hic nihil dicere de Celebri miraculo Sancti Ambroſii in aere viſi, Scutica Milites Lodriſii percutientis, de quo tamen ejus ævi Scriptores plerique loquuntur; inter cæteros Annales Mediol. R. I. T. XVI. col. 713. E., Bonincont. Morigia Chron. Modoetiæ R. I. T. XII. col. 1173. E., Gualvanus Flamma in Opuſc. de Geſtis Azonis Vicecom. R. I. T. XII. col. 1024. D., aliique, quibus etiam fidem augere videtur conſtructa in loco conflictus, prope Parabiagum Eccleſia, Sancto Ambroſio de Victoria, dicata, ad quam publico decreto ſancitum fuit Præfectum ſeu ut vocant vulgo, Vicarium, & duodecim Viros, proviſionibus

tui tam ab una parte quam alia, ultra quam MD. Ex quibus peditibus magna pars fuit Cumanorum. Dixeram ſupra, quod tunc temporis nix erat magna, & fuit verum, nam

---

nibus Urbis præfectos perpetuis temporibus pro offerenda Divo oblatione die 21. Februarii accedere debere, ut acceptæ gratiæ, temporis, & loci, gratique animi memoria, perenarret. Quod etiam in præſenti, non amplius Parabiagi propter itineris incommoda, ſed Mediolani in Eccleſia Sancti Ambroſii annuatim obſervatur. Fidem etiam conciliare videntur Nummi, in quibus Sanctus Ambroſius Scuticam, ſeu Flagellum dextera ſtringens viſitur, poſt Parabiagi conflictum cuſi, quos videre licet apud Muratorium Antiquitatum Italicarum T. II., & apud Philippum Argelatum, Cæſaris a Secretis, ac pluribus editis libris Clarum, de Monetis Italiæ parte 3. Tamen etiam ante id temporis, Sanctus Ambroſius Flagellum manu tenens pingi conſueverat, non quod Arrianos Flagello percuteret, ut vulgus credit, ſed quia prædicatione, validiſque rationibus, & argumentis eorum hæreſim convelleret, ac profligaret.

Hoc vero Prœlium eveniſſe non anno 1337., ut tradit Azarius, ſed anno 1339., tradit Gualvan. Flamma R. I. T. XII 1027. C., cui in epiſtola ad Clariſs. Muratorium R. I. T. XII. pag. 994. Joſeph Antonius Saxius aſſentitur, etiam Tabularum Paſchalium teſtimonio. Author etiam Hiſtoriarum Piſtorienſium R. I. T. XI. col. 475. C. Parabiagi Prœlium ad eundem annum 1339. refert. Hiſtoria Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 899. B. eodem anno 1339., eveniſſe tradit. Nicolaus Laurentii, ſeu quiſquis ſit Author Operis ſub nomine *Cola da Rienzo*, a Muratorio editi Antiquit. Italic. T. III. col. 300., & ſeq., poſtquam Pugnam Parabiagi accuratius quolibet alio deſcripſit, anno 1338. eveniſſe dicit, cui circa tempus, aſſentitur etiam Jo: Villani R. I. T. XIII. 830. E.; ſed horum Scriptorum annus 1338. incidit in annum 1339., annos enim more Florentino numerant, ut alibi monui. Chronicon Eſtenſe R. I. T. XV., anno 1339. hoc Prœlium eveniſſe dicit col. 403. A. Solus Corius, & Author Chron. Placentini, R. I. T. XV. col. 497. aſſignant annum 1337., Amanuenſis fortaſſe errore; maxime cum Petrus Azarius in Opuſculo de Bello Canepicii, ad Calcem hujus Hiſtoriæ edendo, dicat Joannem Azarium ejus Patruum Mediolanum miſſum fuiſſe anno 1339. a Comitibus de Valperga, ut ad eorum ſtipendia duceret Malherbam cum tercentis Barbutis, ex iis, qui venerant cum Lodriſio Vicecomite, hoc quidem Parabiagi Prœlium anno 1339. eveniſſe, comprobare videtur.

nam duravit ſupra faciem terræ uſque ad finem menſis Martii vel quaſi; propter quam campeſtria tantum faſtidium frigoris & ſudationis ſuſceperunt, quod blada, nive recedente, ut plurimum mortua apparebant. Et quia multitudo Populorum Lombardiam habitabat propter pacificum ſtatum longævum, cœpit Anno ſequenti fames invaleſcere, & tantum invaluit, quod vini & bladi fuit maxima careſtia. Ob quam multæ Terræ habitatoribus privatæ fuerunt, maxime in montanis partibus. Deinde fame ceſſante cœpit morbus, proſiliens a partibus ultramarinis, partes inferiores invadere. Et primo Bononiam applicuit, videlicet An. MCCCXLIV. in qua Civitate infiniti perierunt, omni defenſione & medela deſtituti. Duæ partes autem corporum dicebantur periiſſe. Invaſitque peſtilentia Januam, ubi univerſali morbo perierunt. Invaſit Parmam, in qua multi defecerunt. Servavit Mediolanum, Papiam, Novariam, Cumam, Vercellas. Sed diſcurrendo occupavit Lombardiam a dicto Anno MCCCXLIV. uſque ad MCCCXLVII. quo iterum ſuper diſtrictu Novariæ vigebat. Nam in dicto diſtrictu vacuavit Momum & Bellanzagum; & in Burgo Mainerio, ubi converſationem habebam, & ubi viri belligeri habitabant, perierunt dicta clade in tribus menſibus pro completis centenaria quinque & XXVII. virorum, computatis mulieribus & parvulis. Nec in aliis Terris Novarienſibus tunc introivit. In Comitatu autem Mediolani in partibus Varixii, Angleriæ, Gallarati, & circumſtantibus ſine numero perierunt. Ceſſavit itaque dicta peſtilentia. Tamen aliquibus in locis diſcurrendo affligebat. (57) Inter alia præfatus Magnificus Dominus Azzo Joannem Marchionem Montiſferrati bene tractavit, dando ei auxilium & favo-

(57) Hic aliqua deeſſe, Amanuenſis incuria, facile cognoſcet Lector.

rem contra quoſcumque ejus rebelles. Porro eo tempore præfatus Dominus Azzo propter mortem prædicti Papæ Joannis (58) cum complicibus Vicecomitum in ipſa tali quali

(58) Quis fuerit Joannes XXII. Pontifex, cujus non uno loco meminit Azarius, ne Lectori hæc alibi quærenda ſint, paucis, quantum fieri poteſt, hic perſtringam, eo libentius, quod Azarius Cap. V. de eo jejune nimis loquatur. Jacobus de Oza ex Caturco (nunc Chorges) Civitate oriundus, prius a ſecretis Roberti Regis Siciliæ, poſtea, eo procurante, ad Forojulienſem Epiſcopatum promotus, deinde ad Avenionenſem translatus, ad Cardinalitiam dignitatem a Clemente V. accitus fuit die 23. Decembris anni 1311., ac Portuenſis nominatus. Poſt Clementis obitum electus fuit Pontifex apud Lugdunum in Domo Prædicatorum die 7. Auguſti, & die 5. Septembris in Eccleſia Cathedrali Avenionenſi coronatus anno 1316., aſſumpto nomine Joannis. Cum in electione inſtarent Cardinales Itali, ut eligendus Pontifex Sedem Romæ firmaret, Joannem jure jurando affirmaſſe dicunt, ſe nunquam aſcenſurum equum, aut mulum, niſi Romam iret; quod etiam ſervavit, quia navigio Avenionem tranſvectus, pedes aſcendit ad Palatium, de quo poſtea, niſi Eccleſiam ingreſſurus Majorem, quæ Palatio contigua eſt, nunquam exivit. Plura ab hoc Pontifice laude digna facta fuiſſe tradunt ejus ævi Scriptores. Ludovici tamen Bavari inimicitia, ipſum acriter torſit.

Quæſtio de paupertate Chriſti, cujus conſequentias jam videt Lector, tempeſtive ab eo damnata fuit; de hac vide Natalis Alexandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV., vide Alvarum Pelagium de Planctu Eccleſiæ lib. 2. cap. 62., vide Extravagantes Joann. XXII. ejuſdem, de verborum ſignificatione, vide Vadingum in Annalibus Minorum, alioſque. Petrus de Herenta's Canonicus Præmonſtratenſis, & Prior Floreffienſis apud Balutium, & ex eo R. I. T. III. parte II. col. 501., ſcribit, ante mortem eum retractaſſe ſuam ſententiam de Viſione Beatifica, quam contra celebriorum Theologorum opinionem tenebat, ſeque ac Doctrinam ſuam judicio Eccleſiæ Romanæ ſubmiſiſſe his verbis: *Credimus quod animæ ſeparatæ a Corporibus, & purgatæ, ſunt in Cœlorum Regno ſeu Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, vident Deum, & Divinam eſſentiam facie ad faciem, clare in quantum ſtatus & conditio animæ ſeparatæ patitur*. Ampliorem, ſed quoad ſubſtantiam ſimilem declarationem, vide apud Jo: Villani lib. 11. cap. 19., qui a proprio Fratre in Aula Pontificis commo-

li ſententia, nomine, cognomine, & prænomine, beneficium abſolutionis obtinuit (59), & Eccleſiaſticam libertatem

---

morante, ſibi tranſmiſſam, ac pridie, ante Joannis mortem factam dicit. Data autem eſt die 3. Decembris, Pontificatus anno 19.

De hac tamen retractatione, imminente morte facta, non deſunt qui dubitent, quos inter Joannes Sancti Victoris Pariſienſis Canonicus apud Balutium, & R. I. T. III. parte II. col. 488., Bernardus Guidonis R. I. T. eodem col. 497., Appendix Ptolomei Lucenſis R. I. T. antedicto col. 502. A. Additamenta ad Ptolomeum Lucenſem R. I. T. prædicto, col. 512., aliique, nihil prorſus de hac re dicentes. Præterea, ſi hæc retractatio in ſcriptis, ut par erat, facta fuit, iiſdem concepta verbis apud varios Scriptores legi deberet, quod a facto, toto cœlo diſtat, ut prædicta conferenti patebit. Adde etiam, quod præcitatus Herentals aſſerit col. 502. l. c., Joannem poſt hanc retractationem illico expiraſſe, his verbis: *hac ſiquidem retractatione facta, ſtatim die & hora ſupradictis, expiravit*. Hoc de homine in mortis agone conſtituto, an veroſimile credendum ſit, apud Lectorem judicium eſto.

Joannes Villani Hiſtor. lib. IX. cap. 79. R. I. T. XIII. col. 483. A., aliique Scriptores, prædictum Pontificem ſe ipſum elegiſſe narrant; cum enim de electione non convenirent Cardinales, in illum unanimes nominandi Pontificem facultatem contulerunt, qui ſe ipſum nominavit. Rem vide fuſius loco nuper citato. Obiit ex morbo Avenione die 4. Decembris hora diei prima anni 1334. Pontificatus 19., in Eccleſia Majori tumulatus, die quinta Decembris. Poſt ejus obitum, ingentem vigintiquinque Florenorum Auri, ut ajunt, millionum ſummam in ejus Theſauro inventam fuiſſe tradunt, Jo: Villani, aliique ejus ævi Scriptore, quamvis ex recentioribus nonnulli tantam Auri vim eo ſeculo ab uno Pontifice annis 19. congeri potuiſſe dubitent.

(59) Suſpenſionem Interdicti, quam Vicecomites & Urbs Mediolani, a Joanne XXII. Pontifice obtinuerunt, jejune nimis hic memorat Azarius, quo vitio aliquando laborare, niſi Amanuenſis hoc ſit, jam ſupra diximus, non modico hiſtoricæ eruditionis detrimento. Rem igitur altius in Lectoris commodum repetere, ac compendioſe recenſere placet. Jam Nota 41. dictum eſt Actium Vicecomitem, Ludovico Bavaro, ab Hetruria redeunti, Urbis vetaſſe ingreſſum, qua re commotus Cæſar, qui rerum reficiendarum ſpem omnem in Mediolano collocaverat, ipſam obſidione tentavit. Actius inte-

interim, & Urbem defendere, & Ludovicum eodem tempore officiis demulcere, ſano quidem conſilio, opportunum ratus, cupedia eſculenta, & prætioſa vina quotidie pro Ludovici, & Magnatum epulis tranſmittebat. Videns vero Cæſar ſe nihil contra Mediolanum proficere, quæſitaque a Langobardiæ Principibus auxilia denegari, pacta cum Actio pecunia, ab obſidione receſſit, eumque ſuum, ut promiſerat, Vicarium poſtea conſtituit.

Hæc cum intellexiſſet Pontifex, qui nullum inter homines magis metuebat, odebatque, quam Ludovicum, cujus res in Italia peſſum ituras certo ratus, ubi Vicecomites ad ſuas partes trahere datum eſſet, ad Actii notitiam pervenire curavit, probata ſibi eſſe quæ contra Pſeudo Cæſarem fecerat, atque in earum gratiam, patratarum antea rerum veniam, atque amicitiam concedere, ſi ſupplex peteret, non denegaturum. Actius malorum, quæ propter Pontificis inimicitiam ſuis evenerant, non immemor, paciſque commoda, quæ ampliando Dominio obſtant, conſervando jam acquiſito, opportuniora eſſe bello conſiderans, Nuncios ad ipſum deſtinavit, qui amplo nobilium virorum, ſervorumque comitatu, ſolennique pompa, & Actii, & Pontificis dignitati convenirent, ac veniam, & abſolutionem pro commiſſis ſuppliciter peterent. Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 706. nobilem Militem Vercellinum Vicecomitem, hujus legationis principem fuiſſe dicunt. Gualvanus Flamma in Opuſculo de Geſtis Azonis R. I. T. XII. col. 1002. C. refert Civitatem Mediolani die 26. Martii 1330. ſeu potius 1329. elegiſſe tres Sindicos, qui Urbis nomine abſolutionem a Pontifice peterent, inter quos nominat Joannem de Pontirolo, & Guidolum de Calice.

Profectis itaque ad Pontificem, Avenionenſi in Aula Nunciis, ſuſpenſionem Interdicti primo obtinuerunt, poſtea abſolutionem, nonnullis tamen intervenientibus pactis, ac præcipue, quod Joannes Vicecomes, Actii Patruus, Cardinalitiam Purpuram, cæteraque a Pſeudopontifice accepta beneficia dimitteret. Quo facto, Novarienſem Epiſcopatum ipſi contulit Pontifex, anno 1329. Plenariam tamen fuiſſe abſolutionem, quæ ſequuntur in dubium revocant. Rebus itaque cum Sancta Sede compoſitis, ad patriam reverſi ſunt Eccleſiaſtici plures, ob Pontificis interdictum ab Urbe, multos ante annos exules; tantum enim temporis, ab Excomunicatione ad abſolutionem, intercefferat. Acta hæc ſunt circa finem anni 1329. & initium 1330. Jo. Villani R. I. T. XIII. col. 690. hæc facta fuiſſe anno 1329. narrat, Jo. de Cornazano in Fragment. Hiſtor. Parm. R. I. T. XII. col. 737. anno 1330., Gualvan. Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 733., anno 1330., idem Flamma in Opuſc. de Geſtis Azonis R. I. T. XII. col. 1002. D. loquendo de Nunciis Avenionem miſſis, ait: *Redierunt Filii obedientiæ in*

Civi-

tem bene tractavit, & Imperium pro toto poſſe. Sed morte præventus diem clauſit extremum. His autem diebus Papa Benedictus exſtitit creatus (60), parum valens. Tempore

Civitatem Mediolanenſem die 14. *Februarii anno* 1330. Corius anno 1329. abſolutionem tribuit, ſed Anonymus Author Annalium Mediol. R. I. T. XVI. col. 706. B. annum aſſignat 1332.

Non enim Plenariam abſolutionem a Joanne XXII. conceſſam tunc temporis fuiſſe, ſuſpicari licet, cum præter tunc citatos Annales, Corius ad annum 1341. novos Nuncios die 17. Maji Avenionem miſſos, pro imploranda a Pontifice (is erat Benedictus XI., aliis XII.) plenaria abſolutione, ab Interdicto Joannis XXII., dicat; quam etiam obtinuere, ea indicta expiatoria pœna, quod Sacel lum unum in Majori Templo, alterum ad Divi Ambroſii Fanum, ambo Divo Benedicto Sacra, conſtrui facere tenerentur, in quibus ad Miſſæ Solemnia Rectores, & Capitanei Populi, certa die adſtare deberent erogato inſuper ea occaſione Pauperibus bis mille, pane uno triticeo unius pondo, pro quolibet. Conceſſæ a Benedicto Pontifice, plenariæ abſolutionis, atque initæ Pacis Tabulas datas Avenione, Nonis Maji anno Pontificatus VII., hoc eſt 1341., ex Archivo Vaticano extraxit, ac publici juris fecit Ughellus Italiæ Sacræ T. IV. col. 211., & ex eo Joannes du Mont, in ejus *Corps Univerſel Diplomatique*. Conditiones etiam a Benedicto Pontifice ea occaſione impoſitas vide in Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 707. A.

(60) Poſt mortem Joannis XXII. Papæ, Authores Nota 58. citati, vacaſſe Sedem diebus 16., atque communi Cardinalium ſuffragio, electum fuiſſe tradunt Jacobum Præsbiterum Cardinalem, titulo Sanctæ Priſciæ, Ordinis Ciſtercienſis. Hic Natione Toloſanus de loco Savarduno, Apamiarum Diœceſis oriundus, nomen Benedicti aſſumpſit (alii XI., alii XII. nominant, ut jam dixi) Electus fuit Avenione die 16. Decembris anni 1334., die vero 20. Triregno ornatus fuit. Prius vocabatur Jacobus Furnerii, alias cognominatus Novelli, fuit Monacus Ordinis Ciſtercienſis, ut dictum eſt, in Monaſterio Bolbonæ: Studiis Teologiæ Pariſiis alibique inſudavit, Magiſter in Sacra Teologia effectus; deinde, primo ad Monaſterium Fontis Frigidi, Diœceſis Narbonenſis, poſtmodo ad Apamiarum, & inde ad Mirapiſcenſem fuit promotus Eccleſias; denique a Joanne XXII aſſumptus ad Cardinalitiam dignitatem, titulo ut dictum eſt Sanctæ Priſcæ, die 17. Aprilis anni 1327., ut videre licet apud Balutium R. I. T. III. parte II. col. 491.

Poſt

pore autem Papæ Joannis in diſtrictu Papienſi apud Villam Caſtidii fuit prædatum peculium, quod conducebatur a partibus Provincialibus Bononiam pro ſatisfaciendo ſtipendiariis Eccleſiæ, ſociatum Epiſcopis & multis Nobilibus, qui cum dicto Theſauro capti fuerunt (61). Et Floreni

---

Poſt electionem cogitavit hic Pontifex, Sedem ſuam ad Italiam in Urbe Bononia, transferre, qua de cauſſa Nuncios ad eam tranſmiſit Urbem, ut incolarum mentem explorarent, ſed Cives, qui jam expulſo Legato, a Pontificis partibus defecerant, ac Tyrannorum arbitrio regebantur, rati hoc artificio, ac ſub ſpe Pontificiæ Sedis, Urbis Dominium recuperare Pontifici, in animo eſſe, qui poſtea Avenionenſem Sedem, juxta alios ſuæ Nationis Pontifices, deſerturus non eſſet, cuncta recuſavere Nunciis.

Quæſtionem de Viſione Beatifica ſeu Faciali Dei, quam ut privatus Doctor tenebat Joannes XXII., contra ejus placita definivit, die 29 Januarii anni 1336, edita Decretali, quæ incipit: *Benedictus Deus in Sanctis ſuis*. Hunc Pontificem omnium commendationem meruiſſe ob vitæ ſanctitatem, quam etiam poſt mortem miracula comprobavere, tradunt plerique Scriptores. Sed cum viris etiam probis non deſint hoſtes; improborum enim major eſt numerus, poſt ejus mortem, ſequentia contra eum Carmina, facta fuere

Iſte fuit Nero, Laicis mors, Vipera Clero,
Devius a vero, Cuppa repleta mero.

Ab invidis tamen, qui reſtitutam a Pontifice Eccleſiaſticorum diſciplinam ægre ferebant, compoſita hæc carmina, evincit Leonardus Coqueus in ſuo Anti-Morneo T. II. pag. 209. Obiit optimus Pontifex die 25. Aprilis anni 1342. Pontificatus VIII., fuitque ſepultus in Eccleſia majori Avenionenſi in Sacello, pro ipſo ſpecialiter ædificato. Vide Boſquetum apud Baluzium, & etiam R. I. T. III. parte II. col. 527., 535., 539., 542., & ſeq; Raynaldum, & Franciſcum Pagium in vita Benedicti XII.

(61) Hæc jam evenerant uſque de anno 1328. Vide Joannis de Muſſis Chronic. Placentinum R. I. T. XVI. col. 495. D., Jo. etiam Villani Hiſtor. lib. X. R. I. T. XIII. col. 658. B. hujus facti meminit, ac Pecuniam interceptam ad 30. mille Florenos auri aſcendiſſe narrat. Hujus etiam facti men-

reni in tanta quantitate reperti ſunt, quod numquam deficient Domui illorum de Beccaria, qui principaliores fuerunt. Et alii non multi habuerunt infinitam quantitatem, adeo ut numquam in Lombardia factum fuerit tantum botinum ſic brevi dividendum, diviſum, & acquiſitum.

CAP. IX.

Luchinus Vicecomes.

LUchinus autem Vicecomes (62), & Dominus Joannes ejus frater tunc Novarienſis Epiſcopus, & ipſius Civitatis

L

mentionem habet ad annum 1328. Gualv. Flamma in Opuſc. de Geſtis Azonis R. I. T. XII. col. 998. C., ſed pro Caſtro *Claſtidii*, Caſtrum *Seſtertii* nominat, quod in ea Regione nunquam cognitum.

(62) Luchinum Vicecomitem, una cum Joanne ejus Fratre, poſt mortem Actii ſeu Azonis in Mediolani Dominio ſummam obtinuiſſe rerum, jam notum eſt. Actii vero quis fuerit exitus, Lectori hic communicare, rerum ordo expoſcit, quandoquidem hoc Azarius neglexit. Podagræ igitur doloribus cruciabatur, jam ante plures annos Actius Vicecomes; hoc in cauſſa fuiſſe tradunt Scriptores, quod ipſe in Sancti Gotardi honorem Templum extrueret prope Palatium, quod e regione Majoris Eccleſiæ, magnis ſumptibus ædificavit, quodque in præſenti Gubernatorum hujus Provinciæ Aulam vocitant, adhuc in parte ſuperſtes; quamvis a poſterioribus Vicecomitibus, præcipue Galeatio ſecundo, auctum & reædificatum, ac nuperis annis a Comite Joanne Luca Pallavicino, viro magnifico, pro Domina Noſtra Maria Thereſia Auguſta Inſubriæ Moderatore, immutata interiore murorum diſpoſitione, ad Regiæ prorſus Aulæ magnificentiam aptatum ſit; adjectiſque inſuper ſumptuoſis Aulæis, Picturis, atque Chryſtallis rerum imagines reflectentibus, paucis Europæ Principum Regiis ſit ſecundum. Podagra igitur invaleſcente, illis ſtipata ſimptomatibus, quibus aliquando mortales ad feretrum trahit, Actius opportunis Eccleſiæ Sacramentis munitus, magnæque pietatis, ac veræ pœnitentiæ teſtimoniis, ad adſtantium uſque admirationem, editis, die Lunæ 14. Auguſti aut potius

16.,

tis Dominus generalis, ambo filii præfati quondam Domini Matthæi dominium Civitatis Mediolani communiter habuerunt. Qui Luchinus moderamina, præterquam in Novaria, in Civitatibus ſupradictis & acquiſitis gubernavit. Timuit vero Mediolanum de conturbatione ejus dominii; nam uſque tunc præfatus Dominus Luchinus vitam prodigam geſſerat, converſando potius cum malis, quam bonis, de die dormiens ut plurimum, & de nocte vigilabat. Habuerat namque unam de Spinolis in uxorem, quam in juventute, & cum alio primo matrimonio, quod contraxerat, dicitur dilexiſſe (63). Qua mor-

16., qua die eo anno incidebat dies Lunæ ut Calculum ineunti patebit; dies vero 14. erat dies Sabbati, (de die enim non conveniunt Scriptores) anno 1339. die Lunæ hora 20. occubuit.

Optimum tamen fuiſſe Principem, juſtum, ſubditiſque Gibellinis, ac Guelphis æque amicum, bello fortem, conſilio prudentem, omnes aſſeverant. Ædificia privata ab eo conſtructa, Mœnia Civitatis, ac Turres Portis ſuperſtructæ, Civitatis viæ adequatæ, & ſtratæ, aliaque plura, ejus magnificentiam abunde teſtantur. Vixit annos quaſi 37., natum enim fuiſſe die 7. Decembris anno 1302. ſuperius vidimus, mortuum vero die 16. Auguſti 1339., atque Mediolani Dominium accepiſſe die 20. Februarii 1329., ut videre licet Nota 41. Corius annos 38. vixiſſe dicit, quod tamen Synchrono Scriptori, Nota prædicta citato, repugnat. Primus fuit ex Vicecomitibus Mediolani Dominis, qui intra Urbis Mœnia deceſſerit. Prolem nullam reliquit Actius legitimam, Filiam tamen notham nomine Luchinam, ab eo procreatam & Lucholo de Zotta Mediolanenſi nuptam memorat Corius, ad annum 1339. De hoc Principe, Vide Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 903. A., Gualvani Flammæ Opuſc. de Reb. Geſt. Azonis Vicecom. R. I. T. XII. col. 1028. E., Bonincont. Morigiam in Chron. Modoet. R. I. T. XII. col. 714. D., Chron. Mutinenſe R. I. T. XVI. col. 598. D., Chron. Eſtenſe R. I. T. XV. col. 403. B.; Corium ad annum 1339.

(63) Non de Spinulis, ſi Gualv. Flammæ in Opuſc. de Reb. Geſt. Azonis Vicecom. R. I. T. XII. col. 1030. C. habenda fides, fuit prima Uxor Luchini, ſed Filia Marchionis Salutiarum Violanta nomine, ex qua Filiam ſuſcepit. Idem Gualvan. Flamma in Manip. Florum R. I. T. XI. col.

mortua Dominam Eliſabetham de Fliſco ſororem prædicti Domini Joannis de Fliſco, ſuperius mortui, virginem, magnam, & formoſam ſibi matrimonio copulavit, & ex ipſa filium habuit, nomine etiam Luchinum, & filiam nomine Urſinam. Et multos ſpurios habuit ex diverſis mulieribus quæſitos, videlicet Bruſium, Foreſtinum, & Borſium, quorum aliqui prævaluerunt in virtutibus, ut infra ſuo tempore narrabitur. Scivit, Populum Mediolani de dominio ſibi dato murmurare propter præmiſſa & alia, quæ tacentur: ſtuduitque virtutes exercere, & bonis favere; adeo quod ceteros fratres ſuos in regendo præceſſit. Dilexit, ſed tacite, Gibellinos. Statum Mediolani reintegravit in tantum, quod Mediolanum non Civitas ſed Provincia videbatur. Pacem dilexit, juſtitiam amavit æqua libra. Oſtende-

col. 733., Luchini Nuptias tradit ad annum 1329. Violantam Filiam Thomæ I. Marchionis Salutiarum, nuptam Opicino Spinulæ, apud nonnullos Authores legi; utrum vero extincto primo Conjuge, ad ſecunda vota cum Luchino Vicecomite tranſierit Violantes, ſatis perſpectum non habeo: rei tamen veroſimilitudinem addit cognomen primi Mariti, a nonnullis Scriptoribus ei attributum. Adde etiam quod Opicinus Spinula primus ejus Maritus, in Annalibus Genuenſibus Georgii Stellæ R. I. T. XVII., poſt annum 1315. amplius non nominatur, cum præcedentibus annis 1306., 1307., & 1310., frequens de eo facta ſit mentio; quapropter eo tempore mortuum, ſuſpicari licet. Corius etiam ad annum 1317. dicit Opicinum Spinulam, jam demortuum fuiſſe. Hiſce tamen omnibus non obſtantibus difficile adducar ut credam Violantem, ſi ob mortem Opicini Spinulæ vidua jam erat anno 1317., poſt duodecim annos, nempe anno 1329. ætate veroſimiliter jam provecta, Luchino Vicecomiti nubere potuiſſe.

Ex ſecunda Conjuge (quam Iſabellam de Fliſco, fuiſſe dicunt Scriptores) Filiam nomine Urſinam habuiſſe, e natam eſſe de menſe Septembris anni 1343., poſt undecim Conjugii annos, tradit Bonincont. Morigia in Chronico Modoet. R. I. T. XII. col. 1178. B., ex quo deduci poſſet, ipſum ſecundas Nuptias contraxiſſe circa annum 1332., & ann. 1343. Luchinum dictum Novellum nundum in Lucem prodiiſſe. Sed de hoc plura in ſequentibus.

bat de paucis curare, & de multis curabat. Correxit primo ſuam Familiam, & ipſi imperavit, ut a conſuetis ceſſaret. Maximos equites ſtipendiarios continue tenebat. Et dicitur (64), quod faciendo guerram ſemper lucrabatur. Pacificum ſtatum habuit in tantum, quod in territorio, quod tenebat, tam de die, quam de nocte, & in locis ſolitariis quilibet potuit converſari. Imo tantam cautelam habuit, quod prædones & conſuetos prædari abſolvit a geſtis, & ſtipendiis decoravit, ita quod cuſtodiebant loca, quæ ſolebant offendere. Nullum Caſtrum, vel locus, vel homo faciens ſibi guerram potuit perdurare. Auſterus homo viſu & opere erat, liberalis, parcus in promittendo, & largus in attendendo. Res acquiſitas vel captas nuſquam perdidit. Dilexit ſolum filios, & de aliis parentibus ſuis parum curavit. Suſpicioſus valde erat; quibus cœperat offendere numquam parcebat, nec de ipſis confidebat, prout probatur per ſequentia. Etenim adoleverant Matthæus, Barnabos, & Galeaz fratres, filii quondam Domini Stephani & ex Domina de Auria de Janua eorum genitrice. Et dum eſſent in principio, juvenes formoſi erant, & videbantur quaſi debere dominari. Et jam unus, videlicet Matthæus, fuerat uxoratus cum Domina Ziliola filia Domini

---

(64) Ex hoc Verbo, quod res ab aliis auditas, non a ſe viſas ſignificat, ſuſpicari fortaſſe liceret, Azarium nundum tunc natum, aut ſaltem adultum, fuiſſe, & ſcribere cœpiſſe ſolum poſt Luchini mortem, niſi ſupra cap. 7. dixiſſet, *Et vidi Dominum Joannem de Spaim Alamanum in Sede Epiſcopali Novarienſi ſedere, & Epiſcopatum ipſum poſſidere*. Confer quæ Clariſ. Muratorius in ejus Præfatione, huic libro præfixa, recenſet, & ea, quæ in Monito dixi. Quis autem fuerit Joannes de Spaim, nec inter Novariæ Epiſcopos nominatum, nec ex Monumentis illius Eccleſiæ cognoſcere potui; ideoque a Pſeudopontifice Nicolao, circa annum 1328. ad Novarienſem Epiſcopatum, electum fuiſſe, credo, cui anno 1329. Joannes XXII., Jo. Vicecomitem ſubſtituit. Hinc forte aliquid, circa Azarii ætatem, conjicere licet.

nī Philippini de Gonzaga de Mantua. Cœpit iſtos nepotes ſuos habere odio occulte. Et demum oportuit propalare. Ipſos expulit de Mediolano & de terreno ſuo. Et credo, quod precibus illorum Dominorum de Mantua Dominum Matthæum antedictum non expulit de Lombardia, ſed in partibus Domini Marchionis de Monteferrato dimiſit, videlicet ut plurimum in Terra Morani. Alios vero quamquam juniores de Lombardia expulit, & in tantum ipſos odio fuit perſequutus, quod neceſſario habuerunt in partibus extremis abſentare, variando loca, & ſeparari propter duo. Primum ſcilicet ob paupertatem. Secundum ob patrui aſtutiam, ut, ubi eſſent, haberet deinde ignorare. De ipſis noluit aliquid boni audire uſque ad mortem; imo odio habebat quoſque ipſis ſervientes. Geſſit & ægrum animum contra Magnates, qui converſationem habuerant cum præfato Domino Azone. Et dicebatur, quod id faciebat propter alterum de duobus, ſcilicet aut pro eo quod morti præfati Domini Marci fratris ſui, de quo ſuperius eſt narratum, aſſenſerant, conſulendo, aut quia tempore Domini Azonis ipſe paucum profictum ex titulo & honore habebat. Nam præfatus Dominus Azo Conſiliariis ſuis multum credidit, & cum eo in infinitum facti ſunt opulenti. Et pro eo dictos Conſiliarios male tractabat, etiamſi eſſent de Optimatibus Mediolani. Et inter alios erat Franciſcolus de Puſterla ditior & felicior quovis Lombardo, ſi tamen temporalia hominem poſſunt facere felicem. Et quod ſit verum, audietis. Nam pulchriorem & nobiliorem mulierem Mediolani habebat in uxorem. Nobiliorem, quia de Vicecomitibus; pulchriorem, quia etiam vocabatur Margarita. Et certe mirum fuit, quod nemo in luxuria erat dicto Franciſcolo coæqualis, in tantum quod a prandio ſe levabat, ut haberet coitum cum ipſa Margarita uxore. Et ſic faciebat equitando, ſi debuiſſet de equo deſcendere, & invadere publicas meretrices. Ex ea habuerat tres filios mares,

res, pulchriores forma aliquibus Mediolani. Et ſi aliter fuiſſent, degeneraſſent, quia ipſorum parentes tam vir quam mulier formoſi ultra modum erant & valde pulchri. Domum autem in Mediolano habebat pulchriorem; poſſeſſiones, mobilia, in tantum quod numerus non exſtabat, & certe alter Job potuit dici.

Sed quia ad plenum enarrare longum nimis eſſet, concludam, quod præfatus Dominus Franciſcolus accuſatus fuit de quodam tractatu. Et certe potuit eſſe verum. Nam dicebatur, quod ipſius uxor prædicta conqueſta fuerat, quod Dominus Luchinus voluerat nobilitatem ipſius turpi coitu fœdare. Nam præfatus Dominus Luchinus exſtitit luxurioſus. Et quod gravius erat, propter ægrum animum, quem in eo videbat, habebat de ſtatu dubitare. Et certe ſi prædictus Dominus Franciſcolus cogitata cito explevisset, de facili fuiſſent effectum conſequuta. Sed quia tanti & potentes Cives ipſi tractitui aſſentiebant (65), neceſſarium fuit ab aliquo publicari, & male. Quocirca Dominus Luchinus multos cepit, & capti fuerunt ſtatim decapitati, & fame, aliiſque tormentis necati. Et quia nimis longum eſſet enarrare opus, de ipſis ad præſens tacetur. Dicam, quod prædictus Franciſcolus fugit (66), & cum

(65) Inter hujus conſpirationis complices, Corius, ad annum 1340. nominat, præter Franciſcum de Puſterula, Galeatium, & Bernabovem Vicecomites, Pallam, & Martinum Fratres Liprandos, Borolum de Caſteletto, & Beltramolum Amicum. Chron vero Mediol. R. I. T. XVI. col. 715. E. hos nominant, Zurionum Fratrem dicti Franciſci de Puſterula, Pinallam & Martinum Fratres de Aliprandis, Borolum de Caſteletto, Alpinolum de Caſate, virum levem, & Ramengum ejus Fratrem.

(66) Franciſcolum de Puſterula, contra Luchinum, ſimul cum aliis Mediolani Optimatibus, vere conſpiraſſe anno 1340. tradunt plures ex ejus ævi Scriptoribus; ſunt etiam qui ſuſpicantur Mathæum, Bernabovem, & Gale-

cum pluribus ex filiis ſuis Avenionem ſe reduxit. Sed quia nec ibi nec ultra mare, nec citra permiſiſſet eum vivere, neceſſarium fuit alio divertere; nam exploratores ipſum ſequebantur; & captus fuit in marinis partibus, & ſuper Portu Piſanorum ducti fuerunt Mediolanum. Multos alios publicatos accuſavit, quos morte peremit. Et demum ipſum & filios duos cum parentibus in Broleto decapitari fecit, & quoſque tam mares quam fœminas, & ipſam Margaritam (67) conſumavit, quæ propterea alia fuit Hecuba, ut legitur in proceſſibus Trojanorum. Purgavit adeo Dominus Luchinus eorum contumaciam, quod credo nunquam Mediolanenſes auſuros tractare (etiam quia timidi ſunt a natura) contra Vicecomites.

Præterea Civitatem Parmæ, ſimulans de ipſa non curare, cum univerſis fortalitiis & Caſtris ejus diſtrictus habuit, quam Ambaſciatores Parmenſes obtulerant. Civitatem Bobii acquiſivit. Terdonæ & Alexandriæ dominatus eſt. Civitatem Aſtenſem habuit, & cum pactis pro vita ſua tan-

---

Galeatium, ejus ex Stephano Fratre Nepotes, magnæ expectationis juvenes, hujus rei conſcios, ac participes fuiſſe. Vide Jovium in vita Luchini, & Corium ad annum 1340. Detecta vero conjuratione, fuga evaſit Franciſcolus die 20 Julii 1340., una cum Filiis, ac ſuo Theſauro. Poſt 18. vero menſes, Piſas arte deductus, captus, ac Mediolanum translatus, una cum duobus Filiis, capite plectitur. Ejus vero bona, quæ diſtrahere, aut occultare, non potuerat, publicata fuere, & ad bis centum millia Florenorum Auri valorem aſcendiſſe, dictum. Totam conſpirationis ſeriem, artemque qua Luchinus, Franciſcolum ex Avenione, quo confugerat, ad Piſanum Portum reverti, ibique comprehendi, ac Mediolanum adduci, curavit Luchinus, ſi videre placet, conſule Bonincont. Morigiam in Chron. Modoet. R. I. T. XII. col 1176. B., Gualv. Flammam in Opuſc. R. I. T. XII. col. 1035. E., & Corium ad annum 1340.

(67) Margareta Puſterula, Soror fuit Ottorini Vicecomitis, & Filia Uberti, Fratris Mathæi Magni. Vide Corium ad annum 1340., Vide Jovium in Vita Luchini.

tantum. Nam Domus illorum de Solerio, quæ in partibus illis viginti quatuor Caſtra, & magna ſortilitia habebat, Aſtenſi Civitati dominabatur, & in tantam ſuperbiam creverat, quod alias Domos & Parentelas Aſtenſium pro nihilo reputabat. Nam pars Gibellina extrinſecus tenebatur, quamquam aliqua Caſtra in Aſtenſi diſtrictu poſſiderent. Et in tantum hi de Solerio elati fuerunt ſuperbia cervicoſa, quod Rotarii Nobiles & potentes, & qui ſub uno tecto plateæ cum majoribus de Solerio converſabantur, propter gravia, quæ in ipſis faciebant, cœperunt contra iſtos de Solerio cogitare. Domus autem Pelletarum, quæ tunc perſonis & pecunia ceteras Aſtenſes excedebat, cœpit iſtis Rotariis propter alia adhærere, & in tantum adhæſit, quod tractatum cum Domo de Caſtello extrinſeca inierunt. Eſt enim Domus de Caſtello ternaria, quia ex tribus Parentelis nobilium Gibellinorum unita, ſcilicet Gutturariis, Iſnardis, & Turchis. Et mediante Domino Joanne Marchione Montisferrati, qui multum de dicta Domo de Solerio timebat, dederunt ordinem, quod una die Civitatem ipſam intraverunt; & ipſe Marchio cum toto ejus exfortio præſens fuit ad bellandum, & dominium ipſius Civitatis habuerunt. Qui Marchio, expulſa ſolum illa Domo de Solerio, titulum dominii Civitatis Aſtenſis acquiſivit, & ipſum pluribus annis poſſidendo. Et quia, ut ſuperius dixi, pars expulſa Solerii Caſtra præmiſſa poſſidendo potens erat, guerram ipſi Civitati fecit, & cum aliis Regalibus Pedemontium, & in tantum quod ipſi Marchioni durum erat, imo impoſſibile ipſam Civitatem poſſe tenere. Et communicato conſilio dominium ipſius Civitatis & diſtrictum Aſtenſem præfato Magnifico Domino Luchino cum certis pactis & promiſſionibus in vita ſua dederunt; & quæ ipſe valde bene obſervavit.

Erat autem præfatus Dominus Luchinus Gibelliniſſimus, quamquam ſe talem in Mediolano non oſtenderet,

in

in quo noluit aliquem non eſſe Guelfum, præterquam Domum de la Turre. Et timens, ne illi de Solerio expulſi de Aſta caput iterum facerent partis Guelfæ, curavit ipſos ſummo ſtudio devaſtare & vaſtavit; nam Domus illa pro tenendo centum equos & armigeros ultra ſolitum, ſolum denarium non expendebat, cui ſimilis in potentia non erat in Lombardia tunc. Et pro eo favit ipſis Aſtenſibus Gibellinis ipſe Luchinus, qui cum exercitibus, machinis, & aliis neceſſariis ad pugnam Caſtrorum ipſa Caſtra ceperunt, diruerunt, & explanaverunt in profundis, & poſſeſſiones eorumdem de Solerio inter ſe diviſerunt cum aliquibus Caſtris, quæ quamquam non ſua occupabantur per eos de Solerio. Et tantum fecerunt, quod nullus ipſius Domus in diſtrictu Aſtenſi bona poſſidebat, neque nominabatur. Deinde Civitatem Albæ Luchinus acquiſivit, Claraſcum, & alias Terras Regales, & quæ diu per Regem Robertum fuerant poſſeſſæ in partibus Pedemontium nec ſolum Caſtrum dimiſit, quod non proſterneret, aut ſubjiceret uſque Vinalium, quod dicebatur de partibus Provinciæ, Alpes circumdantes, ibi Lombardiam tranſeundo. Et certe ſi aliquantulum plus ſupervixiſſet, multa in Provincia poſſediſſet. Curavit multum fœdus cum Domino Maſtino de la Scala; an id faceret amore vel timore, tacetur. Sed multa exenia ad invicem largiebantur, & ſimul ambo magnam fraternitatem habuerunt, & matrimonia inter ſe plura decreverant & publicaverant, quæ propter mortem alterutrum non fuerunt exequutioni mandata. Cum Imperio ſemper bene ſtetit. Cum Eccleſia tamen ſuo tempore in Mediolano exſtitit ſtabilitum, ut nulli liceret vendere immobilia alicui Eccleſiaſtico. Et ita hodie obſervatur. Circa vero finem curavit, prædictum Dominum Marchionem Montisferrati velle deprimere. Et utinam feciſſet per ea, quæ ſequuta ſunt, & inferius dicentur de partibus Lombardiæ. Et cauſa eſt, quia videbat ipſum nimis creſcere. Nam ipſe Mar-

chio dominium ſuum, quod reperierat laceratum propter ſtultitias Theodori quondam patris ſui, jam reintegraverat, & alii Marchiones adhærentes ipſi de Monteferrato favebant ſibi, timentes impetum Mediolani, & nolentes ipſius dominio ſubjugari, ſicuti Marchio Cremolinus de Malaſpina, Marchiones de Ponzono, Marchiones Carrettini, Marchiones Cevæ, qui in angulo Pedemontium ſunt concluſi. Et quod verum eſſet, indicia præcedebant. Nam peti faciebant per Vercellenſes Terras Tridini, Triverii, Palazzoli, Fontanetti, Liburni, & Bianzati, diu per Marchionatum poſſeſſas citra Padum. Quæ Terræ fortes & notabiles plenæ erant Populo & fructiferæ valde nimis. Et jam Terram de Verruca cum Caſtro cœperat poſſidere, & ab Epiſcopo Vercellenſi velle cognoſcere, quæ eſt ultra Padum, & quæ impetum dare plurimum poterat & poteſt ipſi Montiferrato valde aſpero ad bellandum. Et Creſcentinum, quod eſt Domini Antonii filii quondam Domini Ricardi de Tizonibus citra Padum in oppoſito ipſius montis Verrucæ jam cœperat poſſidere. Et dicitur, quod niſi præfatus Marchio Montisferrati a Mediolano cum cautela, & dimiſſa ipſius ſocietate in Mediolano & equis, Papiam fugiſſet, male ſucceſſiſſet eidem. Ex quo Dominus Luchinus grave odium habere incœpit contra Papienſes, nec deinde in vita ſua dictus Marchio Mediolanum rediit. Præterea curavit idem Dominus Luchinus ſummo ſtudio & cum maximis laboribus & expenſis Januam cum ſuis Civitatibus ſubigere. Januenſes jam ad Populum cœperant ſe regere, remotis Caſalibus magnis, ſicuti Spinulis, Fliſcatoribus, Auris, & Grimaldis, & Simoninum Buccanigram in Ducem creaverunt.

Tamen volens ipſe Dominus Luchinus conceptum propoſitum ſequi, fœdus cum ipſis Proceribus taliter expulſis inivit, & cum illis de Fliſco parentelam habebat propter uxorem. Et ad prædicta exſequenda maximum exercitum

miſit

miſit cum Proceribus ipſis & aliis Lombardiæ. Miſitque pro Capitaneo dictæ gentis & repræſentante perſonam ſuam, diſcretum virum Dominum Bruxium Vicecomitem filium ſuum naturalem, ut ſupra, ſociatum alio Capitaneo executorio, videlicet Domino Raynaldo de Axandris de Mantua. De cujus Bruxii proceſſibus infra dicetur. Et ſapiens Juris Doctor Franciſchinus de Chriſtianis Judex Papienſis cum ipſo Domino Raynaldo in ipſo exercitu permanebat. Qui curabunt ipſam Civitatem obſidere. Et male ſucceſſiſſet ipſi Civitati, ſi per mortem præfatus Dominus Luchinus non fuiſſet de medio ſublatus. De cujus morte quum præfato Domino Bruxio innotuit, ipſe Dominus Bruxius fugit ad partes alienas, nec auſus fuit ad propria remeare, cauſis infraſcriptis. Nam ipſe vivente patre Laudam Civitatem tenebat, magnam vitam & expenſas ducens. Habebat uxorem de Dominis Caſtribarchi diſtrictus Tridentini; & ſimilis Neroni ipſam Civitatem pertractabat. Cives non audebant loqui. Non veſtiebatur ſecundum Evangelium veſte nuptiali. Rapiebat quæ volebat. Juſtitia ceſſabat, & fiebat ſecundum ipſius decreta; & ratio erat, quia dicebatur aſtutus, & ingenioſus, & ſcientiatus, morales Libros undique acquirebat, bona & rationabilia principia habendo & male concludendo. Multa pulchra dicebatur ſuo ſtudio compilaſſe. Dabat reſponſum Proceribus Lombardiæ, ut libebat. Et qui a Domino Luchino non poterant obtinere, ad ipſum recurſum habebant, ſic quod erat ſecundus Mediolani Dominus tacitus. Duxitque Laudenſes pro majori parte ad annualem ſervitutem & operaria ipſi facienda. Nec aliquis audebat conqueri, quoniam Judex competens non comparebat contra eum, & ipſi miſeri contra poſſe annualiter reſpondebant, ut dictum eſt ſupra. Perterritusque, quia ſolum amicum non acquiſiverat, fugit ad partes extraneas, ubi diu latitantem miſeria ſubjugavit in partibus Venetorum. Deinde Bononiam rediit ex miſſione

Domini Joannis Vicecomitis de Olegio, qui dominium ipſius Civitatis fraudibus objectis occupando detinebat, & detinuit, ut potuit, ut inferius dicetur. Et a Bononia ipſum Bruxium deinde brevi tempore expulit præfatus Dominus Joannes, dimittens ipſum ſui proditorem cum ſolis veſtibus & uno ronzino; aſſerens, quod niſi fuiſſet amore patris ſui, ipſum publice ſuper platea Bononiæ feciſſet decapitari, ut alios fecerat deprimentes ſtatum ſuum in Bononia. Qui triſtis effugit, & Acatum Civitatem adivit in partibus Venetorum, & in ipſa Civitate miſerrime mortuus eſt. Magnificavit autem præfatus Dominus Luchinus in tantum Mediolanum propter officia in ipſis Civitatibus, præcipue Mediolanenſibus, data, & pacem longiſſimam & juſtitiam rectam, quod Mediolanum & Comitatum triplicavit potentia, quæ tunc acquiſita ipſis nunquam deficient. Præterea præfatus Dominus Luchinus in Mediolano & apud Eccleſiam Beati Joannis in Conca conſtrui fecit ſpatioſiſſimam domum, & cum ſpatioſis Palatiis circum circa, & turribus fortiſſimis & magnis, videlicet quatuor ſuper ſingulis quatuor angulis directe protendentium. Et ut ad ipſam ſpatioſam pro libito venire poſſet, fecit fieri pontile unum latiſſimum, ſpatio brachiorum decem vel ultra longum ab ipſa domo uſque ad Palatia, & domos apud Eccleſiam Cathedralem, & ubi alii ſinguli Domini de Vicecomitibus habitabant. Quod Pontile totum erat muro clauſum & tecto coopertum, & in ſummitate omnium domuum ſubjacentium, quod eſt in longo protenſum per ſextam partem unius miliaris. Fecitque fieri in Viglevano Caſtrum mirabile & innumerabilium expenſarum, quod appellavit Belreguardum, tamen cum maximo diſpendio Communis Viglevani, etiam ſibi ſubjectorum. De cujus magnitudine & longitudine mirabilia poſſent dici. Fecit etiam confici apud ipſum Viglevanum & ſuper ipſius territorio Pontem unum ligneum firmatum in principiis parietibus fortibus murorum,

rum, & ſuper Ticino in longo protenſum a ripa Vallis Ticini loci Viglevani uſque apud Caſtrum Bergami olim conditum per præfatum quondam Dominum Matthæum Vicecomitem occaſione tranſitus Ticini. Erat autem dictus Pons mirabilis & ſpatioſus & protenſus ultra modum. Erat latus, quod plauſtra tria iviſſent paria, & a parte. Longus autem per unum milliare, & totus ſcandolis ligneis coopertus, & tam levatus a terra, quod maximæ naves ſive ponderatæ ſive non, ſine aliquo obſtaculo ſubtus tranſibant. In capite vero utriuſque partis erant pontes levatorii, & ſingulæ Rocchæ lignaminis valde fortis. Nuſquam viſus fuit Pons ligneus aliquis tam longus, tam ſecurus, quia ab utraque parte aſſeribus erat concluſus, & merlatus, & præparatus ad pugnam, nec tam pulcher, & quem, ut dicetur infra, Papienſes combuſſerunt. Et ſi auſteritatem contra tres Nepotes non exercuiſſet in ipſis expellendis, poſſet per omnes Mediolanenſes titulari ſanctus, exceptis ſuperius dictis, & Domino Maffino de Belutio, quam in havere & perſona fuit inſequutus, tenendo ipſum in confinibus extra Mediolanum & diſtrictum. Et taliter ſe geſſit, quod perpetuo ipſius fama in Mediolano & Lombardia non labetur, ſed divulgata apud poſteros eluceſcet. Voverat autem prædicta Domina Eliſabeth ejus uxor viſitare Eccleſiam Sancti Marci in Venetiis, ut dicebat. Cui itineri Dominus Luchinus annuit. Et ſociata multis Proceribus utriuſque ſexus, iter arripuit, & tanquam Imperatrix, & cum maximis diſpendiis, & Curia publicata, recepta fuit in Verona per Dominum Maſtinum. Complevitque iter ſuum, & dicitur etiam voluntatem ſuam compleviſſe circa coitum (68). Et aliæ

(68) Celebris eſt apud ejus ævi Scriptores, hæc Iſabellæ de Fliſco, Luchini Uxoris, peregrinatio, ad Divi Marci Templum Venetiis viſitandum,

dum, tam propter comitantium numerum, & magnificentiam, quam propter regiam pompam, qua a variis Italiæ Principibus in itinere recepta, atque hoſpitata fuit. Neque a nonnullis diſſimulantur ea, quæ contra matronalis modeſtiæ debitum, inviolatamque nuptialis thalami fidem feciſſe, hic tradit Azarius. Nullus tamen inter tot ejus ævi Scriptores, nobiles Matronas, & Viros, ex diverſis ſubditis Civitatibus a Luchino accitos, quibus Uxorem ſociari voluerat, enumerare agreſſus eſt; quod certe ea de cauſſa factum ſuſpicor, ne ad aſſeclas, earumque Familias, illam forte infamiæ notam quis extenderet, quam Iſabellam meruiſſe, ſcribunt. Unicus inter omnes, quos videre licuit Scriptores, eſt Author Anonymus Chronici Eſtenſis, a Clariſ. Muratorio vulgati, R. I. T. XV. col 434. E., & ſeq., qui hæc diſtincte tradit. Ejus textum eo libentius hic refero, quia jam a Muratorio editum, & quia alicui, ex honeſtiſſimis Mulieribus, quæ Dominam comitabantur, jure merito, ex ejus exemplo, aliquid notæ inuri non poteſt; præcipue cum propriis ſociatæ conſortibus, pleræque iter ſuſceperint. Quapropter obaudiendum Azarium facile credo, qui de rebus alibi geſtis loquitur: Maxime cum apud plures alios Scriptores ea, quæ ipſe infra tradit, non legantur. Vide de hoc Corium ad annum 1347., quo tempore tale ſuſceptum Iter.

Prædictus Auctor Chronici Eſtenſis, ſic loquitur;

„ Tunc temporis revelavit (nempe Iſabella) domino Luchino, Votum
„ quod promiſerat, deſiderans adimplere, qui reſpondit eſſe contentum,
„ & Nuntios direxit ſubditis cujuslibet Civitatis, quod traderent ei duos
„ honorabiles Cives, tali de cauſſa, & ſic factum fuit. Qui fuerunt
„ XXVIII., ſcilicet:

De Civitate Tortonæ.

„ Dominus Gratiolus de Opicinis.
„ Dominus Franciſcus de Ponzano.

De Alexandria.

„ Dominus Joannes a Puteo.
„ Dominus Guillelmus de Guaſchis.

De Cremona.

„ Dominus Jacobus de Summo.
„ Dominus Bertonus Cavalcabos.

De

De Brixia.

" Dominus Jacobinus Tagentinus.
" Dominus Petrus de Ugonibus.

De Vercellis.

" Dominus Antonius Cagnolus.
" Dominus Rizardus Tizonus.

De Laudo.

" Dominus Sagnius de Viſcamor.
" Dominus Matthæus de Rizardis.

De Novaria.

" Dominus Franceſchinus Titonus.
" Dominus Romagnallus Torniellus.
" Dominus Ambaxiator de Bobio.

De Aſti.

" Dominus Antonius de Duraſſiis.
" Dominus Conradinus Ruilerius.

De Como.

" Dominus Pincivallis Avogarus.
" Dominus Codeus de Sancto Benedicto.

De Bergamo.

" Dominus Baldinus Saldus.
" Dominus Henricus Sbardus.

De Placentia.

" Dominus Manfredus de Lando.
" Dominus Dondacius de Fontana.

De Parma.

" Dominus Ubertus Marchio Pelavicinus.
" Dominus Joannes de Corrigia.

De Papia.

" Dominus Becarius de Becharia.
" Dominus Iſnardus Domini Petri, & Frater ejus.

Item

Item de Civitate Mediolani .

„ Dominus Maffeus Vicecomes .
„ Dominus Gaſparinus Vicecomes .
„ Dominus Franciſcus de Carcano .
„ Dominus Otobonus Lac Vicecomes .
„ Dominus Boſſinus Mantegacius .
„ Maxotus Buſca .
„ Dominus Petrus Vicecomes .
„ Guidetus de Caxate .
„ Guillielmus de Puſterla .
„ Magiſter Maynus Phiſicus .
„ Katelanus ſocius Domini Maffei, de Sala .
„ Franzolus de Sancto Vitali .
„ Cirnolus Canevexius .

Nomina Dominarum .

„ Domina Iſabella Uxor dicti Guaſparini Vicecomitis .
„ Domina Leonor Uxor dicti Joannoli Scacabarocii .
„ Domina Bonacoſſa de Pirovano .
„ Domina Leonor Uxor Petri Vicecomitis .
„ Uxor Domini Joannis Vicecomitis .
„ Uxor Antholini cum ſua Nepote .
„ Uxor Franceſcoli Burri .
„ Uxor Arducini Benzoni de Cremonà .
„ Uxor Domini Joannis de Beſocero .
„ Uxor Lanfrancoli de Bugnis cum Filia .
„ Domina Theodora Uxor Franciſci de Madiis .
„ Uxor Mathæi de Gambera .
„ Petrus Luvonus Domicellus Domini .
„ Joannolus Domini Gaſparini Vicecomitis .
„ Filius Lanfrancoli Bugni .
„ Magiſter Ambertus Medicus .
„ Magiſter Guillielmus Cyroycus .
„ Dominus Marinellus de Medicis .
„ Dominus Mazacanis de Madrignano .
„ Dominus Signorellus Homodeus .
„ Dominus Magiſter Joannes Buſca .
„ Franciſcus de Madiis .

„ Ca-

aliæ ſociæ ſuæ, & de majoribus Lombardiæ fecerunt illud idem. Propterea multa ſcandala ſequuta ſunt. Sed quia amor & tuſſis nequeunt celari, nec aliquod tam occultum, quod non reveletur, quum ipſa rediiſſet, Dominus Luchinus ſcivit & audivit de geſtis. Sed tamquam ſapiens curavit dare ordinem de vindicta. Et quia una die dixit, quod in brevi facturus erat in Mediolano majorem juſtitiam, quam umquam feciſſet, cum pulchro igne, prædicta ejus uxor percepit, quod ipſa erat in juſtitia; illa intellecta propter commiſſa, cum perſona non poterat ſe excuſare a prædictis, ſicuti alias excuſaverat. Qualiter autem proceſſiſſent negotia, ignoratur, nec ſcribitur (69).

N Sed

„ Cagnolus de Corrigia.
„ Ferrantinus de Malateſtis.
„ Dominus Benectus de Malavicina.

„ Quilibet ſupradictorum habebat Domicellos, & Domicellas, nomi-
„ na quorum, & quarum non ſcribo &c.
„ Receſſerunt Mediolano in Milleſimo CCCXLVII. die penultimo men-
„ ſis Aprilis. Hactenus prædictus Author.

(69) Quod ſilentio præterit Azarius, atque non pauci ejus ævi Scriptores, refert Jovius in Vita Luchini Vicecomitis hiſce Verbis: *Hoc tanto inexpiabilis infamiæ vulnere perculſus Princeps, ita flagitii injuriam tulit, ut non obſcura, parati ad vindictam animi, ſigna vel non plane explicata, contractæ frontis querela, demorſis ſepe unguibus, oſtenderet. Itaque Fuſca* (ſic Iſabellam vocat) *expedito ingenio, non impudica modo, ſed apprime truculenta Mulier, pœnæ metum celeriter antevertit; ægrumque adhuc Conjugem veneno lento atque tabifico præoccupat, nullo tum ſceleris extante veſtigio, cum plane maturatus ægri ſenis obitus, ad novum inſurgentis morbi impetum, facile refferretur.* Hanc ex Jovio laciniam hic inferre placuit, ut Lector, ſimplicitate Styli, quo utor, tædio captus eleganti hujus facti deſcriptione recrearetur; cæterum, plura quæ hic narrat Jovius quaſi teſtis præſens fuiſſet, Rhetoris ingenio, non veritati adſcribenda ſunt, cum apud coævos Scriptores non legantur. Vide etiam Platinam in Hiſtoria Mantuæ, qui Iſabellæ amores

Sed Dominus Luchinus vindictam illam facere non potuit propter defectum vitæ; & ſic diem clauſit extremum Anno MCCCXLVIII. die XXV. Januarii, in die Sanctæ Agnetis (70). Et ſepelitur in Eccleſia Creſcentiaghi (71). Unde Cato:

Nam nulli tacuiſſe nocet. Nocet eſſe locutum.

CAP.

---

res cum Ugolino Gonzaga, eorumque geſta in itinere, quo eam Venetias comitatus eſt, luculenter deſcribit lib. III. & R. I. T. XX. col. 733. E. & ſeq., Vide Chronicon Mantuanum Bonamentis Aliprandi Antiquit. Italic. Muratorii T. V. col. 1179. A., & ſeq.

(70) Luchinum Vicecomitem vita defunctum die Sanctæ Agneti ſacro 21. Januarii 1348., & die 25. ſepulturæ traditum, facile crediderim, atque Amanuenſis errore in Azario aliquid omiſſum fuiſſe, niſi Jo. de Cornazano in Fragmentis Hiſtor. Parm. R. I. T. XII. col. 747. A., & Gualv. Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 737. D. diem mortis 25. aſſignarent. Corius autem diem 23., Jo. vero de Muſſis in Chronicon Placent. R. I. T. XVI. col. 499. B. Luchinum Vicecomitem Mediolani diem clauſiſſe extremum hora 23. Sabbati 24. Januarii, affirmat, annum vero perperam aſſignat eundem 1348., quod diverſæ annum tunc temporis incipiendi in diverſis locis conſuetudini, forte tribuendum, pro Azario vero Amanuenſis errori. Chronicon Eſtenſe R. I. T. XV. col. 452. D., die 24. Januarii 1349. Luchinum *morte Peſtilentiali, quia ſanguinem ſparſit, Defunctum* affirmat. Veneno tamen potius, quam peſtilentiali morbo, tribuendum, hoc crederem, cum ſanguinis effuſio, inter corrodentis Veneni ſigna, recenſeatur. Vide Lindeſtorphium Jo., de Venenis, alioſque; Anno tamen 1349. Luchinum obiiſſe, cum Corio præcitati Authores, & Hiſtor. Cortuſiorum: R. I. T. XII. col. 929. A., uti etiam Chron. Mutinenſe. R. I. T. XV. col. 614. D. conveniunt. Vide etiam Gualv. Flam. Manip. Florum R. I. T. XI. col. 737. Diſcordantes Scriptores facile conciliabis inito calculo, ex quo apparet anno 1348. nec diem Januarii 23., nec 24. incidere in diem Saturni, diem vero 24. dicti menſis, ſed anni 1349. incidere in diem Saturni. Tali anno, ac die mortuum vere eſſe Luchinum ex hoc cognoſces. Ipſum natum fuiſſe circa annum 1292., ſuſpicari non temere licet, ut alibi dixi; Gualv. enim Flamma in Opuſc, R. I. T. XII. col. 1046. B. dicit, Joannem Archiepiſcopum natum anno 1290., & poſt 16. menſes natum Luchinum Fratrem.

Hæc

Hæc ſi vera ſunt deceſſit Luchinus anno ætatis ſuæ circa 57., quamvis Jovius nullas adducens tabulas, annos 62. vixiſſe dicat. Gualvanus vero Flamma tunc temporis Mediolani vivebat, & verſabatur in Aula, utpote qui erat *Venerabilis Domini Joannis Archiepiſcopi Capellanus, & ſcriba*, ut ipſemet profitetur in Calce Opuſculi. Prima ejus Uxor, Gualvan. Flamma, (loco Nota 63. citato) teſte, fuit Violanta Filia Marchionis Salutiarum, de qua tamen vide quæ dixi. Ex ea Filiam ſuſcepiſſe aliqui tradunt; ſed cum de hac poſtea nihil ſcriptum reperiatur, forte in infantem extinctam, putandum eſt. Secunda fuit Iſabella de Fliſco, eique nupſiſſe anno 1316. tradit Anonymns Scriptor Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col 696. C. his Ve bis: *iſto anno 1316. Luchinus, & Stephanus Fratres, Uxores ducunt; Ambæ Januenſes erant*. Neque ætas obſtare videtur; Luchinus enim anno 1316. ex prædictis annum agebat vitæ ſuæ 24.; Ideoque primam Uxorem jam habuiſſe poterat. Verum quominus Annal. Mediol. Scriptori aſſentiendum videatur circa tempus, quo Iſabellæ nupſerit, hæc in cauſſa eſſe poſſunt. Primo quod Bonincont. Morigia Syncronus Author in Chron. Modoet. R. I. T. XII. col. 1178. B. affirmat Urſinam Luchini, & Iſabellæ filiam natam anno 1343. poſt undecim Conjugii annos, ex quo deduci poteſt Iſabellam nuptam fuiſſe, non anno 1316., ſed 1332.; Secundo quod ſi Iſabellæ nuptias ad annum 1316. remittas, eam circa præcedentis Seculi finem natam fuiſſe, concedendum ſit; ideoque anno 1347. quo Venetias perrexit, fere quinquagenariam fuiſſe; quæ ætas, utrum rebus ab ea tunc perpetratis convenire poſſit, Lectoris prudentiæ judicandum relinquo. Gualvanus etiam Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 733., ad annum 1329. hæc habet: *tunc Luchinus, & Lodriſius duxerunt uxorem*, ſed neque hæc Epocha convenit cum iis quæ ſupra ex Morigia vidimus; Errorem igitur irrepſiſſe in utroque textu veroſimile eſt, quod in Notis præcipue numericis facillimum. Violantis tamen nuptias, anno 1316. eveniſſe veroſimile eſt; Iſabellam poſtea vero ab eo anno 1329. deſponſatam fuiſſe, ut Gualvanus dicit; ſic enim anno 1347. infra quadrageſimum ætatis annum adhuc erat.

Cum tamen nemo ex citatis ſcriptoribus Luchini mores accuratius deſcribat, quam incertus Author, in Hiſtoriæ Romanæ fragmentis, quem Nicolai Laurentii, ſeu Cola da Rienzo, nomine edidit Muratorius Antiquit. Italicarum T. III. col. 306. A., temperare non poſſum, quin hujus laciniam hic exſcribam, cum plura de eo contineat, quæ apud alios Scriptores, fruſtra quæſieris; ſic igitur dicit:

„ Severus homo Luchinus, abſque ulla miſeratione rexit. Offenſas num„ quam remittebat. Pro meritis noxios, & peccantes puniebat. Tanta ei „ crudelitas infuit, ut Canibus ſuis vorandum dederit quendam adoleſcen-

„ tulum Germanum, qui Luchino Ceraſa obtulerat, quod adoleſcens ipſe „ Canem quendam ejus, ſibi alatrantem vulneraverat. Nulla pietate Tyrannus flecti potuit, vel ob percuſſoris pueritiam, vel ob genitoris ejus „ amorem, qui Tribunus Militum, & Amicus Luchino erat, vel ob pecuniam pro puero redimendo oblatam. Ceterum idem Vicecomes, licet Cuſtodes Corporis ſui, equites, ac pedites in regalem modum haberet, nihilominus præcipuam, novamque cuſtodiam ad Corporis ſui defenſionem enutrivit. Ejuſmodi cuſtodia fuerunt duo Canes Alani, corpore ingentes, aſpectu „ horribiles, forma, Leonibus non abſimiles, lanoſi ceu pecudes, oculis „ rubentibus, ac terribilibus. Hi duo Alani Canes perpetuo Luchinum per „ Aulam ſociabant, a Latere dextero unus, a ſiniſtro alter. In Palatii ſui „ medio fortis Turris conſtructa exſurgebat. Intra Turrim amplum ſatis „ cubiculum erat. Quum in illo cubiculo Dominus Luchinus cubitum, ad „ ſomnum capiendum petebat. Canes catenis ſoluti vigilabant. Turrim circumibant ſemper. Nemo ad oſtium cubiculi apropinquare audebat. Ante „ Turrim ingens, ac ſpatioſa Aula videbatur; Ad Aulæ Oſtium excubabant „ Cuſtodes. Ad generalem portam Curiæ in atrio excubias ſuas agebant alii „ vigiles. Demum armatorum tertia cuſtodia in Platea morabatur. Quum „ Dominus Luchinus ad menſam ſolus ſedebat, quatuor Canes corporis „ forma ingentes continuo ſtabant ad ejus menſam. Ipſe vero modo uni, „ modo alteri fruſta carnium projiciebat. Quum ipſe Dominus Luchinus „ ſtabat, dynaſtarum, & Nobilium magna multitudo eum circumdabat, „ ſilentium caute cuſtodiens, ob Canum timorem, nemo adſtantium aulicorum movebatur loco, nemo Nobilium loquebatur. Si Vicecomes aliquem „ forte iniquo, aut ingrato oculo conſpiciebat, protinus Canes, ad guttur „ exoſi hominis irruebant, & illum, ad terram proſternebant &c.

Infra vero ſic:

„ Præterea Dominus Luchinus juſtitiam ſumme amavit, quam nec ob „ aurum, nec ob argentum unquam exercendo deſtitit. Quare Mediolanenſis Civitas, & cætera loca, quibus imperabat, ſecuritate, & quiete „ multa gaudebant. Naturalis ei filius fuit Bruzius nomine. Huic Domino Bruzio donavit Laudis Pompejæ dominium. Ad hanc Urbeculam regendam eum miſit. Contigit quendam Virum nobilem vitam ademiſſe „ cuidam alteri. Captus fuit occiſor, & poſtmodum decollatus. Antequam Capitalem ſententiam is ſubiret, parentes malefactoris ejuſdem „ Dominum Bruzium adierunt, eique in hunc modum ſunt loquuti: Domine Bruzi; tibi opus ſunt nummi. Ne perde hominem quem captum in „ vinculis habes. Ecce jam paravimus numeranda tibi quindecim aureorum „ millia. His auditis Dominus Bruzius protinus animo lenitum ſe ſenſit.

„ Ob

„ Ob id ad Mediolanenſem Urbem eques perrexit . Coram patre ſtetit . „ Genibus ante eum inixus , interfectioris abſolutionem popoſcit ; quod „ ipſe Bruzius egenus Miles eſſet . Quindecim millia aureorum ſe fore lu„ craturum expoſuit , ſi facinoroſo viro vitam ſalvaret . Hæc audiens Do„ minus Luchinus genitor , famulo cuidam ſuo innuit , ut e cubiculo de„ ferret ad ſe quamdam ſuam Caſſidem . Galea hæc admodum perpolita re„ lucebat . In culmine inerat criſta ſeriei villoſi, coloris purpurei. Inſcriptæ „ aureæ litteræ apparebant . Quum allata fuit Galea , dixit Luchinus : „ Bruzi epigraphem hanc perlege . Legit Bruzius litteras inſcriptas nempe „ JUSTITIA ; addidit itaque Luchinus: Nos juſtitiam quam hic nominatam „ intuemur exequtioni mandabimus . Nolo ſane quindecim millia aureorum „ præponderare caſſidi meæ, quæ quidem pretioſior eſt imperio meo . Perge „ igitur , & Laudem Pompejam redi, & juſtitiam exequere. Hanc niſi per„ ficies , ego ipſe de te ſane ſuſcipiens complebo . Multum amavit Luchi„ nus , ut quilibet ſub dominio ſuo recte procederet . Multo amore Popu„ lum , & Plebem proſequebatur . Præfuit imperio annis novem, & in ſuo „ dominatu diem clauſit extremum , ſucceſſori renuncians regimen Regni , „ amplioris quidem , ac majoris , quam ipſe acceperat . &c.

(71) Ad hunc Bruzium, Nota præcedente nominatum, ſpectabant amplæ ut vulgo dicunt *Poſſeſſiones* , quas in Agro Laudenſi nunc poſſidet Noſocomium Urbis Mediolani , quas ipſe violenter rapuerat , ac mortuo Luchino Patre , fugiens ob vitæ metum reliquerat ; in Laudabiliorem uſum poſtea a ſucceſſoribus Principibus aſſignatæ . Hic Uxorem duxerat de Dominis Caſtribarchi diſtrictus Tridentini .

Errat probabiliter Azarius , cum tradit Luchinum Creſcentiaghi tumulatum fuiſſe . Corius in Divi Gottardi Templo ſepultum , ad annum 1349. dicit , & Chron. Eſtenſe R. I. T. XV. col. 452. D. , hæc habet : *Et ſepultus ad Capellam ſuam cum omni decente bonore equorum , & banderiarum* . Hoc eſt in Eccleſia Sancti Gottardi , quæ ſuo Palatio adnexa erat , ibi ſita , ubi antiquitus fuit Eccleſia Sancti Joannis , ad fontes dicti , quia ibi erat Fons Baptiſmalis , Cathedralis Eccleſiæ , uti erudite obſervat Vir editis Operibus Clar. Nicolaus Sormanus Ambroſianæ Bibliothecæ Mediolani Præfectus . Vide *Paſſeggi Hiſtorico-Topografici nella Città , e Dioceſi di Milano* &c. Ab Actio Vicecomite Sancti Gottardi Eccleſiam conſtructam fuiſſe , atque Divo Gottardo noncupatam , uti eorum Patrono , qui Podagra laborant , ut ſuperius dixi, plures tradunt Scriptores . Eam vero Baptiſmali Fonti deſtinatam , ac Sancto Joanni , & Virgini Deiparæ prius dicatam fuiſſe affirmat etiam Georgius Merula Hiſtoriæ Mediolani lib. 4. R. I. T. XXV. col. 148. B.

CAP. X.

Joannes Vicecomes

PORro Dominus Joannes Vicecomes de Olegio, grandis corpore & formoſus, probus & aſtutus, & de quo latius infra dicetur, de pauperie & miſeria per Dominum Joannem Vicecomitem filium quondam Domini Matthæi, de quo ſupra, & ad præſens infra dicetur, ſublevatus fuerat; cui ſervire ſtuduit, & in tantum virtutibus ſe erexit, quod ex Domicello factus fuit in majori Eccleſia Mediolani Cimiliarcha, in qua dignitate uſque ad XXXII. annos perduravit. Demum præfatus Dominus Joannes Epiſcopus eum uxoravit, tradens ei Dominam Antoniam de Benzonibus de Crema. Et o quam bona Antonia profutura fuit Cremenſibus, & præcipue illi Domui Benzonorum, licet aliquando receperint amarum propter illud dulce! Et demum præfatus Dominus Joannes Epiſcopus tunc Novarienſis & Comes, & ejuſdem Civitatis Dominus generalis, ipſum Joannem de Olegio Poteſtatem dictæ Civitatis creavit, & ibi ſtetit. Deinde a dicta Poteſtaria remotum præfatus Dominus Luchinus curavit ipſum in armis exercere, ipſum conſtituens Capitaneum in Civitate Brixiæ, & in Poteſtatem, ubi ſapienter ſe geſſit. Et demum ab ipſis officiis ipſum promovit augmentando, & ipſum pro Poteſtate Aſtæ nuper acquiſitæ miſit pro exſequendo ſuperius narrata. Demum multiplicato culmine ipſum in Capitaneum & Locumtenentem univerſæ partis Pedemontium conſtituit, in quo Locumtenentis & Capitaneatus officio erat tempore concluſionis præfati Domini Luchini.

CAP.

CAP. XI.

Joannes Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus & Dominus generalis.

DOminus autem Joannes filius quondam Domini Matthæi Vicecomitis, de quo primo ſuperius dictum eſt, dominium Mediolani habuit poſt mortem præfati Domini Luchini. Cœpitque regere & miniſtrare, præterquam in Civitate Aſtenſi. Succubuit magno periculo ante adeptionem dominii. Nam Domino Luchino vita functo, Foraſterios & Curiales de fidelitate jurare fecerat in manibus Luchini Novelli filii ipſius. Et Foreſtinus frater naturalis (72) ipſius

(72) Foreſtinum Luchini filium fuiſſe ab Iſabella de Fliſco unico partu cum Borſio enixum, tradit Jovius in vita Luchini; Corium forte ſecutus, qui ad annum 1346. refert, Luchinum ex Iſabella de Fliſco ſuſcepiſſe Borſium, & Foreſtinum gemellos die quarta Auguſti anno 1346. prædicto. Corius infra tradit Iſabellam publicis Tabulis editis die 28. Aprilis 1349., confeſſam eſſe, Luchinum Novellum, & Urſinam, non eſſe Luchini filios, ut communiter creditum, ſed eos ex Galeatio Nepote, ac Stephani Vicecomitis Filio, concepiſſe: Quid autem de hac confeſſione credendum ſit, forte ambiget Lector. Ab Iſabella factam fuiſſe non dubito, Corii loco citato, auctoritate ductus, qui diem etiam indicat; Dubitandum reſtat, utrum ſponte Veritatis Zelo, ac pro religione eam emiſerit, quod de muliere nec piæ, nec Caſta, admiratione certe dignum eſſet, ac vix credendum; aut ea ad talem edendam declarationem coacta fuerit Matthæi Bernabovis, ac Galeatii artificiis & minis compulſa, quod forte ejus temporis Hiſtorici non ſcripſerunt, quia talia tunc ſcribere, periculoſum. Noſter Azarius nunc refert anno 1349. Joannem Vicecomitem Archiepiſcopum Mediolani, poſt Luchini Fratris mortem, Luchino Novello ejus filio Fidelitatis juramentum a Subditis præſtari juſſiſſe, quod certe a Mediolani Dominio prædictos tres Fratres Vicecomites excludebat. Non ideo inveroſimile videri poteſt, prædictos, malis artibus & minis, Iſabellam, ad eam decla-

declarationem edendam, cogere potuiſſe, quæ ipſis Principatum afferre, unica poterat. Venenum poſtea a Bernabove, & Galeatio, Matthæo Fratri propinatum, aliaque facinora ab ipſis toto vitæ tempore perpetrata, pro ampliando Principatu, pro eo obtinendo, ad omne ſcelus paratos fuiſſe, ſatis probant. Credulitate Joannis Archiepiſcopi ad hæc anſam præbente, de quo Noſter Azarius jam dicit, quod erat *Multum Credens*.

Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 721. B. aliique Scriptores narrant Foreſtinum filium naturalem quondam Domini Luchini, cubiculum Domini Joannis Archiepiſcopi quadam die intraſſe, animo ipſum occidendi, ſed nihil facere potuiſſe; ipſumque Archiepiſcopum eum Carceri mancipaſſe, a quo numquam exivit. Azarius certe jam dixerat Cap. 9. Foreſtinum, Bruſium, ſeu Bruzium, & Borſium, ſpurios, ex diverſis mulieribus, Luchinum habuiſſe. Quid Corio fucum fecerit, ut Borſium, & Foreſtinum ex Iſabella natos crediderit, ignoro; hoc tamen certum eſt quod ſi Foreſtinus natus fuiſſet die 4. Auguſti anno 1346., anno 1349. Patrui cubiculum, pro eo occidendo ingredi non poterat, triennis puer. Præterea ſi ex Iſabella nati Foreſtinus & Borſius, non video cur Iſabella ipſos non nominaverit in Confeſſione diei 28. Aprilis 1349., ſi enim ab ipſa enixi fuiſſent, vel inceſtuoſi Coitus filios, ut de Luchino Novello, & Urſina dixit, vel legitimos, & ex Luchino conceptos declaraturam fuiſſe, ut eos a prædictis diſtingueret, veroſimile eſt. Credendum igitur puto, Luchinum Novellum, & Urſinam ex Iſabella natos, Brutium, Foreſtinum, & Borſium, ſive Borſinum, ex aliis Pellicibus procreatos fuiſſe. Joannes Villani R. I. T. XIII. col. 957. tradit, anno 1346. Marchionem Eſtenſem, filium tunc temporis Luchino Vicecomiti natum, ac Sacros Fontes præſentaſſe, quem Luchinum Novellum fuiſſe, vix dubito. Imo Chron. Eſtenſe R. I. T. XV. col. 431. A. rem clare explicat, ad jam dictis lucem affundit, ad annum 1346., nam cum dixiſſet die 14. Septembris perveniſſe Mediolanum Obizonem, Marchionem Eſtenſem, Hoſtaxium de Polenta, Ghibertum de Sancto Vitali, & alios, addit: *Qui ſcilicet Marchio Eſtenſis, Dominus Marchio Montisferrati, Dominus Caſtellanus, Dominus Hoſtaxius de Polenta, & alii, tenuerunt ad Sacrum Baptiſmum duos filios maſculos dicti Domini Luchini Vicecomitis, quos ambos peperit uxor ejus. Primus quidem vocatus eſt Luchinus, alius vero Joannes, quibus Compatres prædicti obtulerunt honorabilia dona*. Idem refert Chronicon. Bononienſe R. I. T. XVIII. col. 401. Vides gemellos filios Luchino natos, menſe Septembri, baptizatos 1346., quorum ſecundum adhuc infantem mortuum credo, non Borſium, non Foreſtinum fuiſſe. Luchinum hunc Novellum, a Mediolano profugum, ducta poſtea in Uxorem Filia Joannis Bucanigræ Genuæ Ducis, ejus, auxilio Mediolani Dominium impetiſſe, videbimus infra.

ſius Luchinetti dicitur malo animo poſt mortem patris ſui cameram præſati Domini Joannis tunc Archiepiſcopi adiviſſe. Tamen aliud non fecit. At quia de vita, principiiſque ipſius Domini Joannis alia ſunt dicenda, ideo exordium ſumo. Fuit ipſe formoſus, hilaris, Clericus, largus, & multum credens (73). Dum juvenis eſſet, factus fuit in Eccleſia Majori Mediolani Ordinarius, & multum dilexit ſuam progeniem & potius parentelam. Demum miniſtrante fortuna propter mortem Ugucionis Epiſcopi factus fuit Novarienſis Epiſcopus (74) & Comes, & ipſum Epiſcopatum cœpit miniſtrare. Occupabatur enim tunc per violentiam dictus Epiſcopatus, ſeu Terræ prædicti Epiſcopatus per Dominos Robaldonum & Calcinum Civitatis Novarienſis Vicarios Imperiales & Dominos generales. Quem Epiſcopatum ſeu Terras ſic invaſas, ſitas tam in monte quam in plano, ipſo facto Epiſcopo Novarienſi reſtituerunt eidem.

---

(73) Joannem Vicecomitem natum fuiſſe anno 1290. jam vidimus Nota 70., ex Gualvano Flamma R. I. T. XII. col. 1046. B Ejus Credulitas fortaſſe facilem reddidit Nepotibus impoſturam, qua filium Luchini a dominio excluſerunt.

(74) Joannem Vicecomitem a Pſeudopontifice Nicolao V. aliis VI. Petro ſcilicet de Corvaria, ad Cardinalitiam purpuram promotum fuiſſe die 29. Januarii anno 1329., jam dixi notis 28. & 41., hanc tamen dignitatem paulo poſt dimiſit, atque a Joanne XXII. Pontifice, & commiſſorum veniam obtinuit, & ad Novarienſem Epiſcopatum promotus fuit, anno eodem 1329., poſt mortem Hugutionis de Bonromeis Vercellenſis, ut eum nominat a Baſilica Petri, Novariæ Sacræ pag. 426., ſeu Ugutionis de Bono nomine, ut legitur in Tabulis Dypticis Sancti Gaudentii Novariæ; vide citatum Authorem, & vide quæ dixi Notis 41. & 59. Obſervandum tamen eſt, quod inter Hugutionis mortem, & Joannis electionem, Epiſcopatum a Pſeudopontifice Nicolao V. probabiliter conceſſum fuiſſe Joanni de Spaim Germano, ut ex iis, quæ ſuperius retulit Azarius, clare patet; quamvis a Baſilica Petri Ugutionis vitam uſque ad annum 1329. perperam extendat. Vide Not. 64.

dem. Et quia tempore, quo prædicti fratres de Torniellis dominium Civitatis, ut eſt dictum ſupra, acquiſiverunt ab Illuſtri Domico Ludovico de Bavaria Imperatore, Civitas ipſa Novarienſis regebatur per univerſam Parentelam Torniellorum abſque alicujus dignitatis titulo vel præeminentia, alii ex Torniellis cœperunt prædictis fratribus invidere, non cogitantes propterea majorem ſarcinam ipſos fratres & alios mortuos cum patre eorumdem ſupportaſſe in expellendo conſortes Guelphos & extra domum guerram faciendo. Nam Dominus Henricus frater iſtorum Dominorum multa tulerat in Mediolano, & extra multos honores acquiſivit. Et certe credo, quod ſi natus non fuiſſet, pars Torniellorum numquam partes Bruxatorum & Caballatiorum, quæ Guelphæ erant, a Novaria expuliſſet. Et cauſa erat, quia Populus univerſus in Novaria Guelphus erat, poſſidebat Caſtra & Fortalitias in diſtrictu. Nec iſti Tornielli, quum fuerunt reſtituti, in dicto diſtrictu ſolam (75) habebant. Et certe tempore expulſionis prædictorum alter Hector fuit prædictus quondam Dominus Henricus. Eſt autem de dicta Domo Torniellorum duplex pronomen; quoniam antiquiſſimi de Novaria fuerunt: & ſtantes primitus in Parochia Sancti Maphæi, & dicti ſunt aliqui Tornielli de Sancto Maphæo, reliqui autem, qui habebant Privilegia diva Imperialia, videlicet in Vignarello, Parona &c. & quæ loca non reſpondent alicui Civitati, & ex quibus natus fuit Rex Manfredus, qui unum de Torniellis de Vignarello nomine Galvaneum fecit Comitem Squillacii in Apulia, dando eidem in uxorem præclaram Dominam Olimpiadam Filangeriam Comitiſſam dicti Comitatus. Qui Galvaneus in Novaria diem clauſit extremum. Et alius, videlicet Torrellus formoſus, ut gigas, & probus, qui multa commiſit cum Rege,

(75) Hic aliquid deeſt, ac probabiliter *Fortalitiam*.

Rege, cum quo ſtetit, Conradino in Sicilia. Ex ex iſtis de Vignarello proceſſerant illi duo fratres, quamquam Dominus Manfredinus procedens ab iſtis Galvaneo & Torrello, tunc vigeret, ſed de dominio non curabat. Cœpit autem præfatus Dominus Joannes habere tractatum in Novaria (etiam tempore Domini Azonis præfati) cum Torniellis de Sancto Maphæo, Domino Franciſchino Tettono, quem fecerant Mediolani Prætorem ad cautelam, & cum pluribus aliis ipſorum de Sancto Maphæo amicis, & præcipue cum Joanne Torniello dicto Guercio, qui germanus ipſorum Dominorum erat. Et propter promiſſiones ipſis factas, una die dum veniſſet præfatus Dominus Joannes in ſede Epiſcopali Novariæ, & Dominus Calcinus veniret ad dictum Epiſcopatum, pro ipſum Dominum Epiſcopum videndo, detentus fuit perſonaliter. Et prædicta quamvis ipſius fratribus dicta fuiſſent, non credebantur, quia Dominus Calcinus habebat amicitias & merita, propter ſervitia impenſa dictis fratribus Vicecomitibus & Domino Matthæo eorum patri. Et demum quia habebat Dominam Bonacoſſam in uxorem, filiam unius ſororis ipſius Domini Epiſcopi. De qua captione quum innotuit, Dominus Robaldonus fugit. Et cauſa erat, quia de tractatu ſciverat, & remedium dediſſet, quamquam male. Sed prædictus Dominus Calcinus incredulus noluit aſſentire. Et etiam quia Dominus Robaldonus magis converſationem habebat cum illis de la Scala, quam cum Vicecomitibus. Et etiam quia ipſum Dominus Canis Magnus militia decoraverat.

Fuerunt autem prædicta currente Anno MCCCXXXII. die XXII. Maji (76). Et eo die præfatus Dominus Epiſcopus

(76) Id eveniſſe anno 1333. tradit Gualvarus Flamma in Opuſculo de Geſtis Azonis Vicecomitis, R. I. T. XII. col. 1005. C., hæc addens: Joan-

pus de Civitate Novariæ factus fuit Dominus generalis. Et quæ Civitas cum diſtrictu abinde citra declinavit poſt multa geſta in eo. Fugiens itaque prædictus Dominus Robaldonus, Veronam adivit, ubi ſtans cum magno ſuo honore interiit, relictis Antonio & Alberto filiis ſuis legitimis, natis ex Domina Brunaxante uxore ſua, & ſorore Domini Thomæ Marchionis Malaſpinæ de Cremolino, & Opicino filio naturali, de quibus inferius dicetur. Qui autem Dominus Epiſcopus ad tempus renuntiato Epiſcopatu Novarienſi, factus fuit Archiepiſcopus Mediolani (77) per mortem

tem

Joannes Papa (XXII.) *audito quod Cazinus de Torniellis hoſtis Eccleſiæ publicus eſſet captus, & quod Civitas inciperet obedire Eccleſiæ, multum exultavit, & Joannem Epiſcopum Novariæ ſupradictum inſtituit Conſervatorem Archiepiſcopatus Mediolanenſis, ut in temporalibus eſſet dominus Archiepiſcopatus, datis* 1500. *Florenis omni anno Fratri Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi.* Huic conſentit Author Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 707. C., Corius tamen, & ex eo forte Ughellus, Joannem jam anno 1332. temporale Novariæ Dominium obtinuiſſe tradunt, quibus aſſentitur Azarius, diem etiam 22. Maji aſſignans.

(77) Mediolani Archiepiſcopum, deſignatum fuiſſe Joannem Vicecomitem a Benedicto XII., aliis XI., Pontifice, ſed Benedicto die 25. Aprilis 1342. defuncto, a Clemente VI. confirmatum fuiſſe die 17. Julii, ſeu die 6. Auguſti, ut ſcribit Joſeph Antonius Saxius in Antiſtitum Mediolanenſium Hiſtoria, de Joanne Vicecomite, anno 1342., atque a Novarienſe Epiſcopatu ad Mediolanenſem Cathedram translatum ſcribit Ughellus in Archiepiſcopis Mediolani; diſcrepantia vero circa diem facile conciliatur, ſi diem 17. Julii Pontificis confirmationem, diem vero 6. Auguſti, captam Archiepiſcopatus poſſeſſionem reſpicere, intelligas. Ubi obſervandum, falſo a diverſis Scriptoribus, Corio ad annum 1342., Ripamontio lib. 9., & Morigia traditum, a Joanne Vicecomite permutatam Novarienſem Eccleſiam cum Mediolanenſe, annuente Fratre Aycardo Archiepiſcopo, adjecta ejus favore annua mille Florenorum præſtatione. Hanc permutationem Corius ad annum 1342. refert, ac a Benedicto Pontifice publicis Tabulis confirmatam fuiſſe eodem anno, dum Mediolani in Monaſterio Divi Ambroſii

hoſpi-

hoſpitatus comoraretur menſe Maji , dicit . Sed perperam , ut aliquando dubiis innixus teſtimoniis ſolet . Adminiſtrationem enim in temporalibus , quam prius habuerat , cum collatione Archiepiſcopatus , facta poſt mortem Fratris Aycardi, confundit ; Ughellus in Archiepiſcopis Mediolanenſibus , refert Aycardum a nonnullis anno 1341. defunctum tradi , ab aliis vero anno 1339. , quam ultimam ſententiam utpote a Synchrono Authore, & Mediolani oculato teſte , Gualvano Flamma , in Opuſculo ſæpius citato col. 1028. E. confirmatam, veriorem credet lector, maxime cum diem etiam mortis indicet , nempe 10. Auguſti ejuſdem anni . Refellit etiam Ughellus opinionem Ripamontii de prædicta Eccleſiarum permutatione, aſſerens in libris Proviſionum Prælatorum , ſub Joanne XXII. , Benedicto XII. , ac Clemente VI., numquam Aycardum nominari Epiſcopum Novarienſem . Neque in Cathalogo Epiſcoporum illius Eccleſiæ ullibi reperiri . Vide etiam quæ contra hanc fabulam adducit vir editis libris Clar. Joſeph Antonius Saxius in Epiſtola ad Muratorium , Gualvani Flammæ Opuſculo præfixam R. I. T. XII. pag. 994. Si cæterum Aycardus Archiepiſcopus anno 1339. die 10. Auguſti deceſſit , ut ſupra certiorem eſſe opinionem dixi , quis credat , ipſum cum Joanne Vicecomite Eccleſiam commutaſſe anno 1342. , ſed ubi etiam ad annum 1341. vitam protraxiſſe credamus adhuc anno 1342. commutationem facere , præcedente anno defunctus , non poterat , nec Pontifex Benedictus eam ratam habere . Ideoque Gualvani Flammæ , Ughellii , Saxii teſtimoniis , ac rei ipſius impoſſibilitate motus , hanc Eccleſiarum permutationem , puram fabulam eſſe , ac Joannem Vicecomitem adminiſtratorem , ac Conſervatorem , tantummodo in Temporalibus , Eccleſiæ Mediolanenſis , a Joanne XXII. anno 1333. conſtitutum fuiſſe , ut tradunt Authores Nota 76. citati , ac deinde ab Eccleſia Novarienſi ad Mediolanenſem a Clemente VI Pontifice translatum , die 17. Julii poſt mortem Fratris Aycardi de Camodea , credendum puto : Adde quod Novarienſem Epiſcopatum retinuit uſque ad ejus aſſumptionem ad Archiepiſcopatum Mediolani , ut probat Carolus a Baſilica Petri , in ſua Novaria pag 465. , nec alius poſt ipſum ad Novarienſem Epiſcopatum promotus legitur , quam Guilelmus Cremonenſis ex Ordine Fratrum Hæremitarum , anno 1343. a Clemente VI. electus , nempe poſt promotionem Joannis ad Mediolani Archiepiſcopatum . Vide Fratrem Joſeph Epiſcopum Segninum in Chronico ſui Ordinis . Si quis autem ea omnia videre cupiat , quæ contra Fratrem Aycardum a Vicecomitibus patrata fuere , conſulat Ughellum T. IV. col. 202. ; Si concordiam , & pacta conventa inter Joannem , & Luchinum Vicecomites cum Pontifice Benedicto XII. , primum die 28. Octobris 1339. , ac poſtea die 6. Auguſti 1341. , videat præcitatum Ughellum , in Joanne Vicecomite , ut Nota 59. indicavi ; videat etiam Gualvani Flammæ Opuſculum col. 1039. A,

tem fratris Aycardi de Camodeja (78) fratris minoris No-
va-

(78) Ad Mediolanenſem Cathedram Frater Aycardus Antimianus de Camodea, Novarienſis Diœceſis a Joaane XXII. promotus fuerat anno 1317., ejuſdem Pontificatus anno 2. die 28. Septembris. Utrum is Ordini Fratrum Minorum, an Prædicatorum nomen dediſſet, non conveniunt Scriptores. Vadinghus, Ughellus, aliique pro primo; Fontana in Theatro Dominicano pag. 84., pluresque ab eo citati pro ſecundo certant. Notum ipſum fuiſſe Pontifici ob reconditam doctrinam, vitæque inſignem probitatem, præter Ughellum, alii docent Scriptores. Sedem tamen ſuam, ac munera Archiepiſcopalia nunquam uſque ad mortem, Vicecomitum malitia, exercere potuiſſe tradunt fere omnes ejus ævi Scriptores; quod tamen & ſi aliqua parte verum, non tamen integre fuiſſe probatur, Gualvani Flammæ teſtimonio, Authoris ſcilicet ſynchroni, ac Mediolani commorantis, qui in Opuſculo de Geſtis Azonis Vicecomitis R. I. T. XII. col. 1028. C. hæc habet: „ Eodem anno 1339. die 4. Julii Frater Aycardus Archiepiſcopus Me-
„ diolanenſis tranſactis ſui Archiepiſcopatus annis 21., primum ſuam Sedem
„ viſitavit, & cum mirabili honore receptus fuit; & facta eſt controverſia
„ inter advocatos, & Confanonerios, quis Equum Archiepiſcopi habere de-
„ beret; & quia jura antiqua ſuper hoc clara non inveniebantur, Joannes
„ Vicecomes Epiſcopus Novarienſis, Eccleſiæ Mediolanenſis conſervator or-
„ dinavit, quod Advocati ipſum conducerent per Frænum peditando uſque
„ ad Eccleſiam majorem; Inde uſque ad Sanctum Ambroſium conducerent
„ Confanonerii; & Equus Archiepiſcopi pendente quæſtione in depoſito
„ poſitus fuit; & finaliter determinatum fuit, quod Equus erat de jure . .
„ . . . . Reliqua deſunt forte ab aliquo partis *ſuccumbentis* malitioſe in Manuſcripto dilacerata. Hoc certum eſt, in præſenti illuſtrem Confanoneriorum Gentem, in plena, & pacifica poſſeſſione eſſe, non ſolum Archiepiſcopum, ſolennem ſuum ingreſſum Mediolani facientem, comitandi, ſed etiam Equum quo vehitur, & Thenſas accipiendi.

In Ingreſſu Eminentiſſimi Friderici Cacciæ Mediolani Archiepiſcopi, die 11. Decembris 1692., Comes Fridericus Confanonerius, ex ſexaginta Urbis Decurionibus, Joannes Confanonerius J. C. Collegii Juriſperitorum, & Joannes Baptiſta Confanonerius in Divi Ambroſii Baſilica Canonicus, dictum Archiepiſcopum, equitantes præcedebant: cæterorum Confanoneriorum pars Thenſas, ſub quibus equitabat Archiepiſcopus, geſtabat: pars ejus equuo, Freno, & ſtapedis adſtantes ambulabant. Cum Archiepiſcopus in majori
Tem-

Templo, ab equuo deſcendiſſet, ibique de more nonnullæ recitatæ fuiſſent preces, prædictus Comes Confanonerius Archiepiſcopum ad capiendam Poſſeſſionem Altaris, ac deinde Archiepiſcopalis Sedis induxit; Altaris Poſſeſſionem oſculis, atque amplexu, Sedis autem Inſeſſu, accepit Archiepiſcopus, ibique a Comite Confanonerio, ejuſque duobus ſociis ſupradictis, & ante Thronum flexis genibus conſtitutis, Fidelitatis Juramentum ſuſcepit; dictiſque Confanoneriis, tam Equus, quam Thenſæ datæ fuerunt.

Idem prorſus ſervatum eſt in Ingreſſu Eminentiſſimorum Archiepiſcoporum, Joſeph Archinti die 24. Julii 1701., Benedicti Odeſcalchi die 19. Auguſti 1714., Caroli Cajetani Stampæ die 10. Maji 1739., Joſeph Puteobonelli die 21. Junii 1744,, qui hanc Sedem, maxima prudentia, pietate, ac zelo, omnium Ordinum conſenſu, in præſenti regit; hoc ſolum diſcrimine, quod quæ ſupra a Comite Friderico Confanonerio facta retuli, in Ingreſſu Archiepiſcoporum Stampæ, ac Puteobonelli, peracta ſunt ab ejus filio Comite Ansberto, ex ſexaginta Mediolani decurionibus, ac in Magiſtratu Reddituum Extraordinariorum Queſtore. Ex conſtanti igitur, & inconcuſſa hodierna praxi, deduci poſſe arbitror, Sententiam a Joanne Vicecomite anno 1339. latam, in favorem Confanoneriorum, ceſſiſſe.

Ignoſcat interim mihi Lector quæſo hanc digreſſionem, quam venturis temporibus, non inutilem futuram cognoſcet. Antiquiore tamen tempore Archiepiſcopum a Cathedrali ad Ambroſianam Baſilicam die Palmarum procedentem, jus eum comitandi, Rhaudenſi Familiæ ſpectaſſe, videre licet apud Puricellum de Baſilica Ambroſiaua pag. 94., & 97.

Ut tandem ad Fratrem Aycardum redeamus, idem Gualvanus Flamma, loco ſupra citato tradit, Fratrem Aycardum Archiepiſcopum e vivis ereptum die 10. Auguſti 1339. hoc eſt brevi 37. dierum ſpatio poſt ejus in Urbem ingreſſum, eique ſuffectum Joannem Vicecomitem Novariæ Epiſcopum, & Mediolanenſis Eccleſiæ jam Conſervatorem. Fratrem vero Aycardum in Eccleſia Fratrum Minorum Mediolani tumulatum fuiſſe; quod Vadinghi ſententiæ calculum addit. Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſeo Novarienſe, Stanza 1. pag. 32. Aycardum Archiepiſcopum die 12. Auguſti anno 1339. obiiſſet, Mediolani in Canonica Sancti Ambroſii ſepultum tradit, ac ejus lapidem Sepulcralem, cum Archiepiſcopi figura ſatis bene expreſſa, adhuc videri dicit in divi Franciſci Templo, ſeu in Cœnobitarum Clauſtro, contra murum, erectum prope januam, quæ ad Sacrarium ingreſſum præbet. Hanc ego etiam vidi; utrum vero Aycardi, an alterius Archiepiſcopi Sepulcro inſerviverit affirmare non auſerim, cum ibi nihil ſcriptum invenerim. Lazarus Auguſtinus Cotta nuper citatus, in Muſeo Novarienſe num. 152. affert Lapidem exiſtentem in Porticu Monaſterii Sancti Franciſci Novariæ, in quo ſic legitur: Hic

varienſis, Mediolani Archiepiſcopi. Ante omnia curavit Joannes de Nepotibus ſuis, ut prædixi, habendis in Mediolano poſt dominium per eum ſuſceptum (79). Et iiſdem in

Hic jacet Domina Caravera Uxor Domini Uberti de Caccia ....

Et Mater Domini Fratris Aycardi Archiepiſcopi Mediolanenſis Ordinis Fratrum Minorum, quæ obiit anno MCCCXVI.

Ubi Lapis hic ſit ſincerus, Fontanæ ſententiam certe jugulat.

Sciſcitanti autem cur ſolum poſt 21. annos licuerit Aycardo Archiepiſcopo Mediolanum ingredi, reſpondeo anno 1339. compoſitis Controverſiis, quæ inter Pontificiam Sedem, & Vicecomites diu viguerant, eos, opera Guidoli de Calice, quem ipſorum Procuratoris, & Syndici titulo, Avenionem ad Pontificem Benedictum XII. deſtinaverant, in Pontificis gratiam veniſſe. Hac de cauſſa ut ſubmiſſionis, atque obedientiæ luculentum Benedicto præberent teſtimonium, Archiepiſcopum non ſolum in ſuam venire ſedem conceſſerunt, ſed etiam ſolenni Pompa, plurimiſque honoris, ac reverentiæ oſtentationibus ipſum excipi, ut Pontificem ſibi demererentur, voluiſſe. Recole Notam præcedentem.

(79) Matthæum, Galeatium, & Bernabovem, Stephani Vicecomitis, quem Mediolani, dum in Aula Ludovici Bavari verſaretur, brevi morbo extinctum anno 1327. Nota 25. jam recenſui, & Valentinæ Filiæ Bernabovis de Auria Genuenſis, Filios, Mediolano juſſu Luchini Patrui expulſos fuiſſe, cunctis notum eſt; quid tamen in cauſſa fuerit, cum hic ſilentio prætereat Azarius, breviter in Lectorum Commodum referam. Dixi Notis 65. & 66. Franciſcolum de Puſterula, contra Luchinum conſpirationem molitum eſſe, non abſque ſuſpicione, Stephani Filios in ea implicitos fuiſſe. Rem Clarius narrat Jovius in Vita Luchini Vicecomitis; poſtquam enim Franciſcoli de Puſterula, & ſociorum conſpirationem declaravit, hæc addit: „ Cæterum ex damnatorum quæſtione compertum eſt, Galeatium, & „ Barnabam non ignavos initæ conjurationis, paratoſque ad excipiendam „ Principatus fortunam, tanti facinoris eventum ſpectaviſſe. Sed Luchi- „ nus, ne ſupra Marci Fratris necem, Familiæ Decus vel maxime nocen- „ tium Juvenum cruore macularet, deprecante Joanne Antiſtite, exilii „ pœnam non exceſſit. Ita tamen ut eos perfidiæ impietatiſque ignominia „ notatos, ad Oceanum in extremos Belgas, atque Batavos relegaret. „ Hactenus Jovius qui ultimam ſententiam hauſit ex Corio, ad annum „ 1348., ſic loquente: Dappoi vennero littere a Luchino da B. ſuo Pro- „ cura-

in brevi receptis in Mediolano, alacriter ſtuduit ipſis deſervire, magnificando, & exaltando eoſdem. Et ſuſcepto dominio, præmiſſum Foreſtinum (80) filium naturalem quondam Domini Luchini fecit detineri, nec deinde a carceribus exſtitit liberatus. Fugitque prædicta Domina Eliſabet olim uxor Domini Luchini cum altero Luchino filio

P ſuo

„ curatore preſſo al Pontefice in Avignono come in exequtione de ſue Lit„ tere haveva obtenuto, chel Papa haveva declarato, che Bernabò, et „ Galeazzo ſuoi Nepoti, per lui relegari alle Confirme, come ſuſpect. de la „ fede, violatori della pace, perjuri e deteſtandi non poteſſino contrahere „ matrimonio, e morendo mancaſſino de Eccleſiaſtica Sepultura, ne che „ Imperatori ne Re, con epſi poteſſino havere confederazione; dil che tri „ juriſperiti difendendo li prenominati fratelli, ſi apellarono de tanta ne„ phandiſſima declaratione a lo Imperatore.

Matthæum autem qui Ziliolam Filippini Gonzaghæ Filiam in Uxorem antea duxerat, Soceri contemplatione ad morani Villam in Monteferrato relegare contentus fuit. Prædictorum vero Fratrum ex ulſionem, Corius anno 1345. eveniſſe, ſcribit, quod certe non ſatis intelligo; Cum enim Franciſcolus Puſterula poſt conſpirationem, Mediolano receſſerit die 20. Junii anni 1340., ut habet Gualvanus Flamma in Opuſculo ſæpe citato R. I. T. XII. col. 1035. D., & poſt 18. menſes Mediolanum adductus, capite plectitur, quod incidit circa initium anni 1342., Si Fratres Vicecomites conſpirationis participes fuiſſent, ex Franciſcoli, aliorumque Confeſſione revelatum fuiſſet; complices vero fuiſſe, idem Corius ad annum 1340. dicit. Errorem circa eorum expulſionis tempus, in Corio ſubeſſe dubito, ut alibi etiam obſervatum eſt. Quis enim credet Luchinum tales proditores, maximo ſuæ vitæ periculo, ab anno 1342. ad 1345. in Urbe toleraſſe, ac ſolum tribus poſt patratum delictum annis in exilium miſiſſe? Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 715. B. conſpirationem Franciſcoli, & expulſionem Nepotum, eodem contextu tradunt, ſed annum, Amanuenſis fortaſſe errore, perperam aſſignant 1338.

Poſt Luchini vero mortem, præfatos Nepotes a Joanne Archiepiſcopo ad Patriam revocatos fuiſſe, eodem anno 1349. tradunt annales Mediol. R. I. T. XVI. col. 721. B., & Corius ad annum 1349., aliique paſſim Scriptores, quibus aſſentitur Azarius.

(80) Vide quæ dixi Nota 72.

ſuo parvulo, & ad partes Januæ ſe reduxit, & quæ numquam ad propria remeavit. Poſt ergo breve tempus præfatus Dominus Archiepiſcopus reintegratis prædictis tribus fratribus, nepotibus ſuis; ſcilicet Matthæo, Barnabove, & Galeatio, ſtuduit duos uxorari (81), & in domo ſua nuptias celebrare. Barnabovi tradidit Dominam Reginam filiam quondam Domini Maſtini de la Scala & valde juvenem. Præfato Domino Galeatio Blancam pulcherrimam juvenem, ſororem Illuſtris Principis Domini Comitis Sabaudiæ. Et una die in domo præfati Domini Epiſcopi cum alia data Ambroſio filio Domini Lodriſii Vicecomitis prædicti fuerunt nuptiæ largiter & hilariter celebratæ (82). Præterea pactis renovatis, & ſicuti Dominus Luchinus in vita ſua tenebat, ſic Civitatem Aſtenſem ſub ejus dominio poſſedit, pacta male obſervans circa reſtitutionem dictorum de Solerio. Qua occaſione alia arma fuerunt machinata.

(81) Anno ſcilicet 1350. Vide infra Notam ſequentem, & Notam 161.

(82) Has Nuptias anno 1351. celebratas fuiſſe ſcribit Joannes de Cornazano in Fragmentis Hiſtoriæ Parmenſis R. I. T. XII. col. 748. A. Hiſtoria vero Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 933. Ad has nuptias anno 1350. menſe Septembris celebratas dicit. Corius etiam, Jo. Archiepiſcopum Scaligerorum amicitiam ad ſuæ mentis conceptus exequendos neceſſariam ratum, Bernabovi Nepoti ſuo, Beatricem Scaligeram, ejus animi magnitudine Reginam dictam, in Uxorem procuraſſe, tradit ad annum 1350., Anno tamen 1349. Matrimonium Blancæ de Sabaudia cum Galeatio jam retulerat. Sed cum Guichenonius Pacta pro eodem ſignata fuiſſe in Caſtro *Bourget* die decima Septembris anno 1350., dicat in probationibus, pag. 181., & Galeatii, ac Bernabovis Nuptias eadem die celebratas fuiſſe tradant plerique Scriptores, vel Guichenonium annos diverſa quam noſtrates methodo numeraſſe, quod veroſimile eſt, vel amborum Vicecomitum nuptias non anno 1350., ſed 1351. celebratas fuiſſe, apparet, quod tamen difficiliter credo. Vide infra Notam 161. Vide Corium ad an. 1350., Azarium col. 324., Annal. Mediol. col. 721. B.

nata. Marchionem autem Montisferrati cœpit bene tractare, adeo quod ipſum ſicut filium diligebat, & e converſo. Qui Marchio ſemper ut potuit, ſtuduit ſibi deſervire. Durantibus autem prædictis & ſub tranquillitate pacis immenſæ, in partes Marchiæ Anconitanæ miſſus fuit pro Eccleſia quidam Marchio valde ſtrenuus & Hiſpanus, & potens & ſuffultus pecunia, pro recuperando Eccleſiæ Terras perditas in parte illa & in Romandiola. Pro quarum recuperatione multos Teutonicos, Italicos, & alios ſtipendio honoravit. Et recuperatis Civitatibus, Caſtris, & Terris prædictæ Marchiæ, verſus Romandiolam direxit greſſus ſuos. Et dum eſſet ſuper partibus Faventiæ & Imolæ cum maxima gente illa invaſit Bononiam, pro ipſa nomine Eccleſiæ rehabenda. Fuerat autem Annibal Legatus, de quo diximus, a Bononia fugatus, & caſu inopinato, & male fecerunt. Nam tunc Bononia non Civitas, ſed Provincia, dici poterat. Et dicitur, quod ea die tresdecim mille Scholares in ipſa morabantur. Fecerat autem Legatus ille muros novos circum circa, Burgos concludendo. Fecit etiam Canale novum cum XXIV. Molendinis. Fecerat & Cluſiam dicti Canalis lapidibus & calce. De quibus & aliis operibus per ipſum factis incredibilia poſſent dici. Detinebatur autem dominium ipſius Civitatis Bononiæ per Dominos Jacobum Jurisperitum & Legum Doctorem, nec non per Joannem fratres de Pepulis; qui gravia Civibus facientes etiam odio partiali (quamquam unus Gibellinus in ipſa Civitate repertus non fuiſſet) cœperunt propter potentiam prædicti Marchionis dubitare. Tamen ſe oſtendebant fautores & benevolos Eccleſiæ Romanæ, cauſe ipſam Civitatem cuſtodientes. Et demum dum prædictus Dominus Joannes de Pepulis citatus & requiſitus fuiſſet per dictum Marchionem ad colloquium, fuit per ſtipendiarios Marchionis detentus, fecitque redemtionem in maxima quantitate Florenorum. Et hæc videns ſuaſit prædicto Domino

Jacobo fratri de dominio Civitatis ipſius vendendo. Et ita potius Domino Archiepiſcopo præfato, quam alteri elegit illud vendere, quamvis plures aliæ Civitates pro pecunia ipſam Civitatem habere procuraſſent.

Et facta traditione ejuſdem, ſoluta maxima quantitate pecuniæ, dominium illius Civitatis præfato Domino Archiepiſcopo extitit publicatum (83). Et relaxato prædicto Do-

(83) Occupata, ſeu potius empta a Jo. Vicecomite Archiepiſcopo, Bononia anno 1350., excanduit ira Pontifex Clemens VI., alta mente revolvens omnia, quæ contra Prædeceſſores ſuos, tempore præſertim Ludovici Bavari patraverant Vicecomites, contra Sanctæ Sedis Temporalem non minus, quam Eccleſiaſticam dignitatem; quapropter deſtinato ad Joannem Nuncio, indicta Pontificiæ indignationis pœna, popoſcit Bononienſis Civitatis reſtitutionem, atque aut Eccleſiaſticæ, aut Temporalis in Mediolano dignitatis dimiſſionem, ejus permittens arbitrio, utrum Princeps, vel Epiſcopus eſſe mallet. Nuncium maximo excepit honore Joannes, reſponſumque poſt aliquot dies 50. daturum promittens; proxima die Dominica, in majore Eccleſia, Miſſæ Sacrificium ſolenniter Archiepiſcopali pompa celebravit, poſtea adſtantem Nuncium, Legationis ſuæ mandata exponere, præſente Populo, curavit; quod cum eſſet factum, Joannes Archiepiſcopus ex ipſo Altare, evaginato Coruſco Enſe, quem dextera ſtrinxit, ſiniſtra Crucem tenens: Hæc eſt mea ſpiritualis dignitas; Hic eſt enſis, quo meum imperium tuebor, dixit. Nec aliud dedit reſponſum Nuncio, qui ſequenti die diſceſſit. Vide Corium ad annum 1351., alioſque.

Miſerat interim Pontifex in Italiam Epiſcopum Ferrarienſem, Florentinum Civem, ex Anteleſiorum agnatione, qui Florentinos cæteraſque Italiæ Reſpublicas, Princeps viros, ac diverſarum Civitatum Tyrannos, ad ineundum cum Pontifice Fœdus invitaret contra Vicecomitem, cujus auctam ad exceſſum potentiam, cæteris inhiare Dominiis, ac niſi tempeſtive junctis viribus occurreretur, omnia tandem abſorbere debere, æquo jure timendum erat. Nuncios itaque Aretium mitterent, qui Fœderis Conditiones, atque Subſidiorum paciſcerentur menſuram, quo uniuſcujuſque ſaluti conſultum foret. Nec cunctanter mandata exequente Ferrarienſe Epiſcopo, menſe Octobris Aretium convenere fere omnium Civitatum Nuncii, ibidem frequentibus Conſultationibus Fœderis ineundi pacta pertractantes. Sed Maſti-

Maſtini Scaligeri inopinata mors, ac Joannis Archiepiſcopi apud alios, officia, propoſiti Fœderis eluſerunt exitum, Nunciis ad proprias Civitates re infecta revertentibus. Pontifex infælici harum rerum ſucceſſu irritatus magis quam perterritus, Eccleſiaſticas Cenſuras, omneſque contra Vicecomites, Criminales Proceſſus, vivente Joanne Pontifice XXII. agitatos, reviviſcere jubet, atque Archiepiſcopo, ejuſque Nepotibus, terminum peremptorium die 8. Aprilis 1351. expiraturum, aſſignat, intra quem Avenionenſi in Aula perſonaliter comparere, propriamque defendere cauſſam, tenerentur; Sed ſagax, longaque rerum experientia prudens Archiepiſcopus Fœdus cum pleriſque Gibellinæ factionis Tyrannis præcoci induſtria init, ac virum ſagacem ſibi a ſecretis, pluribus ſtipatum famulis, Avenionem deſtinat, ea indicta lege, ut Palatia, domos, Hoſpitia, quotquot in ea Urbe poſſet, ad ſex menſes conduceret; Annonam vero, cæteraque ad victum neceſſaria pro duodecim millibus equitum, & ſex millibus peditum pro eodem temporis ſpatio emeret, atque in domos congereret. Dum hæc Avenioni diligenter executioni mandantur, delatum Pontifici, exteros plures ad ejus Aulam accedentes quotidie, nec tectum, nec victui neceſſaria quolibet pretio obtinere poſſe, Mediolanenſis Archiepiſcopi Aulicis omnia occupantibus. Tum Pontifex præcipuum ex illis accerſiri jubet, ac ſciſcitatus, cur tot conduxerit domos, cur tantam, Civium ſuorum non levi incommodo, congerat annonam? Ille vero reſpondit domini ſui juſſu hæc facere, qui in obſequium Pontificiæ juſſionis, cauſſamque propriam defenſurus, brevi Avenionem venire debebat, duodecim mille equitum, ac ſex mille peditum, pro ſua dignitate, ſtipatus famulatu, ac magna Nobilium turma; Interrogavit Pontifex, quantum Æris hactenus erogaſſet? Quadraginta millia Florenorum, reſponſum eſt. Pontifex hanc ſummam eidem perſolvi juſſit, atque Archiepiſcopo epiſtolas deſtinavit, quibus ejus provectæ ætatis intuitu, ipſum non obſtantibus quibuſcunque citationibus, ab hoc ſuſcipiendo itinere, pro excuſato habebat. Hujus tamen Hiſtoriolæ veritatem, quam Corius ad annum 1351., Jovius, & Ripamontius referunt, horum Scriptorum fidei relinquo, cum apud Synchronos Authores ejus mentionem non invenerim; indicandam tamen cenſui.

Poſtea Guillielmum Griſantem, Sancti Victoris Maſſilienſis Abbatem, qui poſtea Pontifex Urbani V. nomine creatus fuit, Mediolanum deputavit Pontifex, ab Archiepiſcopo omnibus honoris, atque amicitiæ officiis exceptum, cum quo ſalubri Conſilio pax cum Pontifice ad annum firmata, Bononia vero Pontificii Feudi nomine a Vicecomite retenta, addito tamen annuo cenſu Florenorum duodecim mille, Pontificio ærario ſolvendo. Hæc poſtea per Archiepiſcopi Nuncios Avenione firmata fuere, ac publicis conva-

Domino Joanne de Pepulis, præfatus Dominus Galeaz cum illa maxima quantitate Florenorum Bononiam adivit, & cum glomeroſa quantitate Nobilium peditum & equitum dominium Bononiæ apprehendidit pro ipſo Domino Archiepiſcopo, non tamquam Archiepiſcopo, ſed Domino Joanne Vicecomite. Cum præfato Domino Galeaz erat ille nobilis & magnanimus vir Dominus Philippinus de Gonzaga Dominus Mantuæ, qui otia non patiebatur, & Dominus Gaſpar Vicecomes, primo & tunc factus Poteſtas. Curavit itaque Dominus Galeaz, participato conſilio, turmam ſtipendiariorum præfati Marchionis lacerare; & curam adhibuit, quod Ducem Guarnerium, qui de Apulia venerat, & eam provinciam deſtruxerat, cum quantitate banderiarum ſuarum equeſtrium, & etiam aliarum cum magnis proviſionibus datis ipſi Duci, certiſque comitivis equeſtribus, ad ſtipendia Domini Mediolani venire fecit, & Bononiam intrare. Oh quantum illi negotio profuerunt caſſoni Domini quondam Luchini Vicecomitis, ad quorum repletionem tantum ſtudium adhibuerat! Oh quam fuit infelix illa dies emtionis Bononiæ aliis Civitatibus Lombardiæ! Nam poteſt dici, quod tunc orta ſunt ſcandala, errores, impenſæ intolerabiles, & quæ uſque ad præſentem diem viguerunt, Lombardiam lacerando. Et utinam Bononia non fuiſſet. Cœpit autem Populus Bononiæ, prædictis emergentibus, primitus murmurare, & potius inter ſe, & dicere: *Noi non vojemo eſſere venzù*. Et in tantum crevit illa vox, quod, parvuli vocem illam ſequebantur. Et una die tota Civitas tranſiit ad rumorem, in quo dictus

---

validata Tabulis die 5. Maji 1352. Vide Corium ad annum 1351., & 1352., Matthæum Villani R. I. T. XIV. lib. 1. cap. 76. R. I. T. XIV. col. 74. E., & lib. 3. cap. 4., Jovium in Vita Jo. Archiepiſcopi, Jo. de Cornazano in Fragmentis Hiſtor. Parmenſis R. I. T. XII. col. 748. B.

ctus Dominus Joannes de Pepulis multos labores paſſus eſt. Et certe niſi ipſe fuiſſet in Bononia, male proceſſiſſent negotia utriuſque partis. Nam ille habebat ſibi adhærentes in Bononia, quorum quantitas parva non erat, & non audebant facere nec loqui, niſi ut ei videbatur. Bononienſes Gibellini undique reperti (veluti Carbonenſes) erant reſtituti in Bononia, qui prædictis Guelphis non adhærebant, quamvis pauci eſſent reſpectu aliorum, & etiam multi alii, quamvis non Gibellini, nec amici illorum de Pepulis, erant reſtituti, nimirum Gallutii, Sabadini, Golzadini, & qui Gibellinis, & potius Domino Mediolani adhærebant. In eo rumore populari Dominus Galeaz valde timuit de perſona, curavitque de receſſu, Mediolanumque venit, & cum eo duxit Dominum Joannem de Pepulis, quem deinceps magnanimiter honoravit, & qui uſque ad præſentem diem ab ejus conſilio non receſſit. Miſſuſque fuit pro Capitaneo & Locumtenente Domini Joannis Archiepiſcopi, probus & magnanimus vir Dominus Joannes Vicecomes de Olegio, recedens a partibus Pedemontium. Et utinam per ſequentia nec natus fuiſſet, nec in Bononiam miſſus. Cœpit namque dominari non uti Locumtenens, ſed veluti Dominus generalis, & in ſuo dominio perdurans, ceſſato dicto rumore in Bononia. Et quum Marchio abiiſſet de Romandiola, pax fuit indicta inter quoslibet Bononienſes. Et ad paces ipſas componendas præfatus Dominus Joannes multum ſtudii & curæ adhibuit. Nam eſt facundia plenus, & neque Ulyſſes Græcorum in facundia eum ſuperavit. Cœpit regere expendendo prodigaliter, Bononienſes honorando, & præcipue reſtitutos. Diſceſſerant autem a Bononia cum Galeatio & Philippino de Gonzaga multi nobiles Lombardiæ, & præcipue Mediolanenſes, qui cum eo venerant Bononiam tam ex præcepto quam voluntarie, nam Mediolanum tunc credidit ſibi univerſas provincias ſubjugaſſe. Et utinam fuiſſet tali acquiſitione

tione contentum per ea, quæ ſucceſſerunt. Sed de futuris contingentibus non eſt determinata veritas. Nec ideo Bononia interim exſtitit vacuata, quin CXCVI. banderiæ equeſtres, & CC. pedeſtrium remanerent. Nec poterant caſſari propter ipſorum conductiones non completas, & ne ſcintilla oriretur, quæ in principiis ſtatum Bononiæ combureret. Nec mirum, quia ea Civitas magna eſt, & Guelpha a natura. Nec volebant Bononienſes proteſtari, niſi de eorum venditione. Nec parvuli umquam viderant Aquilam, nec Viperas, quas in ſingulis quadriviis & plateis fecerant dipingi, abraſis Liliis, Raſtellis, Clavibus, & Leonibus. Et pro eo per Comitatum Bononiæ de majori parte eorumdem ſtipendiariorum facta fuit diſtributio, etiam ut idem Comitatus ſub tranquillo ſtatu ſervaretur. Erant namque in Comitatu multæ Terræ fortes & notabiles, & multum plenæ Populo; adeo quod in Lombardia repertæ non fuiſſent fortiores. Tamen convocato conſilio in Mediolano, numerus earum banderiarum cauſam dedit alia graviora faciendi, & alios in Thuſcia excitandi, dantes intelligere plures Gibellini Tuſculi, quod cum gentibus illis Tuſciam dominio Mediolani ſubjugarent. Sed male concluſerunt. Nam dini conſueverunt duo proverbia;

„ *Qui ſedet in plano, non habet unde cadat*. Aliud eſt; *Nam Corniz ſuo perſiſtens in nido, duros conflictus ingerit in falconem; & antequam capiatur ab ipſo, licet ſit viribus illa debilior, recedit ab ea ſæpius vulneratus*. Ex quo ſi prædicta ceſſaſſent, bene fuiſſent Civitatibus Lombardiæ.

Dominus Ubertus Marchio Pallavicinus, Conſiliarius prædicti Domini, in ſe valde modeſtus & ſagax Miles pro Capitaneo & Locumtenente, nec non Dominus Bernardus Anguſſola de Placentia pro Poteſtate, in Bononiam miſſi fuerant. Et dum fuiſſet ibidem in Bononia exercitus, Dominus Joannes de Olegio, in armorum exercitio expertus, fuit conſtitutus & proclamatus ipſius exercitus Capitaneus gene-

generalis. Qui coadunatis ſtipendiariis & Nobilibus Bononiæ, etiam ad cautelam, ut Civitas de ipſis propter alia evacuaretur, cum magna celeritate Bononia exierunt Anno MCCCLI. de menſe Junii. Et fuit tanta frequentia in diſceſſu, quod quaſi nulla victualia, ſed pauca, ſecum duxerunt, & de quibus infra dicetur. Nam ratio procedit, quod frequentia partes & totum bene non perficiuntur. Et ad partes Sambugæ per Vallem Reni iter direxit exercitus. Frequentia autem fuit, quia dabatur intelligi per Tuſculos ſuſurratores, quod Piſtorium haberetur, & quod in ipſa Civitate tractatus vigeret. Quod minime verum fuit. Nam quum exercitus in fine ſperaret tractatum, & exſpectaret illum publicari, fames ipſum exercitum publicavit; & quum ſperaret, quod aliqua ex portis Civitatis ſibi aperiretur, citius fames portas ſuas expandit. Nec mirum. Nam quum eſſent Ubaldini in exercitu cum omni eorum exfortio, promiſerant victualia ſequi, quod fuiſſet contra naturam. Nam Ubaldini degentes in Alpibus ſunt concluſi, ubi copia panis denegatur, ſed copia carnis habetur. Et prædicta probata ſunt ea hora viſibili ratione. Nam ſuo tempore ductis pluribus aſinis onuſtis pane in exercitum e Terris Ubaldinis, ex quibus non ſolum panis manducatus fuit, ſed etiam aſini per ſtipendiarios Teutonicos & alios fuerunt devorati. Et vidi plures Bononienſes, qui pro una panis bucella tunc recepta promiſerunt ipſis conductoribus corbem unam frumenti in Comitatu Bononiæ. Et certe mei ſocii, qui exercitum ſequebantur, & erant Notarii ſtipendiariorum, carentes pane, caput unius aſelli, quod cum corio portabat quidam aſinarius, quodque per violentiam abſtulerat Ruffinus de Caſtelletto Capitaneus equeſtris, qui cum ipſis Notariis ſtabat in duodena (erantque omnes Mediolanenſes) datis ſoldis VIII. ipſi aſinario, ne conquereretur, caput, inquam, illius aſelli coctum abſque ſale, & pane, vel ſpeciebus con-

Q ditum

ditum comederunt. Et certe niſi fuiſſent uvæ immaturæ & agreſtes, & perſica item acerba, quæ jam groſſa erant, male eveniſſet eiſdem. Demum cum exercitu ipſo ſuper portis Florentiæ tubaverunt, & una nocte pernoctaverunt, multas pulchras domos & palatia cum ædificiis ſaccomannando & comburendo, & ibi etiam per gentes illas dictum fuit de Saccomanno, quod vocabulum uſque ad præſentem diem in Lombardia perduravit (84). Deinde receſſerunt, & Vallem Mugelli intraverunt, & Caſtrum Barberinum per violentiam expugnaverunt, in quo tantum bladum & victualia invenerunt, quod tam homines quam equi ſaturati ſunt. Et dicebamus, quod illud Caſtrum magnas elemoſynas fecerat. Dum ibi pernoctarent. Terra Scarpariæ, quæ tunc propter longævum pacificum ſtatum vallo carebat, carebatque ſcalis pro aſcendendo, turres circum circa exiſtentes ea nocte januis domorum pro vallo erectis, & oſtiis ſcalarum undique portatis, fuit reducta in fortalitiam. Hinc exercitus per ſequentia Bononiam victualibus ſpoliavit, & Lombardos pecunia cœpit vacuare. Sequenti autem die, hora Nonæ, exercitus Scarpariam adivit. At non valens intrare, caſtrametatus eſt circa ipſam, ubi ſtetit uſque ad finem Menſis Novembris cum maximis diſpendiis & deſtructione Lombardorum, faciendo caſtra lignea, machinas, pontes portatiles ſuper rotis, ubi illi Tuſculi latitabant. Quæ omnia uno ſolo denario non profuerunt. Et interim Florentini Burgum Sancti Laurentii in ipſa planitie Mugelli munierunt, a quo dictus exercitus maxima damna patiebatur. Erat autem tunc Dominus Franciſcus Comes de Urbino cum gente ſua ſolummodo ad portam inferiorem dictæ Terræ Scarpariæ cum una machina caſtrametatus. Qui

(84) De hujus vocis ſignificatione, vide infra Notam 120. Hæc autem accidere anno 1351.

Qui ſuper Circhis (85) ipſius Terræ Mantellos (86) firmos tenens, defenſores graviter offendebat. Terra autem die noctuque ſe defendendo muniebatur. Et in tantum extitit fortificata, quod mora ipſius exercitus evaſit fruſtratoria. Sed piger hyems accedens, cœpit ſtipendiis ſuis præcedentibus campum invadere. Et aquis & nivibus miſſis coegit a campo diſcedere cum maximo detrimento equorum & perſonarum. Nam his diebus Dominus Mediolani renovationem equorum in ſuo ſervitio mortuorum faciebat. Et propter fraudes maximam quantitatem Florenorum exportaverunt, & exportabant, recedentes, & lacerati per partes Petræmalæ, Scaregalaſini, & Planorii Bononiam redierunt, & in ipſa Civitate menſibus hyemalibus dicti ſtipendiarii ſteterunt cum infinita careſtia fœni & palearum.

Prædicta autem vidi & audivi, quia ego tunc temporis ſteti pro Notario ad bancum ſtipendiariorum Bononiæ menſibus XLIV. & quaſi uſque ad amiſſionem dictæ Civitatis per Dominum Mediolani factam. Et tunc Dominus Joannes de Olegio propter infamiam & queſtus Bononienſium conquerentium, quod per tanta faſtidia & labores nec in Tuſcia nec alibi unicam Terram acquiſiverat, cœpit ægrum animum habere contra amicos Dominorum de Pepulis,

(85) Circhos, ſeu Circhas vocabant Antiqui ſpatium illud terræ, quod Foſſis Urbem circumdantibus, adjacebat. Galli vocant *l' Eſplanade*, *ou Glacis*, Germani *die Ebene rings umeine ſtatt*. Itali *lo ſpalto*, *la ſpianata*. Et autem terræ ſpatium ab Arboribus, Foveis, aliiſque impedimentis vacuum, culturæ expers, ac in deſcendentem in adverſam ab Urbe partem planitiem, coaptatum. Vide Muratorium Antiquit. Italic. T. 2. col. 507.

(86) Mantellum, & Mantelettum, erat Machinæ Militaris defenſivæ ſpecies, qua ab hoſtium telis, quaſi a pluvia Pallio, tegebantur propugnantes. Palis, Perticis, Cratibuſque ſolidatos, ex Vegetio aſſerit Du-cangius, ad Verbum Mantelettum. Aliquid ſimile etiam hodie in obſidionibus eſt in uſu, pro defenſione militum contra lapides, quos obſeſſi adverſus agreſſores Eneorum Mortariorum, ac Pyrii pulveris auxilio, emittunt.

pulis, & contra Jacobum de Pepulis olim Bononiæ Dominum, quem in Bononia captum & ſpoliatum bonis ſuis inſectabatur, favens aliis ipſorum Pepulorum contrariis & æmulatoribus; etiam quia intellexerat de ſe ipſo gravia eſſe relata præfato Domino Archiepiſcopo; qui tamen ea credere noluit propter cæcitatem amoris, quo ipſum Dominum Joannem de Olegio, e limo ſublevatum, proſequebatur. Imo plures credebant ſuum eſſe filium; nec fuit verum, quia Dominus Manfredus agnomento Botta de Gattego de Novaria, homo Guelphus, multum virtuoſus, amore Eccleſiæ in proximis partibus guerram faciens, & inimiciſſimus Vicecomitum & Torniellorum in Olegio Caſtro parviſſimi valoris, patrem ipſius Domini Joannis de Olegio cum una mazia ferrea, quam tunc portabat, interemit, & Olegium populatus eſt, & totum concremavit. Tacite tamen dictus Dominus Joannes de Olegio multum repugnabat præfato Domino Galeaz, & potius Domino Joanni de Pepulis prædicto, quia Dominus Galeaz junior erat, & credebatur, ipſum talia neſciviſſe cogitare. Sed hæc eveniſſe credo propter amicitiam & converſationem, quam præfatus Dominus Galeaz habebat cum Domino Joanne de Pepulis in Mediolano. Erat autem præfatus Dominus Joannes de Olegio multum odio Domino Matthæo Vicecomiti fratri Domini Galeatii propter turpia verba, quæ ad invicem ſibi dixerant in præſentia quondam Domini Luchini, ſe mentiendo per gulam. Nunc autem præfatus Dominus Joannes de Olegio cœpit venire odio præfato Domino Galeatio. Et adeo multiplicavit odium, ut neuter ipſorum fratrum de Vicecomitibus vellet familiam ipſius Joannis de Olegio videre, nec de ipſo quicquam audire. Et tunc Joannes cœpit cum Domino Bernabove in beneplacitis permanere velle, multa exenia illi mittendo, & in benevolentia permanendo, quæ duravit uſque ad mortem præfati Domini Archiepiſcopi; nam poſtea cœpit ceſſa-

ceſſare amicitia per ſequentia. Receſſit autem Dominus Marchio Ubertus Pallavicinus a Capitaneatu Bononiæ; & præfatus Dominus Joannes de Olegio, ſicuti primitus, partes illas miniſtrare proſequebatur. Et nolens a Bononia diſcedere, ita procuravit cum Domino Archiepiſcopo, ut æſtate ſequenti cum ſtipendio tranſmiſſo equeſtri & pedeſtri iterum in Tuſciam ad partes Sancti Sepulcri miſſus fuerit Dominus Luchinus de Verme pro Capitaneo dictæ gentis miſſæ per Dominum Mediolani in partes Tuſciæ. Eſt autem Dominus Luchinus nobilis Miles de nobili progenie Veronenſi, formoſus perſona, & alacri vultu; tamen ferus aſpectu, quum iraſcitur: aſtutus, fortis, & diſcretus; non evitans labores, & tanta facundia præclarus, ut par non habeatur (87). Exercitus itaque veniens ad dictum Burgum Sancti Sepulcri, multum conterruit Tu-

(87) Luchinus de Verme, Veronæ in lucem prolatus anno 1321., aut 1322. Petro Patre; a Cane Grande ſecundo Scaligero in exilium pulſus fuit anno 1354. Plurimarum ditionum, ſuo, & Jacobæ Malveſinæ Uxoris jure, dominus fuit in Vicentino, & Veronenſi Agro, Marotii in Aſtenſi, Monguzii, & pertinentiarum in Mediolanenſi. Genuæ, Albæ, Pompejæ, partiumque Subalpinarum, pro Vicecomitibus Gubernator, eorumque deinceps in Hetruria, Inſubria, Monteferrato, mox Venetorum contra rebellantem Cretam, Exercitus Imperator, anno 1364. Contra Turcas profectus, obiit in Syria anno 1372. Uxor prima, Jacoba Malveſina, Filia, & Hæres Bonetti, Militis Veronenſis; ſecunda Uxor Beatrix Henzola, Filia Thomæ Patritii Parmenſis 1357. Ejus Filius fuit Jacobus, rebus in Militia præclare geſtis celeberrimus, ex quo deſcendunt, Comes Fridericus, & ejus Fratres, qui Placentiæ in præſenti vigent, multis Feudis, ac dignitatibus ornati, ac Comites Antonius, & Petrus, qui Mediolani plurimorum Feudorum honore condecorati, divitiis, ac eximiis animi dotibus, florent. Vide Comitum Vermenſium Seriem Chronologicam MS. T. 1. col. 43. Mediolani apud nunc defunctum Dominum Carolum Vermenſem, Bobienſis Civitatis, Curtis Brugnatellæ, ac Romagnenſii Comitem, prædictorum Conſobrinum, qui ipſam, ea qua pollebat eruditione, authenticis innixus documentis, concinnavit.

Tuſculos, quia pars Gibellina Tuſciæ ut plurimum nobis adhærebat. Burgus autem ille eſt in planitie ſuper Tyberi proficiſcente verſus Romam. Et adeo pulcher eſt, fructiferus, & abundans victualibus, ut numquam pro toto exercitu annona defecerit, nec pretia aſcenderint cum avantagio duorum denariorum pro Soldo. Et adeo exaltatus Turribus, palatiis, & excelſis domibus, ut Palatia conſpicerentur. Muratus a parte exteriori muro, foſſatum, viridaria, & hortulos continebat; & non expulſo aliquo Guelpho, & annuentibus univerſis ad favorem Domini Mediolani, de guerra & expenſis videbatur non curare. Et demum participante Domino Cortonæ, exercitus curavit, Betonam ſitam in principio Ducatus Spoletani, & in oppoſitum Civitatis Peruſii, mediante dicto flumine Tyberino, propter diſcordiam majorum intrinſecorum & auxiliante Domino Criſpoldo, qui major erat dictæ Civitatis, dominio Domini Mediolani ſubjugare. Et miſſis a Cortona banderiis XXXII. Teutonicorum, Burgundionum, & Lombardorum, dominium ipſius Civitatis Betonæ nomine Domini Mediolani obtinuit. Non tamen ſic tempeſtive, quoniam ante prædicta univerſus exercitus converſando & ſtando ſuper riperia Lacus Peruſinorum & Cortonæ Palatia infinita deſtruxit & vaſtavit in partibus illis, & in tantum quod damna, quæ utraque pars perpeſſa eſt, non poterant æſtimari, nec umquam talium tantorumque exceſſuum memoria dilabetur. Et quia nimis longum eſſet enarrare, ad exercitum Betonæ eſt breviter redeundum.

Betona autem die introitus pulcritudine refulgebat, Palatiis, parietibus micantibus ex ſplendore, plena victualibus, & præcipue oleo olivarum, cujus abundantiæ non fuit finis. Etiam banderiæ XX. baliſtariorum plerumque Civitatem ipſam intraverunt. Neſcio tamen an Civitas dici poſſet, quia carebat Epiſcopo. Nihilominus vidi Civitates in maxima quantitate non ſimiles nec coæquales. Quo in-

troitu

troitu facto multi e Civitate propter diſcordiam præcedentem fugerunt, & aliqua pars in ipſa Civitate permanſit. Cum quibus duobus ingreſſibus Terræ Peruſinorum longa parte protractæ diripiebantur, cremabantur; & multæ etiam Civitates, nempe Aſſiſium, ubi Corpus Beati Franciſci requieſcit, pacta inierunt, ut ſi in brevi ſubſidium per Peruſinos non daretur, quod Civitatem eam, aliaſque traderent in fortiam Domini Mediolani. Nec mora. Peruſini theſauros aperierunt. Ceſſaverunt a laboribus, & ab artibus vacaverunt; deſperati de tali infortunio. Unicuique ſtipendia tribuebant; & tanta multitudo errantium ſtipendiariorum venerat ab Apulia deſtructa, & cucurrerunt, quod ſine numero infinita quantitas tunc per Peruſinos exititit deſcripta. Et ſubito duas Baſtias (88) apud Betonam per jactum lapidis conſtruxerunt. Cum quibus ab utraque parte cum armis talia ſunt commiſſa, quod a Troja citra ſimilia bella non fuerunt viſa. Ultra autem Baſtias contractas ipſi Peruſini campum firmum papilionibus & caſtramentis firmatis conſtruxerunt ſuper flumine Tyberis, ita quod numquam fuit audacia per alias gentes Domini Mediolani prædictos de Betona ſuccurrere. Nam die illa nobilis vir Dominus Raynaldus de Aſſandris, de quo dictum eſt ſupra, Capitaneus Domini Mediolani erat, & cum exercitu Mediolani caſtra ab oppoſita parte fluminis prædicti cum magna potentia direxit. Et certe ſi primitus poſuiſſet caſtramenta in

(88) Baſtia, Baſtita, & Baſtida, Turrem ligneam ſignificare, Foſſato, Aggere, & Palis firmiter terræ infixis, circumdatam, pro oppugnanda Urbe, Arcendis hoſtibus, aut alicujus Fluminis, ſeu Pontis defenſione, plurium Scriptorum Medii Ævi textus, comprobare videntur. Vide Du-Cangium, Vide Patrem Carolum de Aquino S. I. in Lexico Militari, ad Verbum *Baſtum*. Vide Lexicon Florentinum, Vulgo *della Cruſca*, in quo tamen aſſeritur *Baſtiam* idem eſſe, quod nunc *Trencea*, aut *Trinciera* vocant, quod quidem a vero aberrare, crediderim.

in loco occupato per Peruſinos (quod facile facere potuit ; antequam illi haberent campum magnum & gentes infinitas præparatas) Baſtiæ primo factæ non fuiſſent, & apud Betonam totaliter laceratæ ruiſſent. Quarum grandior per Betonenſes virtutibus commendabiles fuit capta, rupta, & deſolata, multis ab utraque parte peremtis. Sed ſtante Domino Raynaldo cum exercitu ſuo ſuper ripa dicti fluvii, ubi ſemper ſtetit ſicut navis in mari, quæ caret remis, non ſolum homines Peruſii ſtipendiarii, ſed etiam mulieres, & barberii cum zavatteriis cucurrerunt, Peruſinorum campum inchoatum fulciendo. Et dicitur, quod Rectores Populi Peruſini, qui juxta morem ſunt quatuor, ipſi Domino Raynaldo dederunt bibere; & in bottis miſerunt de vino, quod in Vercellis datum fuerat Illuſtri Principi Domino Philippo de Valeſio, ut dictum eſt ſupra, quod vinum naturam habuit Florenorum. Et propter ejuſdem Domini Raynaldi moram Betona remanſit obſeſſa, & tam graviter, quod in ipſa exiſtentes comederunt equos ductos fere mortuos fame, quum equi non haberent quod comederent, niſi folia ficuum & olivarum, & proinde neque pilum neque corium habebant ſuper teſta. Pedites autem coquebant ficus acerbos in aqua, & oleo deinde condiebant. Oleum namque olivarum numquam defecit. Nam de equis pars, quæ jacebat, equo vivente, erat putrida. Et aliæ carnes equinæ vendebantur ad macellum, & comedebantur ſine pane, ſale, & ſpeciebus. Quid ultra? Prædicti ſic obſeſſi, de auxilio præfati Domini Raynaldi non amplius ſperantes, pacta cum Peruſinis inierunt: nam infinitos baliſtis & ſcaramuciis & irruptionibus occiderunt ex Peruſinis, quia portant longas targas, & ad bellandum ut plurimum ſunt indiſcreti. Et vidi Contrum de la Specia, qui LX. & ultra ex dictis Peruſinis ſic targatis occidit cum baliſta. Et quid ergo fecerunt alii? Pactis igitur firmatis, cum armis & equis univerſi de receſſu libero fuerunt affidati, excepto Domino Criſpoldo ante-

tedi-

tedicto, quem numquam Peruſini voluerunt in pactionibus includere. Criſpoldus autem proditus fuit. Nam quidam ſuus nutritor, qui ipſum a pueritia educaverat, eumdem Peruſinis tradidit. Etenim ante pactorum confirmationem ſub taciturnitate noctis de Betona ſimul deſcenderunt, & de ſcientia & beneplacito gentis Domini Mediolani concluſæ, dictus nutritor ipſum Dominum Criſpoldum in fauces ipſorum Peruſinorum conſignavit. Captus itaque ductuſque Peruſium de præſenti fuit decapitatus ſuper platea. Attamen pacta gentis Domini Mediolani, & eorum exſtiterunt obſervata. Et ſic cum equis ſuperviventibus, qui vix fuerunt numero LXXX. diſceſſerunt a Betona, & per campum Peruſinorum tranſeuntes taliter macerati ad campum Domini Raynaldi cum maximis truffis (89) & clamoribus turpibus receſſerunt: quæ verba & truffæ gravaverunt eos plus quam fames. Deinde ab ipſo campo levatis tendis & papilionibus, & apud Civitatem Caſtellanam Peruſinorum, ubi magna damna & incendia intulerunt, ſe direxerunt, & ad Terram Burgi Sancti Sepulcri redierunt (90). Propterea præfatus Dominus Raynaldus a dicto officio fuit amotus. Banderia equeſtris filii, & duæ fratrum ſuorum, ſubito fuerunt caſſæ: & ipſe totaliter excidit a gratia Dominorum Vicecomitum in perpetuum. Quamquam ipſe detentus in Bononia, & in domo mea permaneret, ſe a prædictis excuſabat, dicens, quod habebat in mandatis facere

R quæ

(89) Truffæ apud Du-Cangium, qui inter plures alios, præſentem Azarii textum citat, ſunt *Nugæ*, item *Fallaciæ*, *doli Illuſio*, *Deriſio*, quo ultimo ſenſu hic *Truffas* intelligendas eſſe, puto. Lexicon Florentinum vulgo Della *Cruſca*, *Truffare* præter alias ſignificationes *Beffare e farſi Beffe*, dicit, hoc eſt *Illudere*, *Irridere*. Hac voce iterum utitur Azarius col. 378. D., de Fratre Buſſolario ſermonem habens, ſed diverſo ſenſu, ibi enim *Truffæ* pro *Fallaciis*, ac *dolis*, intelligendæ.

(90) Hec anno 1352. evenerunt. Vide Ephemeridies Urbevetanas R. I. T. XV. col. 670. D.

quæ conſulebant plures Nobiles de Tuſcia, de nominibus quorum tacetur, & quod prædicti Tuſculi ſic agendum dixerant, & conſuluerant.

Reverſis autem prædictis gentibus Domini Mediolani ad habitandum in Burgo Sancti Sepulcri, caſus ultra modum mirabilis evenit. Nam in Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel præcedentis noctis tempore, talis terræmotus Terram concuſſit, quod palatia & turres corruentes, & parietes ſimul collidentes, brevi hora taliter ſunt quaſſatæ, quod paucæ rectæ videbantur. Et certe ſi Saraceni juraſſent ipſam Terram proſternere, non fuiſſet ſic dirupta in una hebbomada. Sed pauca gens periit: quod fuit gratia Dei (91). Et verum fuit, quod lapides ab imis murorum fundamentis ſuper terram foſſæ exterioris proſilierunt, cujus foſſati & præcipue murorum profunditas erat decem cubitorum. Etiam ab una parte Civitatis Caſtellæ fuit terræmotus, ſed non tam magnus. Et etiam ſequenti hebdomada, hora Tertiarum, fuit alius terræmotus in ipſa Terra, in quo Turris cum Caſſaro Caſtri, per medium ſciſſa dirupta exſtitit, & ſub ipſa filius Caſtellani cum pluribus aliis periit, & multæ aliæ domus a primo terræmotu immunes corruerunt. Quarum domorum deſtructionem & proſternationem vidi infinitam. Ex quo ſtipendiarii cum illis de Boccanigris potentioribus partis Gibellinæ exierunt, Terram ipſam totaliter dimittentes, nolentes ſine bello mori. Et poſt paucam moram omnes Bononiam redierunt, dimiſſis dictis partibus ſic vaſtatis. Diſceſſis itaque a Tuſcia prædictis, & antea Peruſini magnam quantitatem ſuorum ſtipen-

(91) Terræ motus, qui Burgum Sancti Sepulcri concuſſit, evenit menſe Decembris 1352. Vide Matthæi Villani Hiſtoriam R. I. T. XIV. col. 189., qui hoc eveniſſe die 25. Decembris ejus anni, & prima die Januarii, ſequentis anni, majori impetu iterum eveniſſe, aſſerit.

pendiariorum caſſaverunt; & multi alii de partibus Apuliæ tam pedites quam equites Teutonici, Burgundi & Itali, audientes de guerra, ad partem illam confluxerunt. Et coadunati in maxima quantitate ac deſperati, uti carentes ſtipendiis, cœperunt Societatem inire. Oh quot malorum principium fuit hæc prava Societas! Caput ſuum fecerunt Fratrem Morialem, qui Frater Templi fuerat, ſed prævaricatus malitiis gloriabatur. Et cœpit cum ſua Societate partes Tuſciæ uſurpare. Ipſe erat de Burgundia, tamen ſciebat Teutonicos & Lombardos gubernare, participando rapta. In ea Societate ſupervenit Comes Landus, qui utinam non adveniſſet propter infelicia, quæ evenerunt in Lombardia. Iſte cum Teutonicis ſibi adhærentibus, etiam quotidie ſuperadditis, Marchiam hyemali tempore occupavit. Et non obſtante quod nix eſſet maxima, Terras ipſas vaſtavit, cepit, plerumque prædatus eſt. Ab hujuſmodi ſceleſtiſſimo cœtu Frater Morialis deinde receſſit, & Romæ, quo iverat, pro accipiendo magnam auri quantitatem extortam in Apulia, fuit tamquam prædo per Tribunum decapitatus, & dies extremos finivit. Deinde Comes Landus cum Societate ipſa in Apuliam profectus eſt, ubi diu prædando moram traxit. Dum autem exercitus Domini Mediolani rediiſſet Bononiam, curavit idem Mediolani Dominus guerram Tuſculorum promittere. Et procuravit, quod Civitates Mutinæ & Regii, quæ iter ſuarum gentium Parma Bononiam mittendarum occupabant, cederent. Igitur primo invaſit diſtrictum Mutinæ, & partem Gibellinam pro eo expulſam de dicta Civitate, & præcipue Dominum Galaſſium de Piis cum ſequacibus ſuis ſibi junxit, & in Bononia recepit cum parte ſua. Cœperuntque magnanimiter agere contra Mutinenſes. In illis tamen principiis illi de Savignano, quæ eſt titulo tertia Domus in Mutina ex majoribus partis Guelphæ, cœperunt tractare Rochettam Savignani diu poſſeſſam per Bononienſes. Et ipſam cuſtodiebat Mat-

thæus de Guidabobus de Parma (qui de ipſa tunc temporis aufugit) pro Domino Mediolani. Multa quidem geſta fuerunt in Caſtris illis per utramque partem, de quibus tacetur propter nimium ſermonem. Facto enim ponte ſuper nimium ſermonem. Facto enim ponte ſuper flumine Panario, ubi antiquitus fuerat via recta veniendo a Mutina Bononiam, & factis duabus Baſtiis pro cuſtodia dicti pontis, & fortiori verſus Mutinam, cui Bernardinus de Piis factus fuit Caſtellanus cum multis paghis, cœpit exercitus Domini Mediolani pertranſire. Et capto primitus Caſtro Florani, Civitatem Mutinæ invadere, & poſt paucos dies cœperunt ſuper Canali partis inferioris, & ubi alias fuerat apud Civitatem Mutinæ, Baſtiam erigere. Et dum in dicta Baſtia ad elevationem ipſius laboraretur, & ſtante ibidem Domino Albicio de Baldinis, Collaterali Domini Joannis de Olegio loco ipſius Domini Joannis, qui jam animo conceperat faciendi quæ exinde fecit, hic non curabat, quod Mutina caperetur propter ſequentia, quia mortuo Domino Archiepiſcopo ſperabat ſe moraturum proptet ſuperius dicta. Albicius erat cum Populo & Proceribus Bononienſibus Capitaneus.

Et facto alio Ponte ſuper Panario cum navibus in oppoſitum Crepacorii, una die præfatus Dominus Joannes de Olegio miſit literas, quas vidi, ad Dominum Albicium, ut die noctuque verſus Bononiam remearet cum Populo & cum Proceribus, quos volebat turpiter mori (92). Et ſic adulando, quoniam Comes Landus cum Societate ſua ibi erat de præſenti; nam ea Societas tunc diſtabat a Bononia miliaribus CC. & ultra a dicta Baſtia, nec volabat. Quibus literis viſis, & alio conſilio non deliberato, quia ipſe Dominus Albicius erat paſtor bonus, pulſatis tubis, & nullo

(92) Forte, *nolebat turpiter mori*.

lo impellente, a dicta Baſtia fugerunt, etiam quia Bononienſes libentiſſime recedebant; & tali frequentia Pontem impulerunt, ut ipſum fregerint, & multi equi & homines ſubmerſi perierunt. Et die ſequenti deleto toto dicto Ponte Bononiam redierunt. In principio autem quæſtionis motæ per Dominum Mediolani contra Mutinam & Regium, vivebat Marchio Oppizzo Eſtenſis, qui ſolummodo tres filios habebat valde juvenes, videlicet Aldrovandinum & alios, natos ex pulcherrima muliere Bononienſi, & ſorore Henrici de Arioſtis. Et timens de Marchione Franciſco nepote ſuo, ne cum auxilio Domini Mediolani (cum quibus Vicecomitibus habuerat parentelam, quia Mater Domini Azonis fuerat de ſua progenie) aliquid moliretur, vix incœpto prædicto diſcordio prædictum Marchionem Franciſcum a Ferraria cum aliquibus intimis ſuis ſugavit, & Civitates Mutinæ & Ferrariæ cœpit caute cuſtodire. Qui Marchio ſic expulſus, Mediolanum venit, ubi de præſenti magnifice commoratur. Poſt hujuſmodi expulſionem tractavit Dominus Marchio Obizzo cum Dominis Mantuæ, qui & Regium tenebant, & cum illis de Padua, de reſiſtentia facienda Dominis Mediolani, ut a captione Mutinæ & Regii ceſſarent vota ſua. Et tunc participato conſilio ſtuduerunt Comitem Landum cum Societate ſua ſub eorum ſtipendiis habere, & habuerunt. Et curarunt, ut quanto citius ille Comes per partes Romandiolæ intraret Lombardiam. Et hinc detegitur malus conceptus, quem Dominus Joannes de Olegio ſibi ſtatuerat de permanendo in Bononia, quamquam diſceſſo de ſui mandato, ut ſupra, exercitu apud Mutinam noctis tempore, nam dies octo & ultra ſuum curſum evolverunt, antequam Landus Bononiam accederet. De cujus exercitus receſſu multa dicta & cogitata fuerunt. Sed propter potentiam ipſius Domini Joannis nec Officiales nec alius auſus fuit loqui, nec Domino Archiepiſcopo reſcribere. Venit ergo ad partes Bononiæ dictus Comes Landus cum impia Societate

ſua,

ſua, & primo deſtructis partibus Budrii diſtrictus Bononienſis, eas occupavit. Deinde levato exercitu, in campeſtribus apud Bononiam a parte verſus exitum Canalis Bononiæ pluribus diebus ſtetit. Et dictum fuit, quod ſecto lignamine occupationis foraminis exitus dicti Canalis, multi ex Societate ipſa Campum mercati intraverunt, & numero ducenti vel ultra. Quapropter tota Civitas Bononiæ traxit ad rumorem. Eſt enim Campus Mercati locus valde ſpatioſus, in quo & per quem labitur Canale, & ſuper quo conſtructa ſunt Molendina ſupradicta. Et intra mœnia Civitatis concluſus a parte, ubi Canale labitur, & prope Caſtrum, quod habebat Legatus antedictus jam expulſus. Deinde dicta Societas tranſiens dictum Canale, ſe poſuit apud Pontem Reni, & Burgum univerſum Panigalis occupavit, vaſtavitque Caſalegium & multas alias Terras in Valle Reni, eique circumſtantes prædatus eſt. Et ibi multis diebus ſtetit, nihil probitatis faciendo. Deinde verſus Mutinam greſſus ſuos direxit, & ad Pontem factum noviter cum Baſtiis, ut ſupra, ſe poſuit, & duabus vicibus ipſas cum Ponte expugnavit. At non profuit. In partibus illis tantum duravit, quod dictæ Baſtiæ fuerunt captæ & Pons una cum eis totaliter devaſtatus.

Durantibus autem prædictis & ſub regimine Domini Ottolini de Burris tunc ſequentis Poteſtatis, Dominus Joannes de Olegio multos de Bononia Nobiles & Populares capi mandavit pluribus in vicibus, quos dicebat eſſe culpabiles de proditione Civitatis ex accuſationibus patentibus. Et dicebatur, quod illi erant amici & intimi Domini Joannis de Pepulis. Qui pluries ad martyrium lacerati, dixerunt vera eſſe, quæ in inquiſitione continebantur. Et in duabus vicibus XXXIV. ſuper Campo Mercati publice extiterunt decapitati. Inter hæc rumores multi in Bononia efferbuerunt, in quibus plurimi Bononienſes per ſtipendiaribus in ipſa Civitate fuerunt interfecti, & aliqui de occiſoribus.

ribus. Et tunc quum multi de Ubaldinis pro cuſtodia Civitatis Bononiæ fuiſſent requiſiti, & cum eorum clientibus & glomeroſa quantitate & ultra modum armatis veniſſent ad cuſtodiam. Et facta ipſorum monſtra, poſitiſque ſuper plateam, rumor exſtitit inchoatus, ex quo primi ex illis, qui decapitati fuerunt, capti fuerant. Inter quos Zennonus de Sancto Alberto dicebatur principalis. Inter Ubaldinorum clientes tunc venit magnus ille quotidie ebrius, qui in Mediolano Malvaſiam generoſius deinde deſtruxit, ſuffocando ſe in cœno. Et qui Dominum Bonincontrum de Sanminiato diu excellentiſſimum in Mediolano Officialem vulneravit; & pro quo vulnere ipſe Dominus Bonincontrus in pace receſſit. Ulterius autem ipſa Societas illa vice non proceſſit, ſed ad partes Tuſciæ rediit. Et utinam ibi fuiſſet finis. Remanſerant itaque ambæ Civitates Mutina & Regium, ſicut primitus erant, & cum peſſima voluntate contra Dominum Mediolani, ut inferius apparebit. Dominus autem Galaſſius de Piis egregius Miles cum amicis ſuis popularibus e Mutina expulſis morabatur aliquando Bononiæ, plerumque in Caſtro ſuo Carpii. Literas autem, quibus in Collegam Capitaneatus Bononienſis deputabatur, habuit a Domino Archiepiſcopo. Sed præfatus Dominus Joannes de Olegio fecit per Bononienſes opponere, & Mediolanum reſcribere, quod ipſum habebant ſuſpectum; & cauſa erat, quia Vicarius inimicus erat & nimis Gibellinus. Iſtis durantibus præfatus Dominus Archiepiſcopus diem clauſit extremum & ſubito, videlicet Anno MCCCLIV. (93) die

(93) Joannem Vicecomitem Mediolani Archiepiſcopum, menſe Octobris 1354. vita defunctum, omnes tradunt ejus ævi Scriptores. Jovius vero his verbis: „ Septimum regnantem annum Auguſto menſe concepta Febris, „ & lentis demum acceſſionibus producta in Septembrem, climaterico æta- „ tis

die Dominico IV. Menſis Octobris. Verum ante ipſius mortem & durantibus prædictis, poſt obitum præfati Magnifici Domini Luchini Vicecomitis, & dimiſſo odio inter Nobiles & Populares Januæ, factoque Simonino Buccanigra Duce Januenſium, quæſtio infinita orta eſt inter] Januenſes & Venetos in ſpatioſo pelago. Utraque pars Galeis & aliis navibus ad pugnam aptis, & fulcitis gentibus ad bellandum cum infinitis expenſis, exercitum maritimum fecerunt. In qua guerra Veneti Regem Aragonum inimicum antiquum Ja-

---

„ tis anno, leniter extinxit „. Corius diem Dominicum 5. Octobris, & horam 14. aſſignat. Hiſtoria Cartuſiorum. Lib. 10. cap. 11. R. I. T. XII. col. 942. B. diem 5. Octobris indicat, cui aſſentiuntur Ciacconius T. 2. col. 453., & Gualvan. Flamma Manip. Florum R. I. T. XI. col. 737. D. Matthæus Villani R. I. T. XIV. col. 252. C. ejus mortem ſic narrat:
„ Meſſer Gioanni de Veſconti Arciveſcovo di Milano potentiſſimo Ti-
„ ranno in Italia, havendo dilatata la fama della ſua potentia in grande
„ altezza, e vivuto al Mondo longo tempo in diſſoluta vita ſecondo Prela-
„ to, vedendoſi avere vinta ſua pugna, e ſoperchiata nel temporale la
„ Chieſa di Roma, e riconciliatoſi a quella, co' ſuoi sformati doni, e che
„ tutta Italia il temeva, e lo eletto Imperatore non aveva ardire, ezian-
„ dio ſollecitato dalla forza, et denari della Lega di Lombardia, piglia-
„ re arme contra a lui, vaneggiando nel Colmo di ſua gloria, uno Vener-
„ dì ſera adì 2. di Ottobre 1354. li apparve nella fronte ſopra il ciglio,
„ un picciolo Carboncello, del quale poco ſi curava, et il Sabato ſera adì
„ 4. del detto meſe il fece tagliare, e come fu tagliato caddè morto l'Ar-
„ civeſcovo ſenza poter far teſtamento, o alcuna proviſione dell' anima
„ ſua, o della Suceſſione de' ſuoi Nipoti nella Signoria, i quali feciono al
„ Corpo ſolenne Eſequie. E ſenza quiſtione, e con molta concordia ſi ri-
„ ſtrinſino inſieme facendo grande honore l' uno all' altro, per la qual
„ coſa, i Milaneſi, e tutti gli altri Sudditi, ſtetono in obedientia de nuovi
„ Signori. Tanto che poi con nuova ſugeſtione, di tutti i Popoli ſi fecio-
„ no dichiarare Signori, come appreſſo racconteremo.

Authorem audis Guelphum, ac Florentinum, ideoque duplici titulo Jo. Vicecomiti infenſum, cujus verba hic adducere placuit, quia mortis circumſtantias, ex Anthrace in fronte nato, ac imprudenter ferro exciſo, cæte-

cæteris diligentius deſcribit. Errorem tamen in textu Villanii circa dies aſſignatos, ex eo etiam ſubeſſe apparet, quod ſi dies ſecunda menſis erat Veneris, dies quarta non poterat eſſe Saturni. Cæterum ipſe obiit die quinta Octobris, quæ anno 1354. erat dies Dominica. Quod etiam ex Lapide Sepulcrali evincitur. Non deſunt tamen ſpectatæ fidei Scriptores, qui dicant ipſum, morbo Auguſto menſe jam incepto, ac ætate jam in Senium provecta, prævidiſſe proximum ſuæ Vitæ exitum, ideoque publicis Teſtamenti Tabulis, Nepotes æqua lance hæredes inſtituiſſe, ac opportunis Eccleſiæ Sacramentis munitum obiiſſe. Azarius tamen, aliique Synchroni Authores ejus mortem jejune nimis tradunt. Vide Corium ad annum 1354. Vide alios Scriptores jam ſupra citatos. Obiit ætatis anno 64., natum enim anno 1290. vidimus Nota 70., Climatericum itaque ejus mortis annum inepte nominat Jovius. Principatum tenuit a morte Luchini Fratris, quam Nota 70. eveniſſe dixi die 24., aut 25. Jannarii anni 1349., uſque ad prædictam ejus mortis diem, ideoque annis 5. menſibus 8. diebus 11.; non ergo ſeptimo regnante anno, ut Jovius dixit. Archiepiſcopatum vero a die 6. Auguſti 1342., quo a Clemente VI. confirmatus; quamvis poſſeſſionem acceperit ſolum die 8. Septembris, annis 12. menſibus fere duobus; Sepultus fuit in Eccleſia majori in Arca Marmorea inſculptis hiſce carminibus hodie etiam conſpicuis:

Quam faſtus, quam pompa levis, quam Gloria Mundi
Sit brevis, & fragilis, humana potentia, quam ſit
Collige ab exemplo, qui tranſis perlege; diſce
In ſpeculo Speculare meo lacrimabile Carmen
Qui ſim, Qui fuerim dicet; qui marmore Claudor
Sanguine Clarus eram, Viceeomes ſtirpe Johannes
Nomine, nullus opes poſſedit latius Orbe,
Præſul eram, Paſtorque fui, baculumque tenebat
Dextera Paſtoris, gladiumque ſiniſtra gerebat
Felicis Domini, magnuſque, potenſque Tyrannis
Ipſe fui Victis, metuerunt nomina noſtra
Ethera, Terra, Mare, ſuberant Urbeſque potentes
Imperio Tituloque meo, mihi Mediolani
Urbs ſuberat, Laudenſe ſolum, Placentia grata
Aurea Parma, bona Bononia, pulcra Cremona
Bergama magna ſatis, lapidoſis montibus aucta
Brixia magnipotens, Bobienſis Terra, Tribuſque
Eximiis dotata bonis, Terdona vocata

Januenſium confœderaverunt, qui Rex multas magnas naves & habiles ad pugnam ex Catalanis ſuis expertos & probos in mari præparavit. Et taliter proceſſerunt negotia, breviter concludendo, quod tunc Januenſes in marinis partibus ſuccubuerunt, ex quo maxima careſtia victualium in Janua habebatur, etiam alia cauſa præcedente. Nam a partibus transſmarinis nulla vel modica victualia vehebantur, quum Domini de Spinulis prohiberent, & præcipue præfatus Dominus Archiepiſcopus Mediolani, qui Alexandriæ, Derthonæ, & Placentiæ dominabatur, victualia ipſa totaliter

---

Cumarum Tellus, novaque Alexandria pinguis
Et Vercellarum tellus, atque Novaria, & Alba
Aſt quoque cum Caſtris pedemontis juſſa ſubibant
Janua que ab antiquo Condam jam condita jano
Dicitur & vaſti narratur janua Mundi
Et ſavonenſis Urbs, & loca plurima, quæ nunc
Difficile eſt narrare mihi, mea juſſa ſubibant
Tuſcia tota meum metuebat languida nomen
Per me obſeſſa fuit, Populo Florentia plena,
Bellaque ſuſtinuit, tellus Peruſina Superba,
Et Piſæ, & Senæ timidum reverenter honorem
Præſtabant, me me metuebat Marchia tota
Italiæ partes omnes timuere Joannem
Nunc me petra tenet, ſaxoque includor in iſto;
Et lacerum, Vermes laniant nunc undique Corpus
Quid mihi divitiæ, quid lata Palatia proſunt?
Cum mihi ſufficiat parvo quod marmore Claudar
Et clauſi diem meum MCCCLIIII. die 5. Octobris.

Dominus Gabrius de Zamoreis d' Parma legum doctor, compoſuit hæc Carmina.

Hanc Inſcriptionem ex Sarcophago, in Cathedrali Eccleſia adhuc exiſtente, diligenter excribendam curavi, cum Corius, Joannes tam Joſeph Waglianus aliique, qui ipſam dederunt, multis mendis deformatam tradant.

liter denegabat. Quorum cauſa cœpit populus parvus in Janua murmurare. Et eſt ſciendum, quod ſpecies Populi parvi ſpecies Ducis Januæ; & ab ipſo Populo minuto Dux traxit originem. Populus etenim ille & plebeji fuerunt adeo perſonis fatigati, & pecuniis afflicti pro conſtruendo navigia, & ea muniendo, quod major & majores cœperunt potius condolere & altius murmurare. Quæ audiens Dux Simoninus antedictus, auditoque infortunio marino, nec prædictorum voluntati valens reſiſtere, nec ipſos valens ſublevare, tamquam ſagax & prudens cautelam adhibuit, nolens mactari per Populum, nec opprimi per Nobiles, propter commiſſa. Et de duobus malis minus elegit. Et cum maxima aſtutia cogitans vivere, ſuoque beneficio gaudere poſt lapſum illius mali puncti. Et ſic ad præſens fecit.

Nam habuerat in Mediolano amicum nomine Joannolum Mondellam de Ferro (& agnominabatur de Ferro, quia mercaturam ferri exercebat, ſed ex pecuniis alterius Joannoli Mondellæ Theſaurarii præfati Domini Archiepiſcopi, & ejus germani faciendo etiam mercantias) reductum cum præfato Archiepiſcopo, tamquam legalem hominem, ſincerum & veracem ad illius magnalia gubernanda & exſequenda, odentem pompas & tributa, ac honeſtiſſime viventem & cum caritate. Cujus familiaris Notarius, & domeſticus fui ego *Petrus Azarius*, ut in fine dicetur, & converſando cum eo, geſta vidi, audivi, & per literas didici. De eo præfatus Dominus Archiepiſcopus ultra alios confidebat, & merito, & cum eo tamquam experto conſilium & colloquium habuit, & in brevi taliter ordinavit, quod præfat. Simoninus ſub certis pactis & conventionibus initis & de beneplacito Univerſitatis Januenſis Civitatem Januæ cum univerſis aliis Civitatibus & Caſtris dominio Januenſium ſubjectis remiſit ſub dominio præfati Domini Archiepiſcopi, qui

S de

de plano prædicta poſſedit (94); nec ſola Fortalitia defecit. Verum eſt, quod præfatus Dominus Simoninus habuit maximam quantitatem Florenorum pro inſtaurando expenſas per ſubditos factas, & tollendis mutuis propter ea contractis. Maxima quantitas bladi in Januam fuit vecta, in tantum quod ceſſavit inopia Januæ. Ubi etiam poſuit Poteſtatem & Capitaneum, & in Savona, & ubique Officiales & Caſtellanos. Et pacifice ampliando poſſedit in vita ſua & ulterius, ut infra. Et in tantum procuravit, quod Januenſes pacem fecerunt cum Venetis & Catalanis; quæ pax (quamquam Janua contraria ſit Mediolano) uſque in præſentem diem obſervatur. Fecit & præfatus Dominus Archiepiſcopus pulcherrimam Domum novam; & continue duabus vicibus in die habendo Curiales & alios Nobiles, ſi qui erant in Curia, & ſuos caros tres Nepotes, collationem cum puriſſimo vino & aliis fructibus & confectionibus faciebat. Quibus horis diverſa poterant dici, nec umquam audientiam denegabat. Et fuit prodigus in dando comedere Proceribus, & in aliis quibuſque expendendo, & ſemper crevit (95). Caſtrum autem valde pulcrum conſtrui fecit in Novaria (96). Filium naturalem habuit nomine Leonardum, quem pluribus annis tenuit in Novaria pro Poteſtate. Sed male, inepte, & debiliter in ipſo regimine ſe gerentem demum

---

(94) Anno 1352. menſe Septembris: Jo. Vicecomes Genuæ dominium obtinuit. Vide Georgii Stellæ Annales Genuenſes R. I. T. XVII. col. 1092. D.

(95) Hic aliqua forte deſunt, quibus alia præclare geſta a Joanne Archiepiſcopo referebat Author.

(96) Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis, vir emunctæ naris, dicit Caſtrum Novariæ a Joanne Vicecomite ædificatum, idem eſſe, quod ſuo tempore, nempe anno 1612., ſuperſtes erat. Si hoc eſt, Novariæ præſens Caſtrum, illud eſſe quod Joannes prædictus conſtrui fecerat, non eſſet dubitandum. Vide Novariam Sacram lib. 2. pag. 466.

demum indignanter ejecit privatum gratia ſua, nec deinceps voluit ipſum audire nominari. Ideo Leonardus, quia Miles erat, cum Domina Catharina uxore ſua ſe reduxit ad Caſtrum Viozzalli diſtrictus Vercellenſis. Illud Caſtrum erat ipſius Dominæ Catharinæ, ſapientis & pulcræ ultra modum, fueratque filia quondam Domini Martini de Viozzallo ex Dominis de Paleſtro ditiſſimi. Et dum prædictus Dominus Martinus hanc unicam filiam haberet, & in uxorem promiſiſſet Iberto de Roveſenda filio quondam Domini Franciſchini, aviatico Domini Joannis de Roveſenda ditiori quoque Vercellenſi, prædictus Dominus Martinus (durantibus verbis de præſenti in ipſo matrimonio, & puella fortaſſis annum ætatis nonum vel decimum agente) exceſſit e vivis. Et non obſtantibus prædictis verbis de præſenti ipſa Domina Catharina, & male, fuit iſti Domino Leonardo matrimonio copulata, & ſucceſſit patri in univerſis bonis, inter quæ illud Caſtrum habebatur. Permanente igitur dicto Leonardo in eo Caſtro, Dominus Joannes Marchio Montisferrati Dominium Civitatis Novariæ cum univerſo diſtrictu occupavit: quo audito prædictus Leonardus, quamvis validum Caſtrum haberet pro ſe viriliter defendendo cum Civitate Vercellarum propinqua ad duo vel tria milliaria, & quæ Civitas numquam fuit perdita, ſponte venit Novariam, & ibi dicto Domino Marchioni ſe & ſua dedit, relinquens propriam parentelam. Quum itaque Civitatem Novariæ Dominus Galeatius recuperaſſet, noluit de dicto Domino Leonardo miſereri. Quare ipſe Leonardus profugit ad partes extraneas. Et eſt in tanta debilitate (quia debilis conſtitutus) quod dormit in Hoſpitalibus, & cum ribaldis converſatur. Galeaz autem prædictum Caſtrum cum bonis poſſidet, Dominam Catharinam prædictam alimentari faciendo.

Diebus autem prædictis mortui ſunt Ludovicus Imperator in partibus Alamanniæ, ubi continue Coronam Impe-

pe-

perialem tenuerat ſine alia exceptione (97), & Papa Benedictus, cui ſufficitur Clemens (98).

Mortuo autem Domino Joanne Vicecomite prædicto conſtitutus fuit Archiepiſcopus Mediolani Dominus Robertus Vicecomes (99) qui primitus erat Ordinarius & Archipresbyter Domus Sanctæ Mariæ Majoris Mediolani. Cui Domino Archiepiſcopo dimiſſus fuit annulus, & parvæ poſſeſ-

(97) Ludovicus Bavarus obiit die 11. Octobris 1346. De eo vide, quæ dicta ſunt ſupra, Notis 24. 25. 28. 41.

(98) Hic denuo tempora confundit Azarius, Benedictum XII. eodem tempore, quo Ludovicus Bavarus, mortuum dicens. Nota præcedente jam indicavi Ludovicum die 11. Octobris 1346. e Seculo migraſſe; Nota vero 60 Benedictum XII. die 25. Aprilis anni 1342. diem clauſiſſe extremum. Clemens vero VI. Pontifex maximus, in Caſtro Malimontis Lemovicenſis Diœceſis natus, poſt mortem Benedicti XII. die 7. Maji anni 1342. ad ſummum Sacerdotium eligitur Avenione, & die 19. ejuſdem menſis Pontificali redimitur Triregno; Sedit in Sancti Petri Cathedra annos 10. menſes 7., dies 5., obiit Avenione die 6 Decembris anno 1352. Ejus Cadaver ſequente anno, circa Paſcatis ſolennitatem ad Monaſterium *Caſæ Dei*. Claramontanæ Diœceſis, in quo Monachus fuerat, translatum, tumulatur in Sacello, ejus ſumptibus ibidem conſtructo. Vide Baluzium, alioſque apud ipſum in Clemente VI.

(99) Robertum Vicecomitem Antonii Filium in Metropolitana Eccleſia Archipræsbiterum, poſt Joannis Vicecomitis mortem, ad Archiepiſcopalem Mediolani Cathedram, ab Innocentio VI. Pontifice evectum tradit Ughellus in Archiepiſcopis Mediolani, Italiæ Sacræ. T. 4. col. 250. Hoc vero aliorum Scriptorum conſenſu evenit anno 1354. Vicecomitum vero Principum commendatione ad hanc dignitatem promotum, teſtatur Pontifex in Epiſtola ad Matthæum ejuſque Fratres, data Avenione V. Idus Novembris anno Pontificatus ſecundo, hoc eſt 1354., apud Ughellum loco citato, videnda. A Roberto Archiepiſcopo Carolum IV. Cæſarem Corona Ferrea redimitum die 4. Januarii 1355. videbimus Nota 103., ipſum vero cum annos ſex, & aliquot menſes in Archiepiſcopali Cathedra ſediſſet, ab hoc Seculo migraſſe anno 1361. die 8. Auguſti, tradunt Coævi Scriptores. Vide Ughellum loco citato: vide Saxium alias citatum, T. 2. pag. 813., vide Chronografos alibi citatos.

ſeſſiones. De aliis autem jurisdictionibus Archiepiſcopatus, & de beneficiis dandis parum ſe impedivit. Cujus tempore per præfatos Dominos ſibi & Clero Mediolanenſi multæ taliæ impoſitæ fuerunt & exactæ ultra alias per Sanctam Romanam Eccleſiam ordinatas. Qui Dominus Archiepiſcopus cum maximis laboribus vixit uſque ad finem, videlicet Anno MCCCLXI. quo Anno in pace Mediolani quievit; & Dominus Guillielmus de Puſterula (100) de Mediolano valens Clericus dicitur fuiſſe electus in Archiepiſcopum. Tamen nihil gaudet, ſed Avenione reſidet de præſenti.

In omnibus igitur bonis præfati Domini Joannis Archiepiſcopi ſucceſſerunt prædicti Matthæus, Barnabos, & Joannes Galeatius nepotes ſui ex quondam Stephano fratre. Et in dominio Civitatis Mediolani extiterunt confirmati, prout etiam de Civitatibus, Burgis, Caſtris, Oppidis, & aliis undequaque poſſeſſis. Verum quia diverſos habuerunt reſpectus, & volentes potiri dominio ſeparatim, ut moris eſt in partibus Lombardiæ, voluerunt dominia dividere & ſeparare, ut unuſquiſque ipſorum exercere poſſet in agendis pro libito voluntatis, quamquam ad unicum finem ad gravia curaſſent extendere vires ſuas. Feceruntque de Mediolano & ejus Comitatu partes tres coæquales, poſſeſſiones, domos, quælibet mobilia & immobilia dividendo, diviſeruntque dominia aliarum Civitatum & poſſeſſorum extra Mediolanum. De diviſionibus Mediolani non tracto propter faſti-

(100) Guillelmus Puſterula rerum experientia, ac ſanguinis nobilitate illuſtris, ex Modoetiæ Archipresbytero, Conſtantinopolitanus Patriarcha creatus, ac poſtea ad Mediolani Archiepiſcopatum promotus fuit ab Innocentio VI. Pontifice maximo, anno 1361., Sedit annos 9. menſes 4., deceſſitque menſe Decembris anni 1370. ut tradit Ughellus, qui forte perperam *Modoetiæ*, pro *Mediolani* Archipræsbyterum ipſum nominat: de ejus etiam Patriarchali dignitate ſatis non conſtat. Vide Saxium T. 2. pag. 819.

ſtidium operis. Solum dico, quod unuſquiſque voluit in eo habere introitum & exitum per portas. Deinde declarare cogitavi de diviſionibus Civitatum, de quibus conſtat dicere, & de beneficiis extra diſtrictum Mediolani. Per primo dico, quod de Civitatibus conſtat dicere per ea, quæ ſequuta fuerunt. Et quia præfatus Dominus Matthæus in tempore alios præcedebat, a diviſione ipſius inchoavi. Habuit namque extra Mediolanum Laudum, Placentiam, Parmam, Bononiam, Bobium, ceteraſve Terras dominio Mediolani ſubjectas ultra Padum; mediantibus & durantibus prædictis Civitatibus. Barnabos ſecundogenitus habuit Bergomum, Brixiam, Cremonam, & alias Terras a flumine Abdua. Dominus Galeatius tertiogenitus habuit Comum, Novariam, Vercellas, Aſtam, Albam, & univerſas Terras Pedemontium, Alexandriam, Terdonam, cum aliis locis intra confinia prædictarum Civitatum concluſis. Janua autem cum partibus ſuis remanſit indiviſa, quum bene & commode non poſſet dividi. Diviſionibus itaque factis, curavit unuſquiſque ipſorum prædicta gubernare, & ſua diſcretione regere, mittente unoquoque Capitaneos, Caſtellanos, & alios Officiales cujuſcumque maneriei pro libito voluntatis. Domuum vero intra Mediolanum ſitarum diviſio fuit hujuſmodi. Scilicet Domus conſtructa prope & extra Archiepiſcopatum, in qua habitabat præfatus Dominus Archiepiſcopus, obvenit Domino Matthæo, quam ipſe habitavit. Domus autem levata, ut diximus, per Dominum Luchinum apud Eccleſiam Sancti Joannis in Conca pervenit Domino Bernabovi. Reliquæ, in quibus conſueverant habitare Domini Galeatius, Luchinus, & Azzo cum reliquis aſcendentibus de Vicecomitibus, Domino Galeatio remanſerunt. Et quia præfatus Dominus Matthæus alios fratres ſuos ætate præcedebat, ideo ab ipſo initium ſumam, ſcripturus eorum geſta.

CAP.

CAP. XII.

Matthæus Vicecomes.

MIſit igitur Dominum Thomam Marchionem Malaſpinam de Jermolino pro Capitaneo in Civitatem Placentiæ, Dominum Gaudentium de Coconate pro Poteſtate Bononiæ, & reliquos in alias Civitates ſuos. Tunc temporis Dominus Joannes Vicecomes de Olegio in ſede ſua Bononiæ vigebat, dolens de morte præfati Domini Archiepiſcopi. Sed quia diu machinatus fuerat, quid caſu prædicto eveniente faceret, de levi ordinem ſuo tempore cogitatis exhibuit, ſperans pro defenſione ſui non habere judicem competentem. Sciebat etenim ſtimulos habere, & medico carere, propter eaque de ſtatu ſuo cogitavit. Quum autem Dominus Galeatius habuiſſet in diviſione Comum cum diſtrictu, erat Vallis una valde fertilis & amœna in extremitate dicti diſtrictus, tamen a Como ſeparata, & quam conſueverat tenere unus dictus Avogarius de Belegno, & Vallis Belegnum vocabatur, cujus Vallis dominium dictus Dominus Joannes de Olegio, tempore ſuo felici, virtute Domini Archiepiſcopi acquiſivit & poſſedit, & poſſidebat tempore præſenti. Quare Dominus Galeatius reſpiciens, quod in dicta diviſione ſibi obvenerant omnia, quæ in partibus Comenſibus vel circa poſſidebantur per quondam Dominum Archiepiſcopum, & quod ea Vallis Belegni per eumdem Dominum Archiepiſcopum acquiſita eſſet, & ejus virtute, quamvis precario jure ipſi Domino Joanni de Olegio tacite dimiſiſſet, ipſam Vallem cum utilitatibus cœpit poſſidere. De hiſce Dominus Joannes de Olegio conqueſtus eſt ad Dominum Bernabovem, imo Dominus Bernabos cœpit de factis ſuis non in tantum curare, ſicut antea curaverat. Quod forte accidit, quia

plura habebat agere. Præterea Dominus Matthæus miſit Bononiam duos ſuos Domicellos ejus nomine, in quorum manibus omnes ſtipendiarii equites & pedites, nec non Caſtellani in partibus illis exiſtentes ſacramentum fidelitatis præſtarent. Et duabus vicibus intra breve tempus iterato miſit Dominum Galaſſium de Piis pro ſocio in ipſius Officio & Capitaneatu Bononiæ. Qui libenter non annuit, ſed fingens placere, dixit, quod contentabatur, quia ipſe erat ſenex. Item miſit unum Judicem pro ſiyndicando Familiam ipſius Domini Joannis de Olegio. Qui Judex, quum homines non auderent conqueri de infinitis extorſionibus & barattariis factis per univerſos de familia ipſius Domini Joannis, præconizari fecit, quod volentes conqueri, deponerent petitiones in capſa ferrata & forata, poſita in una Eccleſia, in cujus domibus dictus Syndicator permanebat. Et tunc capſa, petitionibus prædictorum decies in diem implebatur, nec reſtabant. Fuerat autem præfatus Dominus Joannes de faciendo, quod fecit, diu inſtigatus propter ſuperius deſcripta. Et propterea permittebat etiam ſuam familiam prædari, dummodo faceret pulchro modo. Aſſentiebatque ſtipendiariis equeſtribus, pedeſtribus, Caſtellanis, cuſtodibus portarum, & quibuslibet Officialibus foraſteriis, ut libitum & placitum exercerent in rapiendo & fraudando Commune Mediolani, quia rationes ab inde procedebant. Et quando præmiſſi ſtipendiarii ob aliquem defectum repertum, ſive debite ſive indebite conquerebantur, perſuadebat eis, gratiam faciendo. Si alia via non erat, ut ipſorum benivolentiam obtineret, ſtudebat caſſare, quos non ſperabat ſibi adhæſuros, & aliis malefactoribus complacere. Et dum prædictus Syndicator præmiſſa vidit & audivit, reverſus eſt Mediolanum, & ea Domino Matthæo notificavit. Et demum Bononiam rediit pro ſyndicando perſonam ipſius Domini Joannis: & certe fuit maxima ſimplicitas. Nam Commune Venetiarum ſatis habuiſſet ad ſa-

tis-

tisfaciendum pro dictis male ablatis per ipſum Dominum Joannem & domeſticos ſuos. Et tunc Dominus Joannes celerius ad propoſitum feſtinavit, ſubridens & dicens; *quod ſi illi de Mediolano ſciebant, ſciebat ipſe quoque*. Dominus autem Galaſſius ſtans in Bononia, timebat eum, nec volebat in aliquo eidem diſplicere, ſed cum ſuis forinſecis de Mutina ut plurimum converſabatur. Et quod deterius fuit, præfatus Dominus Matthæus, ſentiens tempus hyemale, curavit expenſas diminuere, & præſertim in partibus Bononiæ.

Et tunc veni ego Mediolanum pro prædictis una cum Domino Leone de Muriculis, qui intratas geſſerat multo tempore. Et quum fuimus Mediolani, datus fuit ordo, quod XXX. Banderiæ equeſtres ſtarent Bononiæ & in Comitatu; & erant tunc LVII. vel circa. Et XL. cohortes peditum pariter ibidem ſtarent, nam erant CI. Et per me fuerunt deſcriptæ. Et ubi erant duo Collateralles ad bancum ſtipendiorum cum Florenis XLV. in menſem pro quolibet ipſorum, ſolus ſtaret pro XXVII. Et ubi erant duo Notarii cum ipſis Collateralibus ad ſtipendia cum ſalario Florenorum X. pro quolibet in menſem, ſtaret unicus ſalario Florenorum VII. Et ſic diminuendo Officiales, detraxit. Et propterea videns conditiones, & male deliberaſſe, ego cogitavi Ubizolum Vicemallam Notarium ſocium meum in ipſo Officio ſtipendiorum, & officium cupientem, relinquere. Et malum fuit pro ipſo. Præterea præfatus Dominus Matthæus voluit caſſare Jacobolum Paganum de Mediolano ab Officio Theſaurariæ Bononiæ; cujus Officium parvum non erat. Nam certe vidi XXXII. millia Florenorum ſingulis menſibus diſpendi in Bononia, & diſpenſando pro Bononia multis menſibus non ſufficere pro expenſis ordinariis. Quantæ autem eſſent extraordinariæ, non eſt dicendum, præſertim pro ſubrogandis equis, pro quibus duo millia Florenorum non ſatisfacerent quolibet menſe, computatis menſibus guerræ. Intratæ Bononiæ ultra centum

mille Florenos Bononienſis monetæ in anno non exceſſerunt, quamvis ad præſens propter incurſa multum declinaſſent. Quibus ſic ſimpliciter peractis (& credo, quod novi Conſiliarii voluerunt ipſum Dominum Matthæum uno anno ſic infinite ditari) venit Franciſcolus Manzoccus Theſaurarius novus in Bononia conſtitutus cum XV. millibus Florenis, permanente ibidem alio Jacomolo, ut ſupra, & ipſo Jacomolo exiſtente Mediolani Theſaurario cum Theſauraria antiqua & male ablatis. Oh quam fatua fuerunt præcedentia! Quis enim non cogitaſſet de ſtatu ſuo? quis non evitaſſet pericula? quis non ſcandala, & præcipue ſui, ſuæque familiæ ſyndicatum? Et maxime quum præfatus Dominus Matthæus ſciret, ipſum Dominum Joannem de Olegio pro certo eſſe ſuum inimicum publice & privatim. Quid vero Dominus Matthæus habuiſſet facere, ſilendum eſt, quia uterque ipſorum erat de Vicecomitibus. Sed diſcretio tanti politici Conſilii ſui in Mediolano debuit animadvertere, quod etiam pecudes perpenderent. Nam menſe præcedenti, & ante, quum veniſſent ſecunda vice Domicelli ſupranominati pro dando ſacramento ſtipendiariis Bononiæ, & aliis foraſteriis, de fidelitate ſervanda Domino Matthæo, publice dicebatur, quod Dominus Joannes de Olegio dominium Bononiæ occupaverat. Et ſic publice dicebatur de voce & fama etiam uſque in Mediolano. Sed quia pigritia alias virtutes excœcat, ſic præfatus Dominus Matthæus obcœcatus cum Conſilio ſuo dormitans, prædicta ſuſtinuit pertranſire, ſperans, quia lectionem Conſiliariorum quondam Domini Joannis Archiepiſcopi habuerat. Sed male concluſit. Igitur Dominus Joannes de Olegio, quum ſe videret laqueis interncluſum, venenum produxit; & tamquam deſperatus & volens pauperiem evitare, laqueos, quos diu tetenderat, cogitavit & voluit explanare. Nam præcedente eo inſultu facto contra dominium Civitatis Bononiæ, & contra Dominum Mediolani, nocte præcedente,

te, Familiam ſuam alloquendo allicuit, & animavit, dicens: *Vultis mori, & comparere Syndicatui in Mediolano? Melius quidem heic mori, quam in carceribus Mediolani crudeliter macerari. Nonne mei eſtis? Ego vos tamquam filios dilectos elegi, nutrivi, & exaltavi. Et ſi in adverſa conditione vos defendi, quantum ſperare poteritis in proſpera & felici? Nam ſi Locumtenens eram, volo amodo in antea dominari.* Huic colloquio omnes concorditer annuerunt. Etenim prædicti erant ſimplices, & nulla in eis vel parva vigebat diſcretio; ſed erant plerumque ejus affines, & fortuna favente fuerunt comites inauditi & milites, qui numquam viderant Alamanniam. Nec fuit de familia ſua pugillaris, qui non crederet Imperatorem corrigere. Eo veſpere & ſero, quamvis non oporteret, animavit Cives ſibi adhærentes, animavitque omnes ſtipendiarios non caſſos. Nam quos habebat ingratos, pridem juſſu Domini Matthæi caſſaverat. Et die præcedenti Dominum Galaſſium antedictum cum centum barbutis Teutonicis, de quibus dubitabat, emiſerat, dicens ei, ſe ita facere, ut iret ſecurus in luſtrandis & viſitandis fortalitiis uſque Romandiolam, & ne Comes Landus tunc exiſtens in Tuſcia ipſas invaderet.

Et prædictis proficiſcentibus ad prædicta ſub bona fide exſequendum, & nemine contrariante, dominium ipſius Civitatis occupavit, faciens publice evulgare de dominio ipſius, & parvo inchoato rumore. Erat enim ludus parvulorum. Quiſnam ei debebat reſiſtere? Omnes erant unanimes. Et tunc non ſolum familia ſua, ſed & ſtercora ſupra equos coopertos in domo ſua aſcenderent, clamantes: *Vivat, vivat Dominus Joannes de Olegio* (non dico Vicecomes) *Protector Populi Bononienſis*. Nec fuit unus, qui reſiſteret, quia non erat contradicens; quoniam in Caſtellanum Bononiæ creaverat quemdam Guidettum Meroſum, qui fuerat ſuo tempore mercator bladi, & qui nuſquam viderat enſem evaginatum. Habebat iſte Caſtellanus tres filios,

filios, nempe duos grandiores, & unum parvum, omnes mercaturam bladorum in Bononia exercentes; quæ blada mittere ſperabant Cumas, ut credo, ſicut froxando millies tranſmiſerant. Qui Caſtellanus mediocrem filium miſerat ad ipſum Dominum Joannem, ut conſueverat, pro ſtipendia repiciendo. At Dominus Joannes eum detineri juſſit, & ligatis manibus, cum multitudine ſua perditorum hominum duxit ad Caſtrum ipſum. Et erectis furcis in conſpectu patris, pater, mater, & fratres cœperunt clamare tamquam dementes: *Ah fili! non es dignus ſuſpendio. Deſerimus Mediolanum, & eligimus vitam tuam*. Et forſitan quod tunc virtutes prævaluerunt faciendo, ac ſi mortuus vel ſuſpenſus fuiſſet Imperator. Et eſt notandum, quod Mediolanenſes Mercatores, quum nutriant longas barbas, ut videantur ſtrenui, accipiebant & accipiunt Caſtra ad cuſtodiendum, ſicuti tabernas; ut oculi oculis non videantur facere teſſeras, & vendere peſtivinum (101), & alias nummatas (102), valentes uno denario pro quatuor, decipiendo primo Dominum Mediolani, & Civitates, & deinde ſequentia; cogitantes cum fugitivis artificibus lucrari, dummodo Officiales decipiant ſervitiis, faciendo ſibi monſtras. Et tunc quum volunt habere pagas, dicunt, quod ſtercus hominis eſt Turris, & in neceſſitatibus Turris major videtur ipſis ſtercus; quia numquam ſe opponunt ad bellandum cum magnis barbis, ſed cum teſſeris ad fugiendum. Et de ipſis teſſeris potius curant, quam de Caſtris. Et ſic fecit ille fatuus Guidettus Meroſus cum filio ſuo majori, qui ſine bello tradiderunt inexpugnabile Bononiæ Caſtrum. Et ſic

(101) Vide infra Notam 111.

(102) Numata neutrius generis in plurali, pro victualibus ad uſum Militum intelligi debere, oſtendunt textus a Du Cangio adducti ad hoc verbum. Hic rem comeſtibilem pariter eſſe ſenſus indicat.

ſic fecerunt omnes Caſtellani Caſtrorum Bononiæ Mediolanenſes cum magnis barbis, & ſuis telleris, Caſtra promittentes pro pagis præteritis; excepto ſolo Caſtellano Bazani, qui Parmenſis erat, nuncupatus Joannes de Miano, qui minimum ex Caſtris diſtrictus Bononiæ cuſtodiebat (de quo alii Mediolanenſes non curabant) & guerram faciendo, idem Caſtrum non permiſit præfato Domino Joanni de Olegio, quamquam multum premeretur, donec Magnificus Dominus Barnabos ipſum reſtitui fecit Domino Joanni prædicto propter ſequentia. Igitur præfatus Dominus Joannes prædatus fuit ambos Theſaurarios Mediolani ſupraſcriptos, quibus abſtulit maximam quantitatem Florenorum. Prædatus fuit Leonem Muricolam prædictum, Gaſparolum Verobium, olim ac diu in Bononia Factorem Generalem pro Domino quondam Archiepiſcopo Joanne, Ubezolum Vincemalam ſocium meum in meo Officio, qui CC. Florenos habebat ad tabulam, quos cum ſumma avaritia congregaverat. Et tunc dictus Ubezolus dictum Sapientis approbavit, ſic teſtantis: *Recte vivit avarus, in ſe non perdens divitias, ſed aliis reſervando*. Prædatus eſt omnes de Mediolano, & quælibet ad Dominum Matthæum pertinentia. Prædatus eſt omnes de Pepulis, & præcipue quæ habebat præfatus Dominus Joannes de Pepulis. Et inſuper omnes prædictos perſonaliter detinuit una cum quampluribus aliis Officialibus, de quorum nominibus propter magnitudinem operis tacetur. Gaudentium de Coconato Poteſtatem Bononiæ, qui ibi ſteterat per menſem, pacifice abire permiſit una cum aliis, videlicet Domino Michaele de Sancto M. Vicario Generali pro Dominis Archiepiſcopo & Matthæo in Bononia.

Hiſce & aliis peractis, cœpit de ſuis Officialibus procurare, & Civitatis Bononiæ Conſervatorem ſe intitulari faciebat. Sed certe male conſervavit, imo potius conſumſit in havere & in perſonis. Habebat namque plures Ne-

Nepotes tam fraternos quam ſororios, tam legitimos quam ſpurios, qui omnes ſimul ante prædicta non potuiſſent emere ſingulas veſtes; & poſtea ſe intitulaverunt, ſicut Dux Venetiarum, & ſicuti ſi fuiſſent de ſtirpe Guibalenga. Primus illorum vocabitur Joanninus de Leſia nepos ſororius, quem fecit Poteſtatem Bononiæ poſt Dominum Gaſſinum de Donatis, alias pauperrimum, & a Domino Joanne primitus factus Conneſtabilis equeſtris, mox poteſtas: cujus tempore, ut infra dicetur, multa gravia commiſſa fuerunt. Pater hujus Joannini de Leſia mille diebus cavaverat cum zappa, & in ſudore vultus ſui veſcebatur pane ſuo. Filius ſe intitulavit, & fuit nuncupatus Dominus Joannes Capitaneus de Grona. De Capitaneatu male oſtendiſſet privilegia. Sed credo, quod propter vetuſtatem potuiſſet allegare, quod mures ipſa comediſſent. In Poteſtaria ſe geſſit Neroniana humanitate, & inter Conſiliarios Domini Joannis de Olegio ante exitum fuit major. Nam bene projecit ſcovam; quia tanta prædatus eſt, quod leviter ſe impinguavit. Sed tam pro iſto quam pro aliis dico, quod omnis laus in fine cernitur, & omnis canis in cauda finitur. Alter nepos ſororius dicebatur Joanninus de Arona, natus ex Ricardino Vicario tunc vivente, & iterum Vicariam faciente, qui ſe quoque intitulavit, & appellabatur Dominus Joanninus de Arona Domini Ricardini, factuſque fuit Capitaneus in Bononia, & ſuper ſtipendiis poſitus. Alium nepotem paternum & legitimum nomine Francum Vicecomitem, continue (antequam eſſet veſtitus) ebrium, ſibi quammaxime confidentem deputavit in cuſtodiam perſonæ ſuæ ſtipatum LX. clientibus electis, & in domo comedentibus. Habebat alium nepotem, ſed ſpurium, fratrem ipſius Franci, nomine Oliverium, ſemper ebrium, & publicum ruffianum, qui multa gravia in Bononia perpetraverat. Nam, dicitur, quod plures ruſtici Bononienſes reperti fuerunt mortui & putridi

in

in quintana unius domus occupatæ apud domum Domini Joannis, quum a Bononia receſſerunt. Rolando fratri ſpurio & baſtardo dicti Oliverii, miſerabili, & unum groſſum non habenti, dedit Banderiam unam equeſtrem. Mox brevi hunc Rolandum, & prædictos duos Joanninos de Leſia & de Arona baltheo militari decoravit; & Milites exſtiterunt nominati, non tamen quod in bello propter virtutes ſuas dictum honorem acquiſiviſſent, ſed pro nobilitate præmiſſa. Et Rolandus poſt prædicta miſſus fuit pro Capitaneo gentis equeſtris per Dominum Joannem de Olegio, expeditæ ad depopulationem Vicecomitum Mediolani, prout fuſius infra dicetur. Honoravitque multos de Novaria, quos caros habebat, diverſiſque & pulchris officiis decoravit; & præcipue Luchinum Savium filium quondam Domini Lanfranchini, quem pro ſuo Cancellario habebat, & cui proditionem aperuerat. Joannem Savium ejus fratrem, quem primo fecerat Capitaneum dictæ gentis miſſæ, ut ſupra, Novariam, quia ipſe ſciebat itinera, cum Banderia una equeſtri, & cum proviſione, quando in Lombardiam & Mediolanum venit. Utinam prædictus Joannes Savius natus non fuiſſet propter deſtructionem Civitatis Novariæ & diſtrictus. A quo Joanne principium habuit tanta deſtructio. Honoravitque Laurentium Savium filium eorum fratrem, præponendo eum banco ſtipendiariorum loco mei Notarii, & cum ſalario conſueto; & Dominum Joannem de Arona aſſumendo in Collateralem ad idem bancum. Et Gaudentio Savio dedit Banderiam aliam equeſtrem, qui quatuor fratres de Saviis divitias cumularunt, & facti ſunt valde opulenti. In hunc modum diſtributis etiam erga alios officiis in Bononia & diſtrictu, cœpit Dominus Joannes de Olegio dominio ipſo cum magnanimitate potiri, vitam maximam ſicut Imperator ducendo, amicitias undique acquirendo, & ſe cum Ferrarienſibus, Mutinenſibus, Regienſibus, & Eccleſia confœde-

fœderavit. Durantibus vero prædictis, Dominus Matthæus morans domi quondam Domini Archiepiſcopi in Mediolano, diviſus ut ſupra, & malam vitam ducens, plures formoſas juvenes in lecto tenens etiam de Nobilibus Mediolani, perſonam ſuam vaſtavit. Solo vitio luxuriæ fœdabatur. In virtutibus ceteros fratres ſuos antecellebat, & præſertim in facundia, qua non erat ei ſimilis nec par inter Magnates Lombardiæ. Et ſic cum mulieribus vacando (quod puteum evacuaſſet aqua ipſis apud C.um diſtillata) ſubito, quia pinguis & formoſus, vitam explevit (103) Anno MCCCLVII.

Ejus

(103) Duplex de Matthæi ſecundi mortis cauſſa, apud Scriptores invaluit opinio. Corius, quem alii etiam ſequuntur narrat, Matthæo cum Fratribus Bernabove, & Galeatio, Creſcentiacum verſus, (locus eſt tertio a Mediolano lapide, extra Orientalem Urbis Portam) die quadam equitantibus, incidiſſe ſermonem de præſtantia Principatus, Matthæo aſſentiente, & addente, optimam rerum Principatum eſſe quando ſociis caret. Qua ſententia, Fratribus ſuſpicio inducta eſt, Matthæo hunc perfectionis calculum proprio Principatui addere, eorum internecione, in animo eſſe; Quod eo facilius credendum, quod cum Fratrum primus eſſet natu, juxta Progenitorum Exemplum, ſolus Principatum obtinere debuiſſet, niſi Joannis Patrui diſpoſitio, Fratribus Communem effeciſſet. Qua re permoti Bernabos, & Galeatius, die ſequenti, Suillis lumbis, quos maxime appetebat, veneno illitis, ejus procuraviſſe mortem. Cui rei fidem facere idem Corius ad annum 1356. dicit, Teſtamentum Valentinæ Matthæi Matris, in Sancti Euſtorgii Tabulario aſſervatum, in quo ipſa diris omnibus devovet Bernabovem, & Galeatium, proprii filii interemptores.

Alii autem Scriptores non inficiantur Matthæum a Fratribus veneno extinctum, ſed aliam aſſignant Cauſſam; Audi Matthæum Villani Hiſtor. lib. 5. cap. 81. R. I. T. XIV. col. 1350. D. „ Meſſer Maffiolo De Viſ„ conti di Milano, eſſendo il maggiore de tre Fratelli Signori di Milano, „ perche era diſſoluto nella ſua vita, e ſenza alcuna virtu, era riputato il „ minore nel regimento della Signoria, tuttavia Meſſer Bernabo, e Meſſer „ Galeazzo gli rendevano aſſai honore. Avenne che per ſcelerato ſtem-

pera-

„ peramento della ſua luſſuria, accolſe nella Camera ſua 20. tra Donne
„ maritate, et Fanciulle, et altre Femine, colle quali, avendole fatte
„ ſpogliare ignude, ſi ſolazzava a ſuo diletto con loro beſtialmente. E ri-
„ cordandoſi in quello sformato, e sfrenato ardore di libidine, d' una bel-
„ la giovane Moglie d' un buono Cittadino di Milano, mandò per lui, e
„ minacciolo di far morire, ſe incontanente non gliela menaſſe, o man-
„ daſſe. Vedendoſi queſto buon homo a così villano partito, come diſpe-
„ rato piangendo ſe n' andò a Meſſer Bernabò, e contogli il grave partito
„ a che Meſſer Maffiolo l' aveva meſſo, dicendo, che inanzi volea morire,
„ ch' aſſentire a cotanta ſua vergogna, pregandolo che l' doveſſe aitare.
„ Meſſer Bernabò diſſe: *Io non ho a caſtigare il mio maggiore Fratello*; Per
„ non moſtrare a Colui la ſua intenzione, e di preſente cavalcò all' Oſtiere
„ di Meſſer Maffiolo, e trovò la ſcelerata danza del ſuo Fratello, e ſenza
„ dire coſa alcuna, diede la volta, e accozoſſi con Meſſer Galeazzo, e
„ diſſe: *Noi coriamo gran pericolo di noſtro Stato. Le ſconcie, e diſſolute coſe
„ di Meſſer Maffiolo, ci faranno cacciare dalla Signoria, ſe per noi non ſi ripa-
„ ra a cotanto pericolo, a che ci conduce*; E manifeſtolli ciò che faceva delle
„ donne de buoni homini di Milano, e il richiamo che ne aveva avuto; e
„ di preſente s' accordorono alla morte ſua, ch' altro caſtigamento non
„ haveva luogo; E però eſſendo andato Meſſer Maffiolo a Montia a fare una
„ Caccia la ſera di Santo Agnolo di Settembre, gli feciono dare con quaglie
„ veleno. E la mattina vegnente eſſendo nella Caccia ſi cominciò a ſenti-
„ re male nel ventre, e di preſente ſe ne ritornò a Milano, e viſitato la
„ ſera da Fratelli, la mattina ſi trovò morto in ſul Letto. Alcuni diſſono
„ che in quella viſitatione e fu ſoffocato da loro, e altri tenono ch' e mo-
„ riſſe delle quaglie. E l' una cagione, e l' altra potè eſſere per non farlo
„ ſtoriare. Il vero fu che morì come un Cane ſenza Confeſſione, di violen-
„ ta morte, e forſe degnamente per la ſua diſſoluta vita.

Quod Fratres Matthæum propriis ſuffocaverint manibus, nullus credo mortalium, in animum ſibi inducet; nec tanti flagitii dubia fuiſſet notitia, cum Matthæi domeſticos diſcedentibus Fratribus, ad Herum infirmum acceſſiſſe, eidem famulandi, ac ſuppetias ferendi cauſſa, neutiquam dubitandum ſit; qui certe ſi extinctum reperiſſent, ejus mortis notitiam uſque in craſtinum non diſtuliſſent. Veneno igitur ſuas exerente vires, profunda nocte oppreſſum, ac mane a domeſticis mortuum inventum fuiſſe veroſimile eſt. Utra vero ſupradictarum rerum ad tantum perpetrandum facinus Fratres induxerit, fruſtra quæſieris; utramque forte ad id concurriſſe, vix dubitandum.

Obiit Matthæus Mediolani die 28. Septembris anno 1355., ut Anony-

Ejus igitur bona Magnifici Domini fratres ſui inter ſe ſe diviſerunt. Civitas Mediolani & ejuſdem Comitatus una cum Caſtris unicuique pro medietate obvenit. Caſtra Modoetiæ, Viglevani, & Abbiati, habuit Dominus Joannes Galeatius (104). Caſtra Melegnani, Pandini, & Vaprii, habuit Dominus Barnabos, qui ad Portas Romanam & Novam ſingulas Roccas erigi fecit. Civitates Laudam, Parmam, & Bononiam habuit Barnabos. Placentiam autem & Bobium Galeatius. Interea autem Dominus Carolus Bohemiæ Rex poſt Dominum Ludovicum electus fuit ad Coronam Imperialem (105), multum etiam ad id favente Franciſchi-

mo Scriptori Annal. Mediol. R. I. T. XVI. col. 724. C. Gualv. Flammæ Manip. Florum R. I. T. XI. col. 737. D., ac Matthæo Villani ſupra citato lib. 5. cap. 81. placet. Corius anno 1356. extinctum, non Mediolani, ſed in Oppido Seroni, ac poſtea a Mediolani Clero ad Urbem translatum, & in Divi Gottardi Templo tumulatum, dicit. Quæ cum citatorum ſupra Scriptorum teſtimoniis nullimode conveniunt, an fidem mereantur, Lectori judicandum relinquo; præcipue cum Corius neque menſem, neque diem mortis indicet, quod ob Scriptorum, ac notitiarum ſuo tempore defectum, ſæpius ab eo factum fuiſſe, certum eſt, ideoque excuſandus. Filios maſculos ex Ziliola Philippini Gonzaghæ Mantuæ Marchionis Filia, nullos ſuſcepit Matthæus, Fœminas duas, Catherinam ſcilicet, Ugolino Gonzaghæ nuptam, & Urſinam nuptam Balthaſſari Puſterulæ Mediolanenſi. Interim Azarii, ſeu potius ejus amanuenſis errorem corrige, qui annum 1357. pro 1355. ſcripſit. Addere liceat, quod turpiſſimam Verborum obſcœnitatem, qua cauſſam mortis Matthæi explicat Azarius, libenter expunxiſſem, niſi textus Religio vetaſſet.

(104) Amanuenſis credo errore, Galeatius hoc loco, & ſequentibus vocatur Joannes Galeatius, nomen quod filio ſuo anno 1353. nato, Patruorum ſuorum memoriam renovaturus impoſuit Galeatius, ſed ipſi nullatenus convenire, credo.

(105) Carolus IV. ex Joanne Bohemiæ Rege, & Lucemburgi Comite natus, atque Henrici VII. ex filio Nepos, die 14. Maji anni 1316. in lucem prolatus fuit. Vinceslai nomen ad Sacrum Fontem ei impoſitum. In Galliam

liam puer a Patre miſſus anno 1323., apud Regem Carolum IV. cognomine pulchrum, & Mariam de Lucemburgo Sororem ſuam, ac Regis uxorem magno exceptus eſt amore, maxime cum prole carerent, eumque ſummo ſtudio educari curaverunt. Cum ad Confirmationis Sacramentum accederet, mutato nomine, Carolum deinceps nuncupari juſſerunt. Mortuo deinde anno 1328. Carolo Gallorum Rege, Lucemburgum ſe contulit. Poſtea Patrem Italico Itinere comitatus anno 1330., atque diſcedente Patre, Vicarius ab eo conſtitutus fuit menſe Junio 1331. ut Nota 39. dictum eſt. Rebus poſtea fæliciter non procedentibus, ab Italia excedere coactus fuit, una cum Patre anno 1333., in Bohemiam profecturi, ibique a Patre Prorex declaratus. Anno 1346., vivente Patre, Pontificis Clementis VI. officiis, ac multo auro conciliatis aliquorum ex Electoribus, ac Germaniæ Principum Suffragiis, Romanorum Rex eligitur. Mortuo ſequenti anno Patre, Bohemiæ Regnum obtinuit. Erepto interim a Viventium numero Ludovico Bavaro die 11. Octobris 1346., a vigintiquatuor Imperii Civitatibus pro Cæſare habitus, & acceptus fuit, inter quas Ratisbona, & Nurenberga; Sed eo in Bohemiam reverſo Henricus Moguntinus Archiepiſcopus, Robertus Comes Palatinus, Ludovicus Brandeburgenſis, & Henricus Dux Saxoniæ, qui Caroli electioni non interfuerant, nec conſenſum præbuerant, novis Comitiis Edovardum Angliæ Regem in Imperatorem elegerunt. Quo hanc dignitatem recuſante ad Fridericum Thuringiæ Landgravium detulerunt. Hic Podagra laborans, & Caroli decem mille marcharum Argenti oblatione delinitus, Imperium accipere recuſavit. Tot tamen repudiis nihil perterriti Electores ad Guntheri Schuarzenburghi Comitis proceſſerunt electionem anno 1340. Hic Imperium accepit, ac parato Exercitu, Francofordiam verſus proceſſit, quam Urbem poſt bimeſtrem obſidionem ingreſſus, ibidem paulo poſt infirmitate correptus obiit, non abſque ſuſpicione propinati, Carolo curante, Veneni. Poſt ejus mortem Caroli electio a diffidentibus etiam Electoribus denique confirmata fuit; ſeu quod novum non invenirent Candidatum, ſeu quod Carolus pecunia in aliam eos traxerit ſententiam. Sedatis itaque inteſtinis Germaniæ motibus, Carolus in Italiam proceſſit anno 1354., ad quam pervenit menſe Septembris. Die 4. Januarii 1355. Mediolanum ingreſſus, die Epiphaniæ ſacro Ferream accepit Coronam, manu Roberti Vicecomitis Archiepiſcopi. Poſtea menſe Februario diſcedens, in Hetruriam perrexit, ac inde Romam profectus, a Cardinale Oſtienſi, Pontificis Vicario, Corona aurea redimitur die Paſchatis 5. Aprilis anno 1355. Poſt hæc in Hetruriam reverſus eſt menſe Aprilis ejuſdem anni; ibi aliquandiu commoratus nihil Cæſare dignum egit, expreſſaque a Florentinis, aliiſque ejus regionis Civitatibus magna pecunia, in Bohemiam eodem anno reverſus eſt.

Con-

ciſchino Gambacurta (106) cum parentela & ſequacibus ſuis, qui dominium Civitatis Piſanæ & Lucanæ feliciter gubernabat, & maximum cumulum Florenorum ipſi Communi Piſanorum coacervaverat. Ex quo cumulo devenit deſtructio ſua & ſuæ parentelæ. Recepit namque ipſum Dominum Carolum cum comitiva ſua magnifice in Civitate Piſana. Ibidem ipſe Dominus Carolus pluribus diebus moratus eſt, & ad eamdem Civitatem rediit poſt Coronam Romanam ſuſceptam. Et cum ipſo erat Dominus Joannes Marchio Montisferrati. Carolus dici poterat pauper. Multa diſpendia tulerat, & multam pecuniam promiſerat Proceribus Teutonicis eum ſequentibus, & multum gratioſe viſus fuit per Florentinos, Senenſes, & alios Tuſculos. Eo-

---

Conſiderans poſtea, proprio edoctus exemplo, quot diſſenſionibus, atque inteſtinis diſcordiis, belliſque occaſionem præberet incerta, ac vaga Methodus, qua Cæſares eligebantur, ut hiſce inpoſterum Conſultum foret, convocatis Nurinbergæ anno 1356. totius Imperii Comitiis, Leges pro electione Imperatoris in futurum obſervandas ſanciri, omnium conſenſu curavit; quibus poſtea digeſtis, ac litteris conſignatis, Aureæ Bullæ nomen, ex appenſo aureo Sigillo, datum fuit. Vinceslaum poſtea Filium ſuum annorum 15., Conciliatis auro, & nonnullarum Civitatum Ceſſione, Electorum ſuffragiis, in Romanorum Regem eligi obtinuit anno 1376. Ex Germania deinde, quam prædicta de Cauſſa ingreſſus erat, in Bohemiam reverſus, Pragæ die 29. Novembris anni 1378. diem clauſit extremum, poſt Imperii annos circiter 32., a morte Ludovici Bavari, ſeu IV. ejus Predeceſſoris, numeratos. Hunc Principem magnis efferunt laudibus Germani Scriptores, eumque, præter Germanicum idioma, Bohemum, Gallicum, Italicum, & Latinum, calluiſſe tradunt. Qui plura de hoc Ceſare ſcire deſiderat, conſulat Burchardi Struvii Corpus Germanicæ Hiſtoriæ; Hiſtoriam Imperii. D. Heiſs Gallice ſcriptam, & Notas ad eamdem D. Bourgois du Chaſtenet, alioſque Rerum Germanicarum Scriptores.

(106) Hic forte adventus Caroli IV. Imperatoris in Italiam, ejuſque in Hetruriam profectio deeſt. Quod enim Gambacurta Carolo, poſt ejus adventum in Italiam faverit, intelligo, ſed quid pro ejus electione in Imperatorem ab eo factum, non video. Lege Notam 105. præcedentem.

Eorum Privilegia Imperialia confirmavit, ac ab eis multa exenia & multam pecuniam recepit. Carolus ipſe filius fuit Illuſtris Regis Bohemiæ mortui in quodam conflictu pro Rege Francorum, cum quo habebat parentelam, & in quo bello ſuccubuerunt Francigenæ, & ipſe, & infiniti mortui, Rege Anglico victoriam obtinente. Fuit etiam ablaticus Illuſtris Henrici Romanorum Imperatoris. Cogitavitque quomodo theſauros Gambacurtæ habere poſſet, poſtpoſitis ſervitiis, quæ ab eiſdem ſuſceperat; ſed numquam potuit obtinere, niſi per aliam viam. Quoniam Carolus reſtituerat illos de la Rocca jam dudum expulſos a Civitate Piſana, illiſque, eorumque adhærentibus multum favere, & Gambacurtas cum ſuis prætermittere videbatur. Hæc Franciſchinus ægro ferens animo, cogitavit ipſum Imperatorem ab eadem Civitate expellere; nam ipſe Franciſchinus cum aliis de Domo ſua & Populo, & cum ſequacibus ſuis potentior erat quolibet Piſano. Et eo tempore illa Civitas ſub maxima felicitate vigebat. Sed deinde propter male geſta ſemper declinavit. Una igitur die, communicato conſilio traxerunt Gambacurtæ ad rumorem, in quo clamabatur: *Vivant Gambacurtæ*. Se poſuerunt ſuper pontes fluminis Arni, Civitatem interſecantis, volentes plateam Arni inſilire, cum gentibus pedeſtribus & equeſtribus glomerati. Verum ad reſiſtentiam proſiluit Marchio Montisferrati cum gentibus ſuis & aliis, ac adeo reſtitit, ut Imperator armatus cum univerſa gente ſua ab oppoſita parte, etiam cum reſtitutis, illam plateam poſſederit, interemtis multis ex Gambacurtis & complicibus eorum. Quare Gambacurtæ a pontibus prædictis habuerunt diſcedere fugiendo, maximam paſſi occiſionem, captis eodem Franciſchino, & pluribus aliis de Domo ſua, quos in brevi ſuper platea Imperator fecit totaliter decapitari; & fugatis ipſorum decapitatorum ſequacibus, theſaurum habuit, diviſitque inter Alamannos ſecum ſociatos: & ad partes Medio-

diolani pro Corona Ferrea ſervata in Modoetia direxit iter ſuum (107), dimiſſo in Piſis Vicario ſuo cum parte appellata de Raſpantis, cum qua parte uſque in præſentem diem Civitatem Piſarum tenuit. Coronam Ferream nactus eſt de plano (108), ſed cum maximis expenſis per prædictos Dominos Bernabòvem & Galeatium deductis, quos conſtituit Vicarios Imperiales Mediolani, quo titulo uſque in præſentem diem nominantur; prædictumque Dominum Marchionem Montisferrati titulo Vicarii Generalis inſignivit. Receſſit a Lombardia, multiplicatis erroribus in Tuſcia & Lombardia; & poſt profectionem ipſius in Alamanniam, maximi in Lombardia errores evenerunt, propter quos hæc nobiliſſima Provincia cœpit crudeliter lacerari & penitus deleri. Nam Dominus Joannes Marchio Montisferrati formoſus, probus, & aſtutus, diebus illis per ejus literas diffidavit Dominum Joannem Galeatium. Et miſſa in ſcriptis diffidatione, ſubito ipſius Domini Galeatii Terras invaſit, & prædabundus populatus eſt; & ex tractatu, quem habebat in Civitate Aſtenſi, eam Civitatem abſtulit, & adhuc eam tenet. Sed quomodo abſtulerit, audietis.

Facta igitur prædicta diffidatione, Dominus Galeatius dubitavit de ea Civitate, & proinde inviavit in ipſam Dominum Manfredum de Saluciis Marchionem non poſſidentem, quem pro ſuo Conſiliario tunc tenebat, cum multa equeſtrium comitiva. Tamen ſuſpicionis murmuratio non ceſſabat. Et tunc Aſtam iterum miſit aliam comitivam cum Domino Ugetto de Iſnardis formoſo & expertiſſimo, & Cive Aſtenſi. Qui omnes cum Poteſtate & Capitaneo ſtuduerunt eam

(107) Hic iterum rerum geſtarum ordinem pervertit Azarius. Carolum Mediolani Corona Ferrea decoratum die Epiphaniæ ſacro anni 1355., antequam in Hetruriam præcederet, vidimus, Nota 105.

(108) Vide quæ dixi Nota 105.

eam Civitatem cuſtodire. Sed non profuit. Fuerat autem tunc factum in ea Caſtrum fortiſſimum, & in parte eminentiori, & in Civitate aliud reclauſum circa Caſtrum. Quæ Fortalitia Civitatis & clauſura dicebatur, muris quamvis depreſſis fabricata & merlata. In qua Poteſtas, Capitaneus, ſtipendiarii pedites & equites debebant habitare, quamvis alii non potentes de ipſa Civitate ſimul & ſemel cum ipſis habitarent. Portæ Civitatis erant in fortalitiam redactæ, & præcipue porta Sancti Petri, ceteris diſtantior a Fortalitia Civitatis, ut ſupra, noviter conſtructa; & concludebatur, habens turrim excelſam ſuper ipſa, duos pontes levatiles, interiorem ſcilicet & exteriorem. Et unus Caſtellanus cum neceſſariis paghis eam Arcem & portam cuſtodiebat, quæ porta verſus Montemferratum ſpectat, & ab ipſa vel per ipſam proceditur via recta ad Montem Calvum Oppidum magnum & potens & proprium Marchionis. Et pariformiter aliæ portæ a Caſtellanis & aliis ſtipendiariis valde bene cuſtodiebantur. Sed quis ſe poteſt a proditoribus cuſtodire? Nam Boetius ait: *Quæ vero peſtis efficacior eſt ad nocendum, quam familiaris inimicus*? Et ſic ſucceſſit in ea Civitate. Nam publice dicebatur, quod prædictus Marchio exercitum parabat. Et ideo Civitas cautius cuſtodiebatur. Sed non profuit. Nam uno mane Rubeus Garrettus Aſtenſis, morans in dicto Burgo Sancti Petri, propter aliqua gravia, quæ paſſus erat ab Officialibus Domini Mediolani, arcem ſicut ſupra vallatam ingreſſus cum uno inſtrumento muſicali, & mantellis ſeu palliis panni oblongis, cum armis & gladiis ſubtus, una cum ſex aliis armatis, in domo ipſius proditoris ibi prope habitantis, dixit Caſtellano Compatri ſuo: *O compater: non vis hodie exire de gabbia iſta?* Erat enim ipſi Caſtellano favens, nec Caſtellanus de ipſo dubitabat. Et tunc Caſtellanus, depoſito aſſere, ſeu pianca

X ca

ca (109) cum cuzella (110), dixit *Compater, ne diſcedas. Comedemus piſtininum* (111). Reſpondit proditor: *Bene placet; ſed comedemus domi meæ, quia habeo melius vinum. Nequaquam*, ait Caſtellanus. Et ſic jocando, & explanato aſſere, & exeunte Caſtellano ſuper aſſere, & alio famulo ipſius ultra oſtium, ac ceteris aliis dormitantibus, ille proditor fingens arcem intrare cum beneplacito Caſtellani, ſicuti conſueverat, ipſum Caſtellanum dejecit e ponte in foſſam. Et alter ſocius proditoris, quum voluit dictus Caſtellanus repere extra foſſatum, illum graviter vulneravit, & ſic ſemivivus decidit in foſſatum. Quare illi duo in Arcem ingreſſi, pontem elevarunt, illius portæ dominium nacti, occiſis duobus ex clientibus, & aliis e muro dejectis. De præſenti & ſubito ſuper

(109) *Pianca*; Du-Cangius *Planche* Gallice interpretatur, quod Latine idem eſt, ac *Aſſis*, *Tabula*, citat autem hunc ipſum Azarii textum. Vide Notam ſequentem.

(110) Quid ſit Cuzella? Du-Cangius, cæterique quos videre licuit Lexicographi non docent. Rem tamen præſens Azarii teſtus, ni fallor, clare explicat. Habebant etiam ejus temporis Caſtra, quorum plura in Mediolanenſi Regione ſuperſunt adhuc, duplicem pro ingreſſu Portam, ac Pontem verſatilem (vulgo italice *Ponte Levatore*) majorem nempe, ac minorem; Major qui ampliori Januæ aptatus erat, duplici elevabatur Trabe, ac catenis; minor pro ordinario ingreſſu, Oſtiolo præbebat acceſſum. Minorem hunc, ac modicæ latitudinis verſatilem Pontem, *Piancam* vocat Azarius. Unicam vero Trabem, qua hic Pons elevatur, aut inclinatur, vocat *Cuzellam*; prout legenti narrationis ſenſus ipſe declarat. Pontes hos, *Volticios* appellabant; ſunt itaque, quos hodie italice *Ponti Levatori*, nominamus.

(111) Operis Piſtorii forte ſpecies, ut ſenſus indicare videtur, juxta illud Poetæ:

Surgite jam Pueri vendit jentacula Piſtor.

Sic etiam hoc Verbum interpretatur Du-Cangius in ſuo Lexico, qui non alium, quam hunc Azarii textum citat.

ſuper Turri fumum fecerunt. Quo viſo prædictus Marchio propinquus cum ſuis exfortiis quamcelerrime portam ipſam armata manu ingreſſus eſt, ambobus Arcis pontibus jam vallatis. Et ibi multitudo peditum & equitum cum Marchione intravit. Et quia per portam incommodus erat introitus propter moram & occupationem eorum, qui intraverant, nec audebant per ipſam Civitatem inſilire, fregerunt murum Civitatis ab utraque parte ejuſdem portæ, ita quod per ea foramina multitudo inimicorum intrabat pro libito, non obſtante quod multi ex ſtipendiariis Domini Mediolani e turricula una ſuper muro Civitatis ibidem propinqua multum reſiſterent. Et ſic Marchio cum ſuis gentibus procedens, obviavit multis equeſtribus ex gentibus Domini Mediolani. Qui acriter pugnantes compulerunt ipſum Marchionem retrocedere in conflictu, occidendo & vulnerando multos ex his, qui intraverant. Et certe ſi Civitella prædicta non fuiſſet, ad quam multitudo ſtipendiariorum Domini Mediolani totis viribus confluebat, timens, ne omnes Cives huic tractatui aſſenſiſſent, male Marchioni ſucceſſiſſet. Nam tunc omnes ſtipendiarii cucurriſſent ad rumorem. Sed quia plurima pars bellatorum ſe continuit intra Civitellam, Marchio iterum viribus reaſſumtis, & multiplicata multitudine pugnatorum, qui per foramina intraverant, velut leo rugiens & animoſus, ad proſequutionem ſui propoſiti jam concepti, calcaribus equum ſtimulando, ſuoſque hortationibus accendendo ad certamen, irrupit in ſtipendiarios Domini Mediolani, quotquot reperiebat ſternens, vulnerans, & occidens. Qui ſtipendiarii tamquam feſſi, ſubſidio carentes, & impetum Marchionis ſuſtinere non valentes, retroceſſere celeri gradu, & Civitellam intraverunt. Sed Marchio inſtauratis viribus, & multis ex Civibus ſibi faventibus, plateas acquiſivit, & Civitellam ipſam appropinquavit. Tunc Dominus Obicinus Malaſpina de Villafranca Poteſtas erat in ipſa Civitella incluſus, & cum eo præfatus Dominus Manfredus

de Saluciis & alii, qui debiliter ſe geſſerunt. Et deſerentes Civitatem exierunt a parte ſuperiori. Deinde Marchio cœpit Caſtrum machinis tormentare, & tapponum pro ipſo Caſtro habendo incœpit. Ubi quum tapponaſſet pluribus diebus, Caſtellanus, qui Mediolanenſis erat, valde pertimuit. Dico Mediolanenſis, quia, ſicut dixi ſupra, de teſſeris mercatoriis tantummodo curant, & non de alia bonitate ſeu virtute. Cœpitque pacta celebrare velle, & autumans Marchionem decipere, ſemetipſum decepit. Nam unum ſocium emiſit extra Caſtrum pro viſendo tapponum ante omnia, ita Marchione annuente valde bene. Qui famulus quum foramen intraſſet, clauſis exitibus, circum circa pergebat, & ad idem redibat, nec rem perpendebat. Quare credidit, muros majoris partis Caſtri ruinoſo ſubjacere periculo, quamvis ſolus paries verſus ingreſſum cavatus eſſet. Tunc famulus in Caſtrum regreſſus nuntiavit, quaſi omnes muros eſſe foratos & poſitos in rondellis (112). Quare Caſtellanus, ſi prius timuerat, quanto magis tunc fuit perterritus, quia debilis corde? Pactis celebratis illico abiit e Caſtro dedito, cum bonis ſuis.

Marchio in brevi poſt captam Civitatem, univerſum diſtrictum Aſtenſem pacifice recuperavit, ſola fortalitia non dimiſsa (113). Et continuo occupavit Albam, quam poſſedit, donec de ipſius beneplacito, ut infra dicetur, eam

(112) *Rondellæ* erant Tigna Rotunda, quæ ſupponebant murorum fundamentis pro iiſdem ſuffulciendis quando Cuniculos excavabant, in obſidionibus Agreſſores; immiſſo enim poſtea igne, qui Tigna combureret, corruebant Caſtrorum Mœnia, patebatque Obſidentibus ingreſſus, ut alibi jam diximus.

(113) Anno ſcilicet 1356. quo tempore Communitas ipſius Urbis, ei dominium conceſſit; ut ex publicis Tabulis editis a *Rogerio della Scala* Notario, apud Benvenutum de Sancto Georgio, in Hiſtoria Montisferrati. Vide R. I. T. XXIII. col. 530. D.

eam cum Novaria reſtituit Domino Mediolani. Nam Dominus Joannes Galeatius perdidit Claraſcum, & univerſas Terras Pedemontis, niſi ſola Braida gubernata. Quibus peractis idem Mediolani Dominus de Janua, & ipſius partibus dubitavit. Et participato conſilio cum Domino Barnabove, miſerunt pro Simonino Buccanigra olim Duce Januæ, & ipſum Mediolani retinuerunt multo tempore pro obſide. Cœperuntque aliqui errores in Janua multiplicare; quum novum non ſit, Populum ſemper novum Dominum diligere, & de novo dominio gratulari. Et pro eo murmurabant, ſicuti conſueverant. Diſpoſuitque dictus Simoninus Buccanigra olim Dux repatriare; & credo per ea, quæ deinde evenerunt, animo rebus ſuis conſulendi. Attamen ſuadebat Dominis Mediolani, ſe amiſſuros in Janua dominium in abſentia ſui, quia ipſe cognoſcebat Populares Januenſes; & in tantum procuraret, ſi iret, quod Januenſes a clamoribus & lamentationibus ceſſarent. Et in tantum de receſſu procuravit, & præcipue cum Joannolo Mondella de Ferro antedicto ſuo cariſſimo, quod licentiatus, a Mediolano diſceſſit. De cujus diſceſſu numquam prædictus Joannolus caram benevolentiam habuit cum præfatis Dominis Mediolani. Propter quæ, & alia, male eidem Joannolo evenit in bonis ſuis. Nam Simoninus Januam reverſus contrarium procuravit, & ſtuduit, quod in brevi multiplicato errore Civitas Januæ potius traxit ad rumorem. Et tunc armata manu Populares Januæ iterum ipſum conſtituerunt in Ducem, Poteſtatem, & Capitaneum, expellendo e diſtrictu Rectores Dominorum Mediolani (114). Et brevi temporis ſpatio artificialiter & potenter quæque Caſtra dominio Januenſi ſubjecta vindicarunt; & una-

(114) Die 15. Novembris 1356. Vide Georgii Stellæ Annales Januenſes R. I. T. XVII. col. 1094. E.

& unanimes, adnitente præfato Duce, ſub ſtatu populari cœperunt regnare, & regnant de præſenti. Confœderatique cum Marchione Montisferrati cœperunt unanimiter contra Dominos Mediolani procurare. Tunc Dominus Joannes Galeatius poſt prædicta (& puto ex deſperatione) diſcordiam cum Papienſibus ſuſcitavit, proponens dominium Papiæ habere & aſſequi, timens ne culpa ipſorum talia & graviora proceſſiſſent. Eam Civitatem & univerſum diſtrictum, nemine diſcrepante, poſſidebat Domus illorum de Beccaria, potens ultra modum & infinite dives. Nec mirum, quia dominium ipſius Civitatis rexerant annis XLIII. pro libito voluntatis. Quæ Civitas potuit dici felix uſque ad dictum diem; & pro eo in tantum erat opulenta & magnifica & collocata, quod de diffidantia præfati Domini Galeatii non curabat, cupiens potius guerram quam pacem habere cum Mediolano. Ideoque magnificata de diſcordia, curavit totis animis, & nemine diſcrepante, Dominis Mediolani reſiſtere, & dominium ſuimet ipſius ad cautelam dedit præfato Domino Marchioni Montisferrati. Qui ſimul concurrentes cuncti rebelles, reſiſtebant potentiæ præfatorum Dominorum Mediolani. Et quod gravius fuit, fecerunt in brevi fœdus cum Domino Joanne de Olegio poſſidente Bononiam, cum Ferrarienſibus, Mutinenſibus, Mantuanis, & Regienſibus. Et ſimul colligati curaverunt de deſtructione prædictorum Dominorum Mediolani. Et pactis valde pulchris celebratis inter ſe ſe (nempe quod juxta expenſas procederent acquiſita) curaverunt, Comitem Landum cum ſua Societate, ultra ſtipendiarios, quos habebant, ſub ſtipendiis eorum traducere ad depopulationem Status Mediolani. Erat tunc dictus Comes cum Societate ſua in partibus Tuſciæ. Et ſic curſitando, quum eſſet in Valle Lamoni diſtrictus Florentiæ, vulneratus fuit in capite, & curavit ſubſidium medicorum adhibere. Et ſic de beneplacito Domini Joannis de Olegio in Bononiam ſe reduxit,

ubi

ubi omnì diligentia fuit curatus, multiſque donis, ſervitiis, & humanitatibus fuit oneratus ab eodem Domino Joanne, illius benevolentiam aucupante & affectante per ea, quæ exinde ſucceſſerunt. Et utinam non vixiſſet per ea, quæ ſunt ſequuta.

Nam quum dictus Comes convaluiſſet, prædicti rebelles & inimici Dominorum Mediolani eumdem cum ſua Societate ad ſtipendia, & ad longum tempus, firmaverunt. Deinde prædictis publicatis, palam & nemine audente vetare, cœperunt proficiſci verſus Mediolanum, prævio ſtabilimento, nempe quod Mediolani Civitatem obſiderent. Qua capta, non eſſet de reliquis illi adhærentibus curandum. Et tunc cum infinita multitudine equitum & peditum, & omnibus deſcriptis, & ſtipendiariis ſingulorum confœderatorum particulariter nominatis & aſſignatis per ipſos confœderatos Capitaneis, e Bononia receſſerunt, & ſuper agro Parmenſi pluribus diebus peractis feliciter attigerunt, ubi nullum contradicentem invenerunt. Deinde copiis ordinatis ſuper Placentino, videlicet in Terris Caſtri Arquati, pernoctaverunt. Die ſequenti prope Placentiam a parte ſuperiori tranſierunt. Tunc dictum fuit, Dominos Mediolani velle prope Placentiam ſubire, & accipere pugnam. Nam confœderati ſplanaverunt ibi campum, & alia pararunt ad pugnandum. Nemo tamen apparuit contradictor. Quis enim tantæ gentis potentiæ reſiſtere potuiſſet? Die ſequenti venerunt prope Caſtrum Sancti Joannis. Ibi alacriter pernoctantes, deinde profecti in Papienſem diſtrictum, & prope Arenam Domini Milani de Beccaria, Padum feliciter ſuperarunt, & vitata Papia, Lomellinam ingreſſi ſunt ſine detrimento vel paucorum. Et ſic progredientes, & Ticinum tranſeuntes, Mazentam Terram Comitatus Mediolani carentem fortalitia, brevi invaſerunt, eamque adeo plenam victualibus & copia bonorum affluentem invenerunt, ut ſperarent perpetuo gaudere. Ibique ceperunt ex impro-

viſo

viſo domos, viros, mulieres formoſas, juvenes, viduas, & maritatas, inverecundi, & pro libito adulterarunt univerſas, nulla verecundia inſpecta. Et qui pejus faciebat, majorem ſe reputabat. Oh quantæ formoſæ juvenes, oh quantæ viduæ, oh quantæ privatæ maritis, tam Nobiles quam Populares fuerunt vituperatæ, ſine diſcretione ſexus, & taliter ſubornatæ! Nefas illud ad medium non poſſet deſcribi. Quid ultra? Non contenti ipſis, alia rura ſibi adhærentia, & nemine diſcrepante, ſimili modo vituperaverunt, & derobaverunt, ſtando ex ipſis aliqui in loco Vitudoni. Et ſic occupatis & uſurpatis illis locis, cœperunt illic morari, & moram protraxerunt, conſumendo ſuppellectilem olim inhabitantium, homines pro redemtione cruciando infinitis variiſque tormentis, adeoque ipſos conculcando, ut potius mortem, quam vitam eligerent. Supervenit ibidem a partibus Papienſibus Dominus Marchio Montisferrati, cum CC. barbutis (115) vel circa, ſperans, quod regimen univerſi exercitus ipſemet habiturus eſſet. Sed ſuo cogitamine & ſpe fruſtratus fuit. Nam non eſt novum, quod Alamanni, & venientes in Lombardiam occaſione ſtipendii, non diligunt Lombardos nec Lombardiam, ſed diligunt Florenos Lombardiæ, ut ipſos acquirant & rapiant. Et ſem-

(115) *Barbutæ* Milites equeſtres erant, quorum caput *Galea* tegebatur. Vocabularium Florentinum vulgo *della Cruſca*, hæc habet ad Verbum. *Barbuta : Galea, & Caſſis, et il Soldato che porta tali armi*. Quod vero tales Milites, præter Caſſidem, faciem etiam ferrea Buccula Vulgo *Viſiera* textam gererent, evincitur ex ipſo Azario Nota 17. qui dicit Dominum Petrum ex Dominis de Paleſtrino prope Vercellas, Caſtramenta partis Gibellinæ viſitantem, levata *Viſeria Barbutæ*, uno Verettono in fronte extitiſſe vulneratum. Vide Du-Cangium in Lexico, ad hoc Verbum, & ſequentem Notam 170. Milites etiam qui hoc nomine vocabantur, lancea pugnare, ac duos equos majorem unum, alterum minorem ſecum ducere conſueviſſe, tradit Corius ad annum 1357.

ſemper rapere tam magni quam parvi ſtuduerunt, & præcipue tempore hujus operis. Et pro eo Comes Landus in campo Mazentæ noluit ab ullo regi, nec parem pati. Et amore divitiarum acquirendarum moram protelabat in partibus Mazentinis, ſpreta inſtructione data per Dominum Joannem de Olegio, ac ceteros conſœderatos, quæ tendebat, ut primitus in ſuburbiis Mediolani ſe ponerent, & quantum prope Civitatem poterant, & ibi bellando permanerent. Et ratio conſilii erat, quia labefactato Mediolano, & laceratis Civitatibus, quas tenet in Lombardia (hæc namque ſine aliquo obſtaculo expleri poterant) nemo obſtitiſſet. Ad hujuſmodi progrediendi normam Dominus Joannes de Olegio induxerat confœderatos, allegando antiquum proverbium, ſcilicet: *Mediolanum appenſatum & paratum numquam perdidit*. Marchio prædictus venit in exercitum cum illis gentibus, animo quidem invadendi Burgos Mediolani. Sed videns, quod neque Comitem Landum, neque Tuſcos poterat trahere e Terra Mazentæ, ibidem moram producentes, ut rapta venderent, aut quæ vendere non poterant, veluti vina & blada, conſummarent; videnſque, quod ipſis non poterat imperare, tamquam ſapiens & moderatus, qualis eſt, cogitavit ſuperſtitioſus, quod labor erat ſuperfluus in volendo campum corrigere. Poterat enim habere anguſtias, & non dulcia. Nec de ſaccomanno, tamquam nobiliſſimus ſtirpe, curabat. Cogitavit autem, quod mora ſua erat ſuperſtitioſa. Nam dato quod ipſe non eſſet in campo illo cum gentibus ſuis, minime dubitabat, quin reliqua gens iret, quo vellet per Comitatum Mediolani. Et videns, quod iſti potius de moneta quam de honore curabant, cogitavit de perſona propria, ne pro pecunia venderetur. Quoniam Domini Mediolani potius de eo, quam de quovis alio Lombardo capiendo, procurabant. Quibus ſapienter perpenſis, receſſit e caſtris cum gentibus ſuis, & Joannem Savium de Nova-

ria, quem pridem noverat, cum C. barbutis ſecum duxit. Inter quas erat Opicinus Torniellus naturalis filius, ut ſupra, quondam Domini Ribaldoni, ductor unius Banderiæ equeſtris, & multi de Novaria. Tunc Joannes Savius erat Capitaneus gentis Domini Joannis de Olegio, qui ultra turmam habebat ſuo ſumtu in dicto campo barbutas CCC. ultra pedites CC. valde ſtrenuos & armatos.

Marchio igitur, & Joannes Savius cum CCC. barbutis tranſiverunt Ticinum ad vadum, & intrarunt Romantinum in diſtrictu Novariæ. Romantinum eſt Villa plena, carens fortalitia, hominibus tunc CC. habitata, diſtans a Novaria milliaribus quinque. Illic pernoctaverunt comedendo, nulla penitus illata incolis, eorumque bonis, moleſtia. Summo mane inſequentis diei equos aſcenderunt, & Silavegnam devenerunt, & ibi aliquantulum equos dimiſerunt recreare. Eſt autem Terra illa Silavegnæ carens fortalitia in extremo Lomellinæ, de diſtrictu Papienſium. Dum autem deſcendiſſent omnes Nobiles dicti Marchionis cum ipſo ſimul in loco ſeparato, uniti ſteterunt conſulendo, ubi Joannes Savius primitus cœpit loqui in hæc verba: *Domine Marchio, quo intenditis ire?* Reſpondit Dominus Marchio. *Intendimus ire Papiam, & ibi per aliquot dies permanere.* Tunc Joannes ait: *Ego, & Opicinus Torniellus, qui heic eſt, non venimus huc cauſa ballandi, ſed cauſa recuperandi noſtrum poſſeſſum in Novaria & in diſtrictu, per Dominos Mediolani occupatum, & graviora procurandi. Vobis ſuadeo, ut mihi credatis. Eamus Novariam ſicut ſumus, ubi multos amicos ego & Opicinus habemus. Fortaſſis eam habebimus. Nihil enim dubito, quin Burgos pacifice intremus. Si bene nobis evenerit, gaudebimus. Sin autem, ſpoliabimus, & pro nihilo non revertemur. Scio iter, & ita coopertum & occultum, quod erimus ad portam Burgi Sancti Agabii, Civibus non perpendentibus. Non diſtamus milliaribus ſeptem; & via pulchra eſt & expedita.* Hiſce Marchio annuit. Et univerſi ipſum Joannem

via

via directa ſunt ſequuti. Apud portam Sancti Agabii plures beſtias in pratis paſcentes abegerunt. Et quum ad portam acceſſiſſent, porta fuit clauſa. Tunc Joannes Savius præcedens dixit Cuſtodi: *Amice, vis me claudere extra portam, ne domum revertar?* Erat enim dictus Joannes & ejus Domus in ipſo Suburbio antiqua ſupra centum annos. Tunc Cuſtos, Mognina nomine, interrogavit, an eſſet Dominus Joannes Savius. Dixit ipſe: *Ita*. Ad hæc Cuſtos reſpondit: *Parcatis mihi. Vos non noveram propter arma*. Et hæc dicens, portam aperuit. Ideo Joannes prædictus cum aliis armata manu Burgum Sancti Agabii intravit; & progreſſus ad portam Civitatis, reperiit, portam ipſam fuiſſe clauſam, illiuſque Capitaneum aſcendiſſe. Qui cum baliſtariis Joannem & ſocios arcebat, & faciebat ſtare a longe. Quare idem Joannes cum aliis devians a dicta porta, Civitatem circuiendo, perrexit in Burgum Sancti Stephani, & in Burgum Sancti Gaudentii intravit per portam verſus & prope Beveratorium dicti Burgi. Et ſubito ſuper paſcuario Sancti Gaudentii aſcendit Campanile Sancti Gaudentii, clamans: *Vivat Marchio Montis-ferrati*. Et ſic Civitas cum Burgis tunc tranſiit ad rumorem. Tunc in Novaria Capitaneus erat Dominus Guilielmus de Pontirolo Mercator, qui imperitus tunc erat & ſine armis. Curtius Porrus erat Poteſtas, & erat ſtultior projicientibus lapides. Ambo taliter ſe geſſerant, quod ad Burgos Civitatis, & ad ipſam Civitatem, nullam proviſionem defenſionis fecerat; imo ſignanter Burgi Sancti Agabii, Sancti Stephani, Sancti Simonis, & Sanctæ Mariæ, carebant omnino palancatis, pontibus levatoriis: nec purgata erat foſſa, nec aliquid reparatum. Illi duo boni Officiales ſtabant, ſicut pacifice ſteterant annis viginti elapſis. Nec ad muros Civitatis ſcalas habebant, nec lapides ſuper muro, nec aliquid proviſionis. Neque volebant, quod Cives ſcirent de adventu prædictæ pravæ Societatis; imo dicebant,

cebant, quod nihil erat, quamvis tota Civitas videretur ebullire. Et quod deterius fuit, fecerat in ea & in Burgis publice per præcones proclamare, quod nullus Civis vel Burgenſis deberet trahere ad rumorem ſub pœna amputationis pedis. Et ideo quum prædicti Burgos intraſſent, Curtius prædictus Cives trahentes, & currentes ad defenſionem Civitatis expellebat. Et quum audiret, quod Civitatem intrabant, tunc mandabat, ut omnes ingreſſum prohiberent.

Sed tarde venerunt bubulci. Verum eſt tamen, quod prædicti Capitaneus & Poteſtas ſe ſe excuſantes dicebant, Dominum Galeatium Dominum noſtrum ita mandaſſe. Quod ſi res ita ſe habuit, male fuit proviſum. Nam ſi in ipſa Civitate fuiſſent ſtipendiarii equites & pedites, & ſi Dominus noſter non confidebat de Civibus Novarienſibus, vel ſi ſtipendiarii fuiſſent in quantitate ſufficienti ad muros Civitatis tuendos, bene fuiſſet. Sed totum contrarium erat. Quod fortaſſe accidit aut propter juventutem Domini Galeatii, aut propter politicam ipſius aulam, aut propter peccata noſtra, quæ nondum erant purgata. Nam tunc Novaria ſub pacis tranquillitate in divitiis & ſtatu alias Lombardiæ Civitates excedebat. Annis retroactis pacificis magnam quantitatem ſtipendiariorum, equitum & peditum habebamus in Civitate propter abundantiam victualium. Unuſquiſque propterea ſtipendiarius ibi ſtare procurabat. Et ea hora duæ ſolummodo Banderiæ equitum erant. Quarum una recenter venerat cauſſa refectionis; & ejus Capitaneus erat Joannes Paſſapons de Mutina. Qui in introitu Civitatis Albæ noviter, ut ſupra, occupatæ, captus fuerat & ſpoliatus, & qui ſub Banderia equos fortaſſe duodecim habebat. Aderant & tres Banderiæ baliſtariorum & peditum cauſſa reparationis in ipſa Civitate. Quidnam fecerunt dicti ſtipendiarii? Certe nihil. Et quid poterant facere pro defenſione ipſius Civitatis? nihil. Et

pro

pro eo prædicti cum Marchione exiſtentes in Burgis ipſis, & ſine marte, ſcalis a Burgis portatis, muros in tribus partibus aſcenderunt, nimirum prope Burgum Sancti Gaudentii, ubi dicitur ad Caſtaneam de Caſellis; & ibi in ſuburbanis muris eſt Molendinum Carlorum, habens pontem ſuper rugia Civitatem circumdante. Et in ipſa parte, ſcalis ad muros erectis multi ſine prœlio conſcenderunt. Deinde iiſdem ſcalis in oppoſitum erectis ad murum Eccleſiæ Sancti Dioniſii, Opicinus Torniellus (cupiens reverti domum, qua expulſus erat) intravit cum Societate ſua & reliquis aliis. Et deſcendit ab ipſa Eccleſia, quæ contigua erat ipſi muro. Joannes Savius prope Portam Sancti Agabii ſcalis erectis Civitatem ingreſſus eſt, dimiſſo intra Burgos Marchione cum reliquis. Sed quis intraſſet præter pridem expulſos, qui ſciebant ubi murus eſt depreſſus, & neminem obſtiturum? Itaque Savius & Torniellus ingreſſi Civitatem, junctis viribus, nullo ſive foraſterio ſive Cive impetum faciente, impavidi & impigri ad portam Sancti Agabii ſe reduxerunt, ubi terrenum intus, & Marchio extra, expugnabant. Dubitavitque & imo veritus eſt Portæ Capitaneus mori, quia Mediolanenſis. Et ideo ſubito de teſſeris ſuis tractavit; & pactis celebratis, ſoſpes receſſit cum rebus ſuis & familia. Portam dedit, & in Caſtrum Novariæ ſe reduxit. In quod jam fugerant prædictus Guilielmus de Pontirolo in Zoccolis, & cum una corazia, necnon dictus Curtius Porrus Poteſtas, propter alios, qui a dicta Caſtanea intraverunt tam deſuper muris, quam deſcenſis ipſos in hortello confligentes (dico confligentes reſpectu fugæ) non tamen quod defenſio par vel coæqualis fuiſſet, pro eo quod ſtipendiarii pauci erant ad reſpectum; nec aliquis Civis de prædictis ſe impedivit etiam cauſa præcedente, ſcilicet quia præfatus Magnificus Dominus noſter Galeatius Romagnolum Torniellum, Ottonem Leonardum, Lanfrancum Baliottum, Franciſcum

Tet-

Tettonem Militem, Cavallonum Caballacium, Franciſchinum de Rozato, Guilielmum Varronum, Botium de Gattego, & alios, quos in Novaria potentiores credebat, jam præcedentibus narratis, in obſides detinebat Mediolani, & male. Nam ſi Novariæ fuiſſent, alia via proceſſiſſent negotia, & aliter quam proceſſerunt. Sed culpa fuit tantum Novarienſium, & non aliorum, ut voluerunt Mediolanenſes dicere. Ex quo notam proditionis ipſis aſſignaverunt contra veritatem. Sed ſi quæſtio verteretur coram judice competenti, & de plano, Deus, qui omnia ſcit, notam falſitatis Novarienſibus non poſſet aſſignare, nec aſſignaret, quia juſtus Judex. Quibus, & quidem male in Civitate peractis, Marchio antedictus per portam Sancti Agabii Anno MCCCLVI. intravit ſine aliquo homicidio, aut violentia alicui illata, & dominium ipſius Civitatis cœpit occupare. (116) Elapſis paucis diebus accerſivit e Piſis illum Vicarium Imperatorium, qui veniens Novariam, & ſuper Palatio & nomine Imperiali dominium dictæ Civitatis in conſpectu Populi aſſignavit dicto Marchioni, & una cum ea tradidit univerſum diſtrictum.

Eo generali & privato conſilio finito, Dominus Marchio Vicarius Imperialis cœpit dominio ipſius Civitatis ut ſupra

(116) Anno nempe 1356. menſe Novembris. Vide Matthæum Villani Hiſtor. Lib. 7. Cap. 35. R. I. T. XIV. col. 425. B., qui die 8. menſis Novembris captam Novariam Civium proditione aſſerit, cui conſentit Chron. Placentinum R. I. T. XVI. col. 502. C. Id quo ad tempus verum eſt; Sed extero, ac remoto Scriptori, facti notitiam juxta difuſam a Mediolanenſibus famam accipienti, minus credendum eſſe, quam Azario, qui vicinus ac Novarienſis minutiores facti circumſtantias enumerat, nullus dubitabit. Caſtrum vero ipſius Civitatis die 21. Januarii ſequentis anni ſe dedidit. Corius tamen anno 1357., non a Marchione Montisferrati, ſed Ugolino Gonzaga captum dicit, qui tamen non aderat, ſed Marchio Montisferrati Dominium ſibi retinuit, quamvis aquiſitiones æqua lance cum illo dividendas, conventum foret.

ſupra acquiſitæ, ſeu mavis interceptæ potiri. Cum eodem Domino Marchione intraverant multi de Galliato & Trecato, qui ſe ſe dederant ea nocte, qua primo pernoctaverat in Romantino ſupra Terras ipſas; ſine aliquo prœlio ſibi dederant verentes, ne populationem paterentur. Civitas, utpote carens regimine, impleta eſt latronibus & malevolis dictarum Terrarum, cogitantibus facere ſaccomannum, & una cum aliis dudum expulſis a Novaria & ſub ſtipendio Bononiæ ſcriptis, omnes unanimes ſub Palatio coeuntes, combuſſerunt, & in puteum palatii projecerunt ſcrinia Notariorum ibi exiſtentia, lacerando ſcripturas, comburendo & exportando Privilegia dictæ Civitatis cum antiquiſſimis documentis acquiſitionum per ea factarum; & veternoſa monimenta ad cautelam conſervata laceraverunt, & condemnationes hujuſmodi ſolemnitate circumſcripſerunt, deſtruxerunt, annullaverunt, conculcaverunt, conſumſerunt, in puteo reſidua projicientes. Quod ſcelus unica hora patratum nefandius fuit alio quovis. Quum autem antea innotuiſſet, eam Societatem eſſe in Mazenta, prædicti Poteſtas & Capitaneus multos ex Nobilioribus tam Civibus, quam forenſibus, de quibus dubitabant, poſuerant in Caſtrum; videlicet Jacobum Torniellum fratrem quondam ipſius Domini Robaldoni prædicti, Philipponum Torniellum filium quondam Domini Joannis agnomento Guercii, & alios cum Magiſtro Abramo, qui ceteros carpentarios in arte muraria & lignaria excededebat; quoniam dicti Poteſtas & Capitaneus habuerant proviſionem ad minima, non autem ad majora. Hoſtes itaque cœperunt Caſtrum expugnare; vallum primo exterius, duaſque foſſas ex parte exteriori cavarunt, & munierunt palancato (117) & baltreſchis (118), ne

(117) *Palancatum* Septum ex Palis, aut ligneis Trabibus, modica inter eos diſtantia, firmiter in terram defixis, ad arcendos hoſtes. Forte idem,

ne deinceps ſubſidium ad Caſtrum accederet. Fulcierunt etiam Eccleſiam Sancti Lucæ Fratrum Minorum, ſitam in oppoſitum Caſtri, habilem capere magnam multitudinem tuto in ea permanſuram. Machinis extenſis duabus cœperunt Caſtrum verberare; & ex adverſo reſpondebat machina ad deſtructionem Civitatis intus poſita. Et certe dici potuit, quod Caſtellanus ille in virtutibus non fuit Mediolanenſis. Omnis enim regula patitur exceptionem. Attamen propter infra dicenda male ei evenit. Aggreſſores videntes prædicta non valere, cœperunt ponere in Civitate tapponum valde occultum pro ipſo Caſtro obtinendo & cavando. Et quamvis aliquando per contrariam cavaturam ipſis tapponatoribus male ſucceſſiſſet, nihilominus Caſtrum, ſeu domignonum (119), ſuper rondellis poſuerunt, fruſtra conten-

idem, quod nunc *Steccata*, *&* *Palizata* vocamus, Vide Du-Cangii Lexicon ad hoc verbum, vide Muratorii Antiquit. Italic. T. 2. col. 453.

(118) Du-Cangius in Verbo *Baltreſchæ* Lectorem remittit ad Verbum *Bretachiæ*, ibique dicit eſſe Caſtella lignea, quibus Caſtra, & Oppida muniebantur; Quæ tamen fuerit earum figura, non indicat; Textus autem, quem citat in Verbo Berteſca ex Breviario Hiſtoriæ Piſanæ ad annum 1156. R. I. T. VI. col. 172. A. hic eſt. „ In ſubſequente vero anno menſibus „ Februario, & Martio, & Aprile, circumjerunt Civitatem Caſtellis, & „ Turribus ligneis, & Berteſchis, pro timore Friderici Regis Romani ve- „ nientis „. Utrum tamen ex hoc teſtu deduci poſſit, Berteſcas eſſe Caſtella lignea, an potius Caſtella lignea eſſentialiter diverſa eſſe a BERTESCHIS cum ſeorſim, ac disjunctive eadem nominet Author, Lectori judicandum relinquo. Pater de Aquino in Lexico Militari ad Verbum BRETACHIÆ, dicit eſſe LIGNEUM AGGEREM, SIVE TURRIM, SEU POTIUS LORICAM LIGNEAM ſupra ipſas ligneas Turres eductam ad munitionem Caſtrorum, & Urbium; quod ultimum a vero minus aberrare videtur, attenta ſimilitudine cum illis ædificiis, quæ in faſtigio domuum etiam nunc, ad alium uſum conſtrui, ac BALTRESCAS Mediolani vocari, notum eſt.

(119) Domignonum, ſolidiorem, & ampliorem eſſe Turrim intra Caſtrum, ſeu aliud Fortalitium poſitam, ad quam, ſuperato ab hoſtibus Caſtro,

tendentibus obſeſſis. Hæc videns Caſtellanus ſcripſit præfato Domino Galeatio, quod niſi ſubveniret & ſuccurſum daret, Caſtrum amplius tenere non valebat. Et certe in remediis promtus & virtuoſus exſtiterat. Tempore autem gravi & hyemali Dominus Galeatius deſtinavit in ſubſidium CCC. barbutas & ultra; quæ tamen fatue venerunt uſque prope Burgum Sanctæ Mariæ. Fatue, dixi, quia ſi ducenti erupiſſent armata manu in Burgum, nulla illis ſubſidiariis ſpes fuiſſet redeundi, tum quia feſſi erant, tum propter malum iter, tum quia non habebant, nec poterant niſi

Z in

ſtro, confugiebant defenſores, ſeu auxilium expectantes, ſeu ut ejus deditione, mitiores ab hoſtibus conditiones obtinerent, veroſimile eſt. Exempla habemus in diverſis Mediolanenſis Provinciæ Antiquis Caſtris, intra quorum recinctum amplæ etiam in præſens, ac ſolidæ videntur Turres, interdum etiam foſſato, a reliqua Caſtri parte ſejunctæ, ad quas, ſuperato ab hoſtibus Caſtro, refugium erat, eaſque etiam nunc aliqui *Dongione* vocant, alii vero vulgari ſermone dicunt: *Rocchetta*, aut *il Maſchio del Caſtello*. *Donjon* nominant Galli. Vide Du-Cangium ad Verbum Domjonus, & Dunio, qui plures citat textus, ſed rem, ni fallor, non ſatis explicat.

Domignonum idem eſſe ac *Caſſarum* veroſimile eſt, hoc ſolum diſcrimine, quod in illis Regionibus, quas Saraceni occupavere; aut eis proxime erant, hoc munimenti genus vocavere *Caſſarum*, alibi vero, *Domignorum*. Caſſarum vero juxta Patrem de Aquinio in Lexico Militari eſt *Munitio exterior*, ſive *Septum* circa *Arcem*. Accademici *della Cruſca*, eſſe dicunt. *Ricinto di Mura intorno alla Roccha, o nel più alto della Terra*. Hoc etiam ſenſu rem intelligit Du-Cangius. Muratorius Antiquit. Italic. T. 2. col. 1180. hanc vocem a *Chaſſiron*, & *Cheſſeron*, quas voces Arabi in Italiam intulerunt, & ſignificant *Sepimentum Munimentum Caſtellum*, derivatam dicit. Tomo eodem col. 502. *Turrim ſeu arcem in ſublimiori parte Urbium, & Caſtellorum, aut in aliis editis locis poſitam*, eſſe putat. Aliquid tamen diſcriminis inter *Caſtrum Turrim & Caſſarum* agnoſcit. Vide etiam eundem Muratorium R. I. T. XV. col. 137. A. Mediterranei Maris Accolæ Siculi, Neapolitani, aliique, etiam in præſenti, eam Navium partem in puppi poſitam, quæ altior eſt, atque imminet cæteris, Arcis in modum, *Caſſarum* vocant. Ego certe inter *Caſſarum*, & *Domignonum*, omnibus bene perpenſis, non aliud, quam nominis diſcrimen, invenio.

in extremis partibus ſe reducere. Quare ſervando præceptum eis datum contenti fuerunt ad propria remeare, & ſe reduxerunt ad Terram Galliati, quam Dominus Mediolani cœperat fortificare pro repagulo Civitatis Novariæ, & a qua Terra multa mala proceſſerunt, ut inferius patebit, & etiam bona per præfatum Dominum Mediolani. Celebrato igitur accordio, Caſtro ſolemniter dato, dimiſſis in pace prædictis in eo detentis, quibus permiſſum fuit pergere quo voluerunt cum rebus ſuis, nulla violentia eis illata, prædictus Caſtellanus abiit. Qualiter autem prædictis, & Novarienſibus, evenerit, infra dicetur. Sed breviter dici poteſt, quod omnibus ipſis male ſucceſſit. Dum autem dicta Societas eſſet in Mazenta, captaque exinde Novaria, ac fere univerſo ejus diſtrictu, una die hoſtes perrexerunt Burgum Caſtanum expugnare, quod ſitum eſt in Comitatu Mediolani, valde forti palancato munitum, & foſſam, ſed ſiccam habens, inhabitatum ab octingentis hominibus ad bellandum, plenum divite Populo, & victualibus affluens. Erant in ea Terra plures banderiæ equitum, peditum, & baliſtariorum pro ipſius defenſione, de gentibus Domini Mediolani. Et una die incœpta pugna per Societatem & alios ibi exiſtentes circumcirca, per violentiam in Terram intraverunt, derobando, mulieres, tam nobiles, quam ruſticas adulterando; & omnes utriuſque ſexus ceperunt, etiam ſtipendiarios, exceptis mortuis in introitu, quamvis pauci mortui exſtitiſſent. Naves Papienſes, continuam facientes viam per flumen Ticini, de bonis eorum mobilibus, quod habere voluerunt, rapuerunt, emerunt, & deduxerunt, quouſque dicta perfida Societas in partibus illis ea vice ſtetit. Ex quo Civitas Papienſis de dictis prædis multum exſtitit locupletata. Ibi morati ſunt iſti latrones tamdiu, quamdiu facta eſt captivorum redemtio. Et deſtruxerunt vina & blada illius diſtrictus.

Ingruente hyeme cogitavit Comes Landus deſerere loca

Co-

Comitatus Mediolani, quæ vel ipſe uſurpaverat, vel gens Mediolani combuſſerat, ne ulterius victualia ibidem reperirentur. Univerſi autem curabant recipi in Novaria ad hybernandum. Prædicta commiſerat dictus Comes ad cautelam ſcilicet primo, quia voluit aſſequi ſtipendium ſequentis firmæ: quod cum maximis difficultatibus obtinuit: ſecundo, quia cogitavit interea diripere per directum vel indirectum, diſtrictum Novariæ, quem audiebat valde divitem. Soli Comiti & aliquibus ex ſuis Caporalibus permiſſum fuit hybernare in Burgis Novariæ, & præcipue in illo Sancti Agabii, ſcilicet in hoſpitio illorum de Damianis, valde fulcito, & hoſpitio illorum de Fulchino ibidem in oppoſitum. Nullam eo hyeme guerram fecit Dominis Mediolani, ſed plures Villas Novarienſes ſibi de tributis non reſpondentes excoriavit directe vel indirecte; & ſignanter Sanctum Petrum, & Moxitium. Quarum homines ab ejus Societate fuerunt interemti, non audente eodem Comite tam male geſta improbare, nec populationes prohibere. Tam improbe, tantaque barbarie ſe geſſerat illa Societas, quod dictum Burgum Sancti Agabii, quum eſſet receſſura, circumcirca ſaccomannavit, & Civitatem ingredi tentavit pluries. Sed ad evitandum ſaccomannum prævaluit Dominus Azzo de Corrigio, qui tunc continue ad cuſtodiam una cum Civibus ſtetit excubantibus. Interea eo hyeme continuam guerram contra Civitatem Vercellarum fecerunt, multa damna, vaſtationes, & uſurpationes inferendo, præſertim, quia dictus Marchio poſſidebat Caſtrum Caſalis Gualoni, & Caſtrum Bulgari, ipſi Civitati propinqua, & guerram ſuæ Civitati faciebant. Quibus poſtea duabus Terris præfatus Dominus Galeatius retribuit juxta merita, quum dictaſmet Terras finaliter ſubverterit, arcem Caſalis Gualoni cum Turri inter Lombardicas pulchriori, & Turrim Bulgari cum Caſtri fortalitia explanaverit. Pons ligneus exiſtens ſuper flumine Seſite, protenſus per medium milliare, partim per

Marchionem fuit combuſtus, & reliquus in Civitatem per Vercellenſes fuit importatus. Et interim Domini Mediolani multa ſubſidia tam a Verona, quam ab amicis aliarum Civitatum acquiſiverunt; & acceptis multis & quaſi infinitis equitibus & peditibus ad ſtipendium, qui ſtrenue ſe geſſerunt, & ita reparatis viribus in campum comparuerunt contra Societatem. Quum ergo poſt hyemem dictus Comes Landus receſſiſſet e Novaria, univerſus confœderatorum exercitus iterum inſedit in Mazenta, unde receſſerat, ut ſupra, & in partibus adjacentibus reliquias conſumturus. Sed videns ſibi deeſſe rapinas, cœpit in Terris Balzanæ verſus Papiam inſilire, omnia crudeliſſime populando. Quum autem proficiſceretur Caſoratum ſitum in confinibus Papiæ & Mediolani, gens Domini Mediolani occurrens tantæ devaſtationi, Caſoratum præoccupavit, & quidem prudenter. Ex ea igitur Terra, in quam flos juventutis Mediolani & Lombardiæ confluxerat, exire cœpit exercitus Domini Mediolani, paratus ad bellandum. Pedites in utroque latere viæ maſtræ locati ſunt inter vineas, quarum impedimentis tutati, non poterant ab equitatu inimicorum invadi. Equites in via ſteterunt adeo conferti & glomerati, quod nullus intra ipſos occaſione alicujus damnificationis potuiſſet intrare. Et ecce comparuit Comes Landus, qui de prædictis dedignatus, aciebus ſuis in aperto ordinatis, & alia explanatione non facta, noluit deviare. Et ſi deviaſſet, & exercitum Mediolani traxiſſet in loca expedita, male prædictis Mediolani eveniſſet. Sed Deus, qui juſtas ulciſcitur iras, volens de tot latronibus facere in aliquibus vindictam, fecit, quod acies Comitis in primam Mediolanenſium aciem in via firmatam forte ex XX. militibus conſtitutam irrueret, non exſpectatis ſuis peditibus, quoniam Comes nihil Mediolanenſes illos æſtimabat. Verum prædicti pedites inter vineas poſiti plurimam partem equorum Comitis interfecerunt; & ita occiſis equis, gentes

tes ejuſdem Comitis etiam male armatæ cœperunt lacerari & disjungi, occidi, & ut plurimum capi.

Primis igitur hoſtium copiis fractis, Mediolanenſes in campum liberum prodierunt, & ſecundam aciem ex debilioribus, plerumque ex ſaccomannis (120), conſtitutam, viriliter dimicando, laniaverunt. Qua deleta reliqui fugerunt verſus Papiam, una cum eorum Comite Lando calcaria fatigante. Mutua equorum quingentorum cædes in modico campo edita eſt. Quorum oſſa vidi, & diutius apparebunt in loco illo. Captus fuit ille Vicarius Imperatorius, qui erat dignitate Epiſcopus, & a Novaria recedebat, quum prædictum Marchionem, ut ſupra narravi, poſuiſſet nomine Imperatoris in actualem poſſeſſionem Novariæ. Et qui nuſquam apparuit, imo dimiſſus receſſit ad ſuas partes Alemanniæ. Captuſque fuerat in fuga Dominus Dondaxius Malvicinus de Placentia inimicus excellens, alias Dominorum Mediolani Conſiliarius, tunc ex Conſiliariis Domini Aldrovandini Domini Civitatum Ferrariæ & Mutinæ; & qui in damna Dominorum Mediolani perſeverabat conſilio & opere ultra poſſe. Sed quum ita fugiens incidiſſet in manus unius Teutonici Caporalis banderiæ, factis ei promiſſionibus (quia facundiſſimus erat & loquaciſſimus) eum-

---

(120) Saccomanni, ſi etymon Germanicum conſideres, eſt nomen ex *Mann* ideſt *Homo*, & *Sac*, ideſt *Saccus* compoſitum, quaſi diceres hominem implendo Sacco intentum. *Marodeurs* vocant Galli. Hoc nomen in Italia natum anno 1351., ex Azario col. 328. A. probat Muratorius Antiquit. Italic. T. 2. col. 529. In Italia primum uſurpatum eo tempore credo, in Germania tamen eorum idiomati, ac rapiendi apud Milites conſuetudini, coævum puto. *Saccomannos* confundunt aliqui cum *Ragazzis*, *Ribaldis*, & *Garcionibus*, qui plerumque viliores Famuli erant, Caſtra ſequentes, atque exercitus Impedimenta ducentes, quo ſenſu eos intelligit Azarius in præſente textu. Cæterum non ſolum hiſce diebus, ſed etiam antiquitus, Milites omnes *Saccomanni* munere, qua data occaſione, perfecte functos eſſe, ſatis conſtat. De illis Vide Muratorium loco ſupra citato.

eumdem Teutonicum pellexit ad deſertionem, & una ſimul fugerunt. Qui Teutonicus noluit eum præſentare ad bottinum, ne pro nihilo ſuſpenderetur, & ideo nunc optime honoratur. Captus etiam fuit Malcalzatus Generalis Capitaneus Marchionis Montisferrati. Capti ex equitibus ultra centum, præter alias notabiles perſonas. Comes itaque quum ſe recepiſſet in Papiam, dimiſſis in ſuburbiis reliquis, qui evaſerant, quibus ingreſſus in Civitatem non fuit permiſſus, Societatem ſuam inſtauravit, ſic annuentibus confœderatis. Hinc fœderati cœperunt in ſingulis eorum Civitatibus nova ſtipendia ſubito ſcribere, & majorem exercitum parare, quem tradiderunt Domino Ugolino de Gonzaga ex Dominis de Mantua, quem unanimes Capitaneum elegerunt. Et ad conſervationem acquiſitorum tranſmiſerunt cum gentibus in Papiam, habito itinere per partes Januæ. Quare Ugolinus & Comes Landus, (cujus Societas fuerat aliqualiter reintegrata) junctis viribus & uniti, profecti ſunt in Comitatum Mediolani. Et rurſus Caſtanum licet reparatum & munitum expugnarunt, & Comitatum Mediolani laceraverunt. Sed Ugolinus, renovata ei quæſtione a Comite Lando, qua Marchio ut ſupra agebatur in Mazenta, coacto conſilio, cum ipſo Marchione cogitavit partes circa Ticinum verſus Novariam per Dominos Mediolani poſſeſſas invadere. Ac deſtinarunt capere Galliatum poſitum in fortalitiam, & caute & ultra modum cuſtoditum, quia Terra cum gentibus Domini Mediolani erat ſtimulus Civitati Novariæ & diſtrictui. Verum Comes Landus non eſt aſſentitus, nec Terram voluit oppugnare, licet fingeret ſe facturum. Demum dimiſſo in Terra Caſtani valido præſidio equitum & peditum, univerſus exercitus rediit in diſtrictum Novariæ, & in Villis Bellinzaghi & Momi inſedit. Sequenti die profectus ultra Seſitem in diſtrictum Vercellarum, cepit violenter Gattinariam, & ſaccomannavit. Deinde Arborium cum Caſtro & infinitas

alias

alias Villas diſtrictus Vercellarum prædatus concremavit. Mox Cabaliatum cepit. Et auctis Marchioni viribus per adventum DCCC. baliſtariorum, curavit toto poſſe Terram Sanctæ Agathæ Metropolim Terrarum ad Dominos Mediolani ſpectantium in eo diſtrictu expugnare. Sed quum dictus Comes non curaret de oppugnatione illius Terræ, quamvis foſſam ſiccam tamen habentis, inordinatæ, & debili & antiquo munitæ palancato, ſed validio præſidio firmatæ, & baliſtariis & equitibus per Dominum Ugolinum circumdatæ, ceſſatum eſt a pugna. Qua obſidione ſoluta, prædicta Terra fuit in duplum fortificata. Tunc fœderatorum gentes Palatium, Veuronum, Piveronum, & alia loca ſuper eo Lacu, & ſuper coſta Calamacii populatæ ſunt & combuſſerunt. Mox in locis Liburni, Bianzati Marchionis, Carpaneti, & Pioræ Vercellenſium poſuere caſtra Menſe Novembris, & ibi diu ſteterunt, loquendo ſæpius ſuper campis cum Domino Petro Faſolino Cancellario, & Pio de Lomeno Ambaſſiatoribus Domini Mediolani, agentibus de concordio cum ipſis Dominis Marchione & Ugolino. At quia nil hoſtile fiebat, & Terræ Liburni & Bianzati jam fuerant evacuatæ ſine alia guerra, Marchio receſſit ad Terram Ziliani ſpectantem ad Epiſcopum Vercellarum, & omnes cum eo illuc perrexerunt via recta. Ubi captis univerſis bonis, omnia reperta comederunt, uſurpaverunt, & prædaverunt. Mox everſis locis illic adhærentibus, ceperunt pugna Deſanam terram fortem, ubi in hybernis ſteterunt, omnia devaſtantes. Deinde flumine Seſite trajecto, venerunt in Terras Candidiæ, & Villatæ, diſtrictus Papienſis, & prope Vercellas ſitas, quæ ſe tenebant pro Domino Mediolani, & ibi omnia devorarunt. Denique Papiam reverſi, ſperantes, ſeu meditantes Comitatum Mediolani denuo invadere, conquieverunt. Nam Magnificus Dominus Barnabos tunc Mantuam premebat, habueratque Terram Burgi Fortis. Saralium vero Mantuæ valde

valde & graviter & cum maxima militum & equitum quantitate infeſtabat.

Hiſce auditis, viſaque concordia Comitis Landi, cui Domini Mediolani dederant potum, Dominus Ugolinus cogitavit de rebus ſuis; præſertim quum videret, quod omnia communiter acquiſita, veluti Novaria, non poſſidebantur communiter, ſed per ſolum Marchionem, videretque quod ab eodem Marchione nullam poterat pecuniam trahere. Præſidiarios revocarunt e Caſtano, nempe XX. Banderias equeſtres, & XXIV. pedeſtres, & baliſtariorum; quas ibidem pro loci defenſione & Comitatus Mediolani infeſtatione, dimiſerunt, ut ſupra, & quas Dominus Galeatius obſederat, dum fœderati prædabundi vagabantur per agrum Vercellenſem. Nam dictus Dominus Galeatius una die miſit Dominum Marchionem Franciſcum Ellenſem de Ferraria, ut ſupra, pulſum, quem tunc habebat pro Capitaneo generali, & poſuerat in partibus Gallarati & Lonati pro occupando præſidiarios Caſtani. Miſit, inquam, cum maxima equitum, peditum, & barbutarum comitiva, cum inſtrumentis bellicis, uncinis, ferreis, mantellis, gattis (121), ſcalis, & infinito lignamine ad obſidionem Caſtani,

(121) Gattus juxta Vegetium, referente Patre Andrea de Aquino in ſuo Lexico Militari, erat: „ *E lignis* levioribus Machina colligata, alta pe- „ dibus octo, lata pedibus ſex (alii legunt ſexdecim). Hujus tectum mu- „ nitione duplici, Tabulatis, Cratibuſque contexitur. Latera quoque vi- „ mine ſepiuntur, ne ſaxorum telorumque impetu, penetrentur. Extrin- „ ſecus autem, ne immiſſo concrementur incendio, crudibus, ac recenti- „ bus Coriis, vel Centonibus, operiuntur. Iſte cum plures factæ fuerunt, „ junguntur in Ordinem, ſub quibus ſubſidentes, tuti ad ſubruenda Mu- „ rorum penetrant fundamenta „. Similes conſtructiones, ſequentibus Seculis ab Italis vocatæ fuerunt *Gallerie*; nunc autem abrogatæ ſunt, Bellicis Tormentis rem facilius, & celerius abſolventibus.

Voca-

ſtani, recuperandi, ſolutis etiam pagis duplis pro integro menſe, ut milites ardentiores eſſent in obtentu. Terra tot gentibus, tantoque apparatu circumdata, præſidiarii timuerunt valde, verentes tamquam debiles, habere finem in loco. Et procul dubio abiiſſent, nam nullus ſperabat vivere ex ipſis. Verum arrectis animis cogitaverunt de defenſione, & omnes tam equites, quam pedites & eorum baliſtarii, una cum faldis, & manipularibus, ac aliis Papienſium ſuorum, fuerunt circa Terram diſtributi tam armati, ut potuerunt. Faldas (122) ad palancatum erectas poſuerunt. Locarunt ſuper platea Communis duas electorum Banderias, aptas ad ſuccurrendum, ubi major eſſet infeſtatio. Summo mane obſeſſores aggreſſionem fecerunt, & projectis lignis in circhis in pluribus partibus, refoſſum (123)

Aa ſubi-

Vocatur etiam Cattus in Vocabulario Florentino, Inſtrumentum ex Trabe compoſitum, capite Ferreo vel Æneo in vultus Catti figuram, uni extremitati ſolide adnexo. Trabs autem funibus ex Machinæ laqueare ſuſpenſa ac librata, hominum auxilio contra muros vibrata, eoſdem valide percutiebat, & diruebat. Similis eſt hæc Machina, quo ad uſum, & effectum illi, quam Arietem vocabant, ſi capitis figuram excipias. Vide Du-Cangium ad Verbum *Cattus*, *Gatta*, & *Gattus*. Si tamen *Cattum* a *Gatto* diſtinguere placeat, Cattum forte Tectoriis Machinis, Gattum vero, oppugnatoriis adnumerandum, plurimum Scriptorum textus indicare videntur.

(122) Faldas ſepta fuiſſe ex Vimineis Cratibus compoſita, pro includendis Ovibus, Vaccis, Equis, & ſimilibus, oſtendit Du-Cangius in Lexico. Hic vero vel Vimineas ſolidiores Crates, vel Tabularum invicem connexarum ſtructuram geſtatoriam, hoſtibus ad expediendum loci alicujus ingreſſum, aut arcendam Telorum, & Jaculorum vim, objicendam, ſignificare videtur. Forte cum Romanorum Tabulationibus convenire, quis ſuſpicabitur. Vide Cæſarem de Bello Civico lib. 2.

(123) *Refoſſum* exteriorem Foſſam, ſeu excavationem circumdantem primam Arcis Foſſam eſſe, dicit Du-Cangius, qui non alium, quam hunc Azarii textum citat. Si res ita eſt, non differt ab eo Munitionis genere, quod *Strada Coperta* Itali etiam nunc vocant.

ſubito tranſierunt, & foſſatum ſiccum penetrantes, ad palancatum cum uncinis ferreis acceſſerunt, illudque pluribus in locis lacerarunt. Sed defenſores oppoſuerunt ſubito faldas Papienſes (124); & inter faldas ſe miſcebant ſtipendiarii equites cum lanceis & targhettis, prohibentes aſcenſum; & alii male armati ſubſequentes projiciebant lapides infinitos & aquam calidam. Hujuſmodi conflictus uſque ad meridiem in multis partibus duravit. Nec propterea aggreſſores potuerunt intrare, quamvis in decuplum fuiſſent. Quare Marchio Franciſcus cum gentibus ſuis, quibus non erat ſpes intrandi, receſſit, dimiſſo dicto palancato multimode lacerato. Nec amplius ad pugnandum redivit; ſed quotquot ex obſeſſis (ſive forent ſtipendiarii, ſive non) cepiſſet extra caſtra, ad arbores ſuſpendi faciebat. Et una die XXXII. ſuſpendi fecit: ex quo nemo e Caſtano exire audebat pro ſaccomanno faciendo. Præterea Marchio Montisferrati, quum per diſtrictum Vercellarum, ut ſupra, curſitaret, tenebat confinatos in Aſta eos Novarienſes, quos habebat ſuſpectos, ſignanter Torniellos, quos ſciebat eſſe antiquos amicos Vicecomitum, nempe Joannem Torniellum de Burgo, Ubertinum Torniellum quondam Domini Lanfranchi de Sancto Maffæo, Joannem Cacciam Domini Galvanei, Benedictum Cacciam Domini Roglerii, amicos Torniellorum, Nicolinum Torniellum Domini Romagnoli, Dominum Guilelmum

(124) *Falde Papienſes* Clypei genus erant. Aulicus Ticinenſis de laudibus Papiæ, qui anno 1318. vivebat, R. I. T. XI. col. 22. C. hæc habet: *Ipſorum Militiæ fama per totam Italiam divulgata eſt, & ab ipſis adhuc quidam Clypei Magni, tam in ſuperiori capite quadri, quam in inferiori, Papienſes fere vocantur ubique*; Nec repugnat Azarii textus, qui lacerato ab Agreſſoribus Palancato, Defenſores, ut ingreſſum hoſtibus prohiberent, oppoſuiſſe *Faldas Papienſes*, hoc eſt magnos Clypeos, dicit. Vide Du-Cangium ad vocem *Paviſarii*, vide Muratorium Antiquit. Italic. T. 2. col. 516.

mum de Rozate Juriſperitum, Antonium Torniellum quondam Domini Robaldoni; ac tenens ibidem pulchro modo Opicinum Torniellum fratrem dicti Antonii pro Aſtenſi Poteſtate ad cautelam, quem tempore illo ad reditum deſtinato licentiavit, & me Notarium pro Collaterali exiſtentem, & ad cautelam datum de conſilio Joannis Savii. Nam officia, ut dixi, ſemper habueram pro Dominis Mediolani. Neque Domini Joannis de Olegio amicus eram in aliquo propter enormia, quæ committebat, & quæ numquam fuere in aliquo de Novaria. Jam ego poſt diſceſſum a Bononia me contuleram in Burgo-Maynerium, & ibi cum univerſa familia habitabam, ubi per literas mihi jam miſſas ex parte Domini Galeatii, ut Terram Invorium peterem ad loquendum Domino Petro Cancellario Domini Antonii Poteſtatis Aſtenſis, creati ad conſilium Domini Joannis Savii, ut Civitas Novariæ ipſo careret, item Aſtam pro Collaterali. Etiam idem Joannes Savius ducebat ſecum ad prædicta contra voluntatem ipſorum, Joanninum Torniellum de Parona, Joanninum Torniellum de Vignarello, Piccalugam de Fiſſarengo, Panexelum Cacciam, Nigrum Baliottum, Maginum de Marcio, Nicolinum de Cantono, Olreghinum Grittam, & alios, quos reputabat potentes & amicos Torniellorum & Domini Galeatii, quos ſecum tunc tenuit in Papia, ubi aliquam moram traxit.

Receſſerunt ergo a Papia Domini Comes Landus & Ugolinus cum univerſo fœderatorum exercitu. Ad Villam Lanterii acceſſerunt. Ibi pernoctaverunt. Flumen Lambrum Comitatus Mediolani trajecerunt. Laudenſem agrum intrarunt. Flumen Aduam tranſiverunt. Diſtrictum Cremonenſem intraverunt, & deinde diætis ordinatis ſuper campis Brixiæ celerrime volaverunt, prædando, comburendo, & rapinando in ipſo itinere quantum potuerunt. Et ſuper planitiem Montis Clari pervenerunt, & ibi caſtrametati ſunt, & de bello ſuſcipiendo habuerunt conſilium. Erat tunc Do-

minus Joannes de Beſocero Generalis Capitaneus gentium Domini Barnabovis Vicecomitis, & cum gentibus illis partes Mantuæ multum, ut eſt dictum, afflixerat, & Burgumfortem, quamvis proditorie habuerat; ac juſſu Domini Barnabovis habuit pugnam cum inimicis accipere, quamvis virtute & potentia non minoribus. Et quum de pugna ineunda tractaret, præfati Domini Comes Landus & Ugolinus armata manu campum Domini Joannis prædicti invaſerunt. Sed a valide reſiſtente Beſocero fuerunt oppreſſi, & fere coacti dare terga, quum gens Domini Barnabovis eſſet bene armata & fortiſſimi bellatores; & quia gens univerſa ejuſdem Domini Bernabovis incauta erat, nec ea erat hora belli, ad pugnam omnes non fuerunt, quamvis virtutibus reſtitiſſent. Et quia novum non eſt, quod plures conſueverunt prævalere (quamvis aliquando fallat) Societas iſta cœpit aciem primam Domini Mediolani diſgregare, & in cuneos ſeparare. Et in tantum fuerunt lacerati, quod ſupervenientes ex gentibus Domini Mediolani campum obtinere non valuerunt; ſed perterriti curaverunt fugere cum aliis expugnatis. Præfati Domini Comes, & Ugolinus campo & victoria potiti, maximam ediderunt ſtragem, & occiderunt quotquot voluerunt, capto Joanne Beſocero una cum Joanne ejus nepote juvene valde ſtrenuo, filio quondam Domini Paganini. Et quia iſte Paganinus tempore Domini Luchini Vicecomitis tamquam ſuperbus multa gravia in partibus Pedemontium commiſerat in multos ſtipendiarios Teutonicos, eoſdem caſſando, gravando, & depauperando, ideo filius ſuus per Teutonicum Societatis fuit ad unam arborem capiſtro per gulam ſuſpenſus. Hanc victoriam nacti Comes Landus & Ugolinus, magno gaudio & cum captivis Mantuam remearunt. Landus Bononiam profectus, magno per Joannem de Olegio exceptus eſt gaudio. Ubi cum Societate ſua, quam parumper reintegravit, ſtetit in hybernis; & aliquanto ex poſt fingens iterum ad Marchionem Mon-

tiſter-

tiſferrati redire, allectus proviſionibus & ditiori ſtipendio, ſe cum Domino Galeatio firmavit ad tempus, nec ab eo receſſit uſque in præſentem diem. Perpenderat enim ipſe tamquam diſcretus, quod confœderati reſiliebant a Marchione, quum ab eo nil, niſi verba habere poſſent, neque acquiſitis communiter potiri poſſent communiter. Nam Marchio Civitatibus & Locis acquiſitis ipſe ſolus gaudebat, & de ipſis ſe intitulavit. De derobationibus & ſpoliis & tributis ipſe ſolus fruebatur cum ſuis avariſſimis Monteferratinis, pediculorum decoriatoribus. Ceteri autem, nempe Mantuani, Bononienſes, & Ferrarienſes, depauperabantur, quia continuo habebant colligere Florenos, & mittere Januam pro ſtipendiis ſolvendis. Qui Floreni in Terris Marchionis dimittebantur, & nullus ex eis ad prædictas Civitates redibat. Et ideo unuſquiſque ex illis tribus Dominis prædictarum trium Civitatum procuravit de concordio cum Domino Mediolani & præcipue cum Domino Bernabove. Primus ex ipſis fuit Dominus Ugolinus, qui proinde e Mantua expulit Dominum Feltrinum; qui ita pulſus Civitatem Regii intravit, eamque uſque in præſentem diem male & pauperrime detinet occupatam. Ex qua occupatione Dominus Ugolinus factus eſt inimicus dicti Domini Feltrini patrui ſui. In eo accordio Dominus Ugolinus ſe confœderavit cum Domino Barnabove, & ſic confœderatus ſtetit uſque ad menſem Octobris Anni præſentis MCCCLXII. quo a fratre ſuo fuit Mantuæ interfectus. Qui frater dominium inde illius Civitatis cepit, ut infra dicetur. Et viceverſa in eodem accordio Dominus Barnabos reſtituit Domino Ugolino Terram Burgifortis, eique in uxorem dedit unicam filiam Domini Matthæi Vicecomitis fratris ſui, quamquam ortam ex filia unius germani dicti Domini ſponſi, & affinem, libentiſſime id Papa diſpenſante; ipſumque Dominum Ugolinum Dominus Barnabos in carum amicum ſemper tenuit. Curavit etiam Dominus Joannes de Olegio

pacem

pacem cum Domino Barnabove habere, & habuit: accepitque ab eo Poteſtatem in Bononia etiam ſub aliis pactis, de quibus inferius ſcribam. Dominus autem Ferrariæ habuit cum Domino Barnabove treguam: quare in illis partibus ſcandala ſteterunt ſopita. Sed brevi exorta eſt favilla, quæ maximum incendium excitavit. Remanſit ergo Marchio Montisferrati ſolummodo cum Januenſibus, Papienſibus, Thoma Malaſpina de Cremolino, & aliis parvis Marchionibus cum eo fœderatis, & cum dominio Civitatis Novariæ & diſtrictus. De qua, ejuſve deſtructione, & fundatione, prolixius eſt tractandum, quia ego Notarius ſum Novarienſis.

Novaria Civitas brevi ſuper monticello conſtructa, planitie circumdata, Auſtrali parte Lombardiæ, confinata Terris Comitatus Sabaudiæ, & Alamannis, inter Alpes includentes Lombardiam, fertilis & amœna valde, vino & aquis multum copioſa, dicta fuit Novaria, quaſi *nova* & *varia*. *Nova*, quia ultima fuit Civitatum conſtructarum in Lombardia. *Varia*, quia de diverſis Communitatibus, Capitaniatibus, & aliis Nobilibus fuit unita per Popularem ſtatum, & variis propter guerras, alterutrum ſimul illatas, & in unum poſtea reductis. Quod fuerit nova probatur exemplo. Quia Porta Mediolani antiquiſſime procedens verſus Novariam dicta eſt Porta Vercellina. Cujus Civitatis & diſtrictus Novariæ confinia includit flumen Ticini & flumen Sicida valde . . . . . . aquis, & præcipue æſtivis temporibus. De cujus autem nova fundatione curavi ad præſens pertractare. Uno autem tempore, & in Anno Jubilæo (125) venit a partibus Franciæ & de progenie Regali

(125) Jubilæum, ſeu Plenariam, ut ajunt Indulgentiam &c. a Bonifacio VIII. Pontifice primum inſtitutum fuiſſe anno 1300., quolibet Seculari

gali Francorum unus Juvenis cum ſua uxore formoſa, nobili & pulcherrima valde nimis, & potius cauſſa videndi Italicas partes, quam occaſione mercedis: volens etiam cum maximis diſpendiis Limina beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum in Civitate Romana viſitare. Et tranſacto multo tempore, & gravi tempore hyemali adveniente, cum pluribus falconibus, portatis ſolatii cauſſa, ſe in Civitatem Vercellarum reduxerunt. Ibique moram trahentes, propter faſtidium Alpium tranſitarum, per aliquot dies recreationis cauſſa iter arreptum diſtulerunt, quærentes pulchras Riverias, aptas venationi falconum. Et ſic ſciſcitando, dictum fuit ipſi in Vercellis, quod nobiliores & magis experti contratæ illius erant certi Capitanei de Caſalegio, nunc de diſtrictu Novariæ, habentes Caſtrum ipſum magnificum, & alia quamplura loca ipſis ſubjecta cum univerſa juriſdictione, & multos alios falcones & riverias præparatas habebant. Et tunc præmiſſus nobiliſſimus Vir cum uxore & univerſa ſua ſocietate, quamquam parva, propter longum iter domeſtice Caſalegium adivit. Erat enim tunc Caſalegium Caſtrum in planitie excellentiſſima, & amœno loco fontibus & viridariis & altis muris & palatiis conſtitutum, coronatum XXII. Turribus valde immenſis; ſic quod potius Civitas quam Caſtrum videbatur. Cujus ſitus & forma ambobus nobilibus peregrinantibus placuit valde nimis, dicentes, quod ſimilem locum non viderant in partibus Lombardiæ. Qui per Nobiles in ipſo Caſtro exiſtentes, jucunde & hilariter ſunt recepti. Et mora multis diebus protracta, de venatione & perquiſitione

---

culari anno renovandum, a Clemente VI. anno 1349. ad quinquageſimum, ab Urbano VI. ad trigeſimum tertium, a Sixto V. ad vigeſimum quintum cujuſque Seculi annum, tandem alligatum fuiſſe, omnibus notum eſt. Quanto autem antiquior eo tempore ſit Novarienſis Urbis Origo, infra demoſtrabo.

ne tam pulchrarum riveriarum ſtuduerunt & viderunt. Et poſt ipſam moram curaverunt prædicti peregrini de receſſu, & ad Civitatem Mediolani, pro videndo ipſius Civitatis magnitudinem, divertere velle prædixerunt. Sed quia non eſt novum, quod mulier virum appetit, ut materia formam, & præcipue apud iſtos ultramontanos, ut ſe immiſceant cum Lombardis, laſcive ad luxuriam ſe gerentes, uxor ipſius nobiliſſimi Viri, formoſa, ut ſupra, in concupiſcentiam unius Juvenis præmiſſorum de Caſalegio exarſit. Et ſic honeſtate & pudicitia prætermiſſis flectere non potuit concepta voti ſui. Et in tantum amoris laqueis exſtitit involuta, quod lucem ſuorum oculorum ab intuitu Juvenis antedicti flectere non valebat. Qui Juvenis de prædictis factus certus & incautus, per ſimilia ipſi Dominæ reſpondebat. Credebat enim ipſa nuſquam vidiſſe parem in nobilitate & pulchritudine. Et ſic via perquiſita ſimul exiſtentes, caſtra concupiſcentiæ aperuit in ipſa, & tunc potius quam primitus dictum Lombardum diligebat. Oh quam periculoſum eſt, formoſas juvenes & valde pulchras, in quibus motus & concupiſcentia permanet, per partes ducere extraneas cauſſa Indulgentiæ, & præcipue incognitas mulieres! Nam meis diebus Dominus Bernardinus de Polenta, Dominus Civitatum Ravennæ & Cerviæ in partibus Romandiolæ, multas nobiles ultramontanas vituperavit, euntes Romam, & venientes in Anno Jubilæo proximo præterito MCCCL. Quæ ſi (& utinam) ſtetiſſent in partibus ſuis, vituperatæ per ipſum non fuiſſent. Nam Indulgentia & iter potius pertinet ad ſenes quam ad juvenes. Nam navis ſuo ſtans in portu, & in alienos portus non deducta, numquam ſentit naufragia. Quid ultra? Cogitavit dictus nobiliſſimus Vir de receſſu & peregrinatione, & ipſa ejus uxor cogitavit de mora & in adulterio perſiſtendo. Et dum uxori vir ipſius totis viribus de receſſu ſuaderet, ipſa prava mulier participato conſilio ſe finxit in-

infirmam. Et in lecto jacens quotidie ſe dicebat plus gravatam. Nec fieri poterant remedia convaleſcentiæ vel ſanitatis, ut dicebat.

Et tunc præfatus nobiliſſimus vir cum ſuis participato conſilio, & credens uxorem ſuam, quam tenerrime diligebat, non ficta ſed vera dicta proferre, & habito prius cum ipſa conſilio (ut eſt moris juvenum ſimplicium) decreverunt, ipſam in Caſalegio dimittere, & alii in itinere ſuo perdurare, regratiantes Dominis Caſalegii de beneficiis ſibi & ſuis illatis. Et ſic ipſa dimiſſa cum ancillis ſuis ab inde receſſerunt, & recta via ſine aliquo ſolatio Romam tetenderunt. Et durante prædictorum itinere prædicta Domina cum juvene pro libito facientes, ita caute non fecerunt, quin alii ipſius juvenis conſortes de prædictis perpenderent, etiam condolentes. Nam, ut in proverbio dicitur, Amor & Tuſſis nequeunt in homine celari. Redeunt autem a Roma ſuo tempore præfatus Dominus cum ſociis. Et frequenter cupiens de uxore ſua gratioſa audire, & a longe interrogans, in itinere audivit de infamia ipſius Dominæ dici, nec credebat. Caſalegium venit Deo concedente, & de ipſa Domina interrogans, dictum fuit, ipſam fore abſentem. Nam propter ſcelus, & audito, quod præfatus maritus ejus brevi tempore Caſalegium adiiſſet, ſe abſentare curaverunt, & in Caſtrum Grignaſchi ſe receperunt. Erant namque prædicta geſta ita publica, quod latere nequiverant. Sed ſi cum Viro ſuo dicta Uxor tunc receſſiſſet, aliud non fuiſſet, ſed prædictos Nobiles de Caſalegio perpetuo habuiſſet commendatos. Et quia contrarium audivit, & mulierem perdiderat, tamquam deſperatus ad ultramontanam patriam ſuam retroceſſit. Et ibi factis lamentis de uxore ſua perdita, & violentia, ut credebat, per eos de Caſalegio illi illata, maximum exercitum congregavit, & ad partes Lombardiæ cum ipſo ſe contulit animoſe. Invaſit igitur cum illo innumerabili exercitu Caſalegium, &

ipſum Caſtrum obſedit, ſtantibus in eo prædicta uxore ſua & juvene antedicto. Et firmata obſidione, multa loca ipſi Caſtro adhærentia deſtruxerunt, annullando etiam adjacentia. Quibus durantibus, ſuper monticello, ſupra quem ſita eſt nunc Novaria Civitas, erant duo Caſtra, videlicet Caſtrum Comitis Engalardi, ubi Turres Portæ Sancti Gaudentii rotundæ de præſenti ſunt; alterum erat in Parochia Sanctæ Euphemiæ Comitis Buxoni; & ideo iterum antiquiſſima Eccleſia eſt nominata Sancta Maria de Ingalardo in loco illo. Quæ duo Caſtra totaliter devaſtavit, dimiſſis duabus Turribus antedictis, pro eo quod ad defenſionem Caſalegii, forte propter amicitias ipſorum fortaſſe parentum, ipſi obſidenti, ut ſupra, obſtiterunt. Et tamdiu permanſit dictus Francigena in obſidione prædicta, quod victualia in ipſo Caſtro exiſtentia conſumſerunt. Et tunc videntes parentes ipſius juvenis, & alii amore ſui, ita eſſe obſidione deſtructos, pacta inientes cum Francigenis, exſtiterunt affidati in havere & in perſonis. Et pars eorum ipſius Caſtri remanſit erecta, & ſtetit uſque ad præſentem diem, & alia pars illius exſtitit dirupata, captis juvene, & uxore prædicti nobiliſſimi Viri, diruptis mœniis dicti Caſtri partis ſuæ, & ambobus captis malefactoribus, uxorem ſuam comburi fecit, & prædictum juvenem furca laqueo ſuſpendi ut prædonem. Et deinde levato campo doluit de geſtis contra inculpabiles. De ſimili autem dolore præſenti tempore non dolerent, & ut rapiat, quilibet ſtudet procurare. Sed apud bonos mala ſunt deteſtanda, qualitercumque ſint commiſſa. Et pro eo licentiato exercitu ſuo, ut ad patriam redirent, iterato dictus nobiliſſimus Vir ſupra vindictam tanti facinoris cogitavit limina beatorum Petri & Pauli in Romana Urbe viſitare. Accepta Confeſſione commiſſorum in Mediolano coram venerabili Archiepiſcopo Mediolani, ad Dominum Papam iterato habuit confiteri. Stabat tunc Sedes Papalis & Imperialis in Civitate Romana. Et veniens

Ro-

Romam plorando peccata commiſſa, abſolutionem meruit, hoc addito, ut pro meritis de commiſſis & perſonis mortuis, quæ dictum ſcelus non perpetraverant, & de quibus reſtitutionem facere non poterat, quum ignoraret, quantis & quibus, quod in loco notabiliori Eccleſiam conſtrueret tam magnam & formoſam, & tantis cum expenſis, quantum credebat deterioraſſe partes illas, occaſione ultionis & vindictæ ſuæ; & ſub vocabulo beatorum Gervaſii & Protaſii Altare & Eccleſiam ipſam titularet, pro eo quod loca illa devaſtata, tunc erant Archiepiſcopo Mediolani commiſſa. Et ob reverentiam præmiſſorum & ſatisfactionem, quod Fratres in Chriſto eligerentur pro celebrandis divinis, numero XXXII. & acquiſitis poſſeſſionibus alimentarentur pro victu & veſtitu. Et ſic fecit. Nam fabricavit Eccleſiam Majorem, & quæ Major etiam hodie nuncupatur, Sedem Epiſcopalem nunc habens, & XXXII. Canonicatus habet de præſenti. Quia tales Fratres ceſſaverunt de non ſtando in uno Conventu, ſed fecerunt Canonicos XXXII. & Clauſtrum dimiſerunt, & Epiſcopus Civitati datus fuit.

Et quod prædicta ſint vera, de præſenti apparet. Nam Altare ipſum hodierna die ſub Sanctis Gervaſio & Protaſio celebratur; nec aliquis Eccleſiaſticus per conſtitutiones Canonicas inde ſequutas auderet, nec poſſet ſuper ipſo Altari Miſſam celebrare, niſi eſſet in prædictis Præbendis beneficiatus, aut de Domo Regum Francorum, ſi Franci Regii poſſent in ſignum corporalis poſſeſſionis Miſſam celebrare. Quod autem ex deſtructionibus dicta magna Eccleſia fuerit conſtructa, evidenter apparet, quia de lapidibus coctis & ruptis totaliter extitit fabricata; nec in ea lapis coctus novus apparet. Et tunc homines populares locorum adjacentium conſilio potiti, & videntes alia loca corrigi, & præcipue ſibi adhærentia ſub dominio Civitatum, cogitaverunt Civitatem conſtruere, ut a ſimilibus periculis ceſſaret eorum interitus, & ut Nobiles eorum filias libidine non fœdarent,

non audentes loqui. Et tunc unanimiter cum ſibi adhærentibus perſcrutato loco magis apto, Civitatem facere decreverunt. Fuerunt autem in actu ipſam conſtruendi in loco Xuni, ubi magna mœnia Eccleſiæ tunc erant, & quæ Terra Marchionatus Pombiæ tunc erant. Sed timentes, ne Civitates Papiæ, Mediolani, & Vercellarum, diſtrictum eorum inferiorem lacerarent, ſtuduerunt ad partem diſtrictus inferiorem permanere, ut reſiſtendo pars ſuperior fortior haberetur. Et ſic inſpecto tali monticello ſuper camino Francico, inter Civitatem Mediolani & Vercellarum recta via exiſtenti, & concludendo dictam talem Eccleſiam ad pias cauſas elevatam, propter quam cogitaverant principia, ut ſupra, fundamenta Civitatis Novariæ hanc in loco ipſo conſtruxerunt, & eam aliquo tempore Montalexium appellaverunt. Deinde videntes, quod tale nomen erat durum in exprimendo, & quod mons ille aliter non erat, imo depreſſus, & noviter conſtitutus, & Civitas noviter fabricata, & de vario diſtrictu Nobilium, *Novariam* appellaverunt, cujus nomen claris titulis & privilegiis Imperialibus exiſtitit præmunitum (126). Cœperuntque prædicti novi

(126) Fabuloſam Civitatum ſuarum Originem a Prothoparentis Adami Nepotibus, aut Nohemi Filiis, interdum ab Herculibus, & Græciæ Regibus derivare, antiquis Hiſtoriarum Scriptoribus ſolenne fuit; Adeo ut Corius, rerum ſuo tempore geſtarum cæterum accuratiſſimus Scriptor, non dubitaverit Mediolani Originem, ex antiquis Hiſtoricis tradens, etiam cuidam Subres ex Nohemi proximis deſcendentibus, tribuere; unde, & Urbi, & provinciæ Inſubriæ nomen derivatum dicit. Azarius vero noſter oppoſita, ſed æque fallaci ſententia, Novariæ Antiquiſſimæ Urbis Originem, ad recentiora, nobiſque proxima nimis revocat Secula, fabuloſam ac ridiculam prorſus narrans hiſtoriolam, quæ ædificandæ Urbis cauſſa fuerit. Nec tamen deſunt Scriptores, qui Novariam ab *Eltio* quodam Trojano Veneris filio conditam, qui Collem cui impoſita eſt, ex ſuo nomine *Eltium* vocaverit, ibique poſito templo cum Ara Veneri Matri Sacra, in cauſſa fuerit, ut

ut Urbs mox inde ædificata *Nova Ara*, poſtea corrupte Novaria vocata ſit. Vide Fratris Jacobi Philippi Bergomenſis Supplementum Chronicarum lib. 6. pag. mihi 105. Fragmenta libri de *Originibus*, Catoni perperam attributa, quæ hanc Urbem ab Herculis Egiptii nomine *Libiam*, & a cognomine *Ariam* Egiptio vocabulo, *Leoninam*, poſtea a Liguribus inſtauratam, & *Novariam* dictam, tradunt lib. 3. cap. 17. fol. 172. editionis Antuerpienſis anni 1545. Sed hiſce poſtpoſitis ad certiora progrediamur.

Ignotum profecto nemini, qui antiquas Hiſtorias veteraque Romanorum Monumenta perlegerit eſſe poteſt, quanti apud Romanam Gentem fuerit olim celeberrima Novarienſum Civitas. Ipſam mandato Senatus, Coloniam Latinam Creatam fuiſſe, a Cn. Pompejo Strabone, Cn. Pompei Magni Genitore tunc Conſule, jam notum eſt, & quidem creatam, non deductam, cum ipſam non introductis novis Colonis conſtituerit, ſed veteribus Incolis ibi permanentibus jus Latii dederit: ut teſtatur etiam Aſconius Pædianus in Orat. Piſon., Anno ab Urbe condita 665., ante Chriſti Nativitatem annis circa 90., ut facto computo oſtendit Onuphrius Panvinius lib. 2. Antiquit. Veron. cap. 28. & 29.

Anno poſtea 706. a Romanæ Urbis ædificatione, ante Eram Chriſtianam, plus minus annis 49. poſtquam diu inter Cæſarem, & Pompejum pro ſumma rerum decertatum fuit, ac tandem Pompei factio vi & armis ex tota Italia expulſa, exulare coacta eſt, cum Cæſar Romæ Dictatoris dignitatem primo obtinuit, is extemplo antequam ſecundum iniret Conſulatum, Lege ad Populum lata, *Novariam* ac Mediolanum una cum reliquis latinis Tranſpandanis Coloniis, in Colonias Romanas cooptavit. Quod ex Panvinio aperte colligitur lib. ſupra citato cap. 30., Authore ſcilicet fide omnino digno, propter graviſſimas authoritates, quibus omni ex parte, pro conſuetudine ſua, abunde ſemper innititur. Idem etiam docet Dio Caſſius Hiſtor. Roman. lib. 41. Cornelius Tacitus, qui primo Seculo Eræ Chriſtianæ floruit, Novaricam inter firmiſſima Tranſpadanæ Regionis Municipia nominat; referens enim Syllanos Milites a M. Salvio Ottone deſciviſſe, & ad A. Vitellii partes commigraſſe, ſubdit Hiſtoriarum lib. 1. cap. 70. *Et ut donum aliquod novo Principi, firmiſſima Tranſpadanæ Regionis Municipia, Mediolanum ac Novariam, & Eporediam ac Vercellas, adjunxere*. Vides Novariam inter præcipua Municipia nominari, ac primo poſt Mediolanum loco. C. Plinius qui vixit primo Seculo Eræ Chriſtianæ, Naturalis Hiſtoriæ lib. 3. cap. 21. hæc habet: *Novaria ex Vertacomacoris Vocontiorum hodieque Pago, non ut Cato exiſtimat, Ligurum; ex quibus Levi & Marici condidere Ticinum non procul a Pado*. Quid autem Pagi nomine intelligendum ſit, ut optime obſervat Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis in ſua Nova-

ria

ria Sacra pag. 4., docet Cæſar Commentar. lib. 1., dicens. *Helvetiam in quatuor eſſe diviſam Pagos*. Vertacomacoras vero fuiſſe Pagum Vocontiorum, qui Galliæ Narbonenſis Populi ſuere, idem Plinius docet loco citato; qui etiam Novariam in Regione XI. poſitam, dixit. Antiquiſſimam, vel ex hoc fuiſſe Urbem vides, cum ejus origo referenda ſit ad priſcos illos Populos, qui hanc occupavere Regionem, antequam poſteriores Galli, ipſam invadarent, ac poſſiderent, quibus poſtea devictis eam occupavere Romani. Plinius jam citatus lib. 17. cap. 27. de vitium Cultura ſermonem habens, ait: *Novarienſis Agricola Traducum turba non contentus, nec copia ramorum, impoſitis etiamnum Patibulis Palmites circumvoluit. Itaque præter ſoli vitia, cultura quoque Torva fiunt Vine*; Ex quo textu diſcimus jam primo a Chriſti nativitate Seculo, non ſolum Novariam extitiſſe, ſed etiam in agro Novarienſi Vitium Culturam floruiſſe, Vinumque ibi collectum, eandem vim ac robur habuiſſe, quam in præſenti conſervat. Vinum enim *Torvum* idem ſonat, ac Vinum *aſperum*, *& immite*. Sed nunc optima in Agro Novarienſi colligi vina, unicuique notum eſt. Celebrantur præ ceteris quæ in Agris Agamii, Mayoriæ, Nibiolæ, Grignaſchi, Burgi Mainerii creſcunt; Farræ vero Siciani, Barengi, Romaniani ac Brionæ Vina, ad ſecundum vel tertium ſervata annum, optima fiunt.

Novariæ duplex occurrit mentio in Itinerario Antonini; prima in itinere a Mediolano per alpes Grajas Viennam, quæ Urbs eſt in Gallia Narbonenſi ad Rhodanum Fluvium, hodie *Viennæ*, ſecunda in itinere a Mediolano per alpes Penninas, Mogontiacum, ut videre licet in Itinerario Antonini Auguſti, edito curante Petro Weſſelingio, pag. 308. & pag. 350. Ptolomeus etiam, qui anno circiter 150. Eræ Chriſtianæ florebat, Novariæ meminit Tabula Geographica ſexta. Hæc omnia Novarienſis Urbis antiquitatem teſtantur abunde.

Nec deſunt marmorea Inſcriptionum monumenta ad ſeros duratura Nepotes, quæ Novarienſis Urbis antiquitatem, ac nobilitatem ſimul teſtantur, ut infra oſtendam. Authoritate Cornelii Taciti jam ſupra vidimus Novariam primo Eræ Chriſtianæ ſeculo, inter firmiſſima Tranſpadanæ Regionis Municipia, reputatam fuiſſe; ideoque jam tunc ex dignitate *Coloniæ Latinæ*, ad *Coloniæ Romanæ* dignitatem deductam, ut ſupra obſervatum eſt, & ex hac ad Municipii majeſtatem evectam. Quæ autem unicuique tributa fuerint Privilegia, ſi audire non diſplicet, hæc ſunt. *Coloniæ Latinæ* erant, quæ jus habebant Latii, ſeu Latinitatis, quod in eo conſiſtebat, ut ſuffragiorum poteſtatem, Magiſtratu permittente haberent; Et ſi in Latina Civitate, ſeu Latii jure donata Magiſtratum geſſiſſent, Cives Romani, ut fierent. Coloniæ vero Romanæ ſeu Civium Romanorum fuerunt, quæ donatæ

natæ ſunt jure *Quiritum*. Hoc eſt quæ jus privatum Civium Romanorum habuerunt, quod conſiſtebat in jure privatæ libertatis, connubiorum, jure patrio, jure legitimi Dominii, ut hæreditatis, mancipii, & nexus uſucapionis, & reliquorum; item in jure teſtamentorum, & tutelarum. Jura vero publica Civitatis Romanæ non habebant. Quare qui eo adſcripti Coloni erant, nomine quidem erant Cives Romani, re vero Coloni. Vide Roſinum Antiquitatum Romanarum lib. 10. cap. 22. Municipia vero, primeva retenta libertate ac Romanis non obſtricta legibus, propriis legibus vivebant. Ideoque Municipium, Opidum erat, jure Civium Romanorum donatum. Feſtus tradit, Municipium, genus id hominum dici, qui cum Romam veniſſent, neque Cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, una cum Romanis Civibus, præter quam de ſuffragio ferendo, aut Magiſtratu capiendo, ſicut fuerunt Fondani, Formiani, Acerrani, Lanuini, Tuſculani, qui poſt aliquot annos, Cives Romani effecti ſunt. Vide Roſinum ſupra citatum, vide Sigonium de antiquo Jure Italiæ lib. 2. cap. 8.

Scio equidem quæſtionem fuiſſe apud Eruditos ſatis pervulgatam, utrum *Municipia Coloniis* ſint præferenda; Scio de hac re acriter diſceptatum fuiſſe circa annum 1550. cum ardens agitaretur lis inter Papienſes & Cremonenſes, de primatu contendentes, Papienſibus, præter cætera argumenta, jus *Municipii*, quo eorum Urbs a Romanis decorata fuerat, longe nobilius eſſe jure *Coloniæ*; Cremonenſibus conceſſo, propugnantibus; Cremonenſibus vero, Coloniarum Conditionem, Municipiis præferendam, *Agellii* authoritate & teſtimonio, afferentibus. Quæſtionem de Primatu inter eas Urbes hactenus non definivit Mediolanenſis Senatus; quæſtionem autem inter Eruditos, antiquorum Scriptorum teſtimoniis ac ſolidiſſimis argumentis, tandem in favorem Municipiorum deffinivit hoc ſeculo vir doctus, Joannes Paulus Mazuchellus ex Congregatione Somaſchæ in Opuſculo, cui titulus: *Novaria in Tribu Claudia, diſſertatio Juſti Vicecomitis*, quo nomine perſonatus in arenam deſcenderat contra Antonium Gattum. Sed utrum Municipii vel Coloniæ præſtantior fuerit conditio, præclariſſimæ Novarienſium Urbi nihil intereſt, cum utramque obtinuerit dignitatem, ut ſupra demonſtratum eſt.

Novariam vero dum Colonia eſſet, ſuffragia tuliſſe in Ornatiſſima Tribu *Claudia*, manifeſtum eſt ex Incriptionibus, quas ad Calcem Novariæ Sacræ Caroli a Baſilica Petri, congeſſit Paulus Galaratus J. C. C. Novariæ. Tribus autem Claudia numero undecima eſt, apud Jo. Roſſinum Antiquit. Roman. lib. 6. cap. 15. Ejus ex vetuſtioribus Hiſtoricis meminerunt Dyoniſius Halicarnaſſeus lib. 5., & T. Livius lib. 2., ex Poetis vero cecinit Virgilius lib. 7.

Ecce

Ecce Sabinorum priſco de Sanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar
Claudia nunc a quo diffunditur, & Tribus, & Gens
Per latium &c.

Cuique notum eſt antiquæ eruditionis etiam Tyroni litteras punctis diſtinctas, & mutilas dictiones, quæ in antiquis Inſcriptionibus occurrunt, dummodo locum teneant, ſeu potius ſint poſitæ poſt nomen gentilitium, & ante cognomen, ſemper *Tribus* nomen indicare: Vide Sertorium Urſatum in Comment. de Notis Romanorum. Hoc poſito recole Inſcriptionem a Galarato n. 1. relatam, quam hic afferre in Lectoris commodum placet.

C. VALERIVS C. F. CLAVD. PANSA FLAMEN
DIVORVM VESPASIANI TRAIANI HADRIANI PP. BIS.
TRIB. COH. VIIII. PR. PROC. AVG. PROVINC. BRITANNIAE
BALINEVM QVOD VI CONSVMPTVM FVERAT AMPLIATIS SOLO
ET OPERIBVS INTRA BIENNIVM PECVNIA SVA RESTITVIT
ET DEDICAVIT.
IN QVOD OPVS LEGATA QVOQVE REIP. TESTAMENTO,
ALBVCIAE CANDIDAE
VXORIS SVE H-S CC. CONSENSV ORDINIS AMPLIVS
EROGAVIT.

Cajus Valerius Caii Filius Claudia (hoc eſt ex Tribu Claudia, ut jam præmonui) *Panſa Flamen Divorum Veſpaſiani, Trajani, Hadriani Pontificum, bis Tribunus Cohortis Nonæ Prætoriæ, Procurator Auguſtalis Provinciæ Britaniæ Balienum, quod vi conſumptum fuerat, ampliatis ſolo, & operibus, intra biennium pecunia ſua reſtituit, & dedicavit, in quod opus legata quoque Reipublicæ, teſtamento Albuciæ Candidæ Uxoris ſuæ Heris ſeſtertia ducenta conſenſu Ordinis amplius erogavit*. Seſtertia hic non Seſtertios legendum eſſe clare patet. *Seſtertius* enim, nec trium quidem Mediolanenſium, ut Vulgus nominat, ſolidorum valorem æquat; Seſtertium vero neutro genere ſumptum, vigintiquinque ex noſtratibus ſcutis, valorem proxime attingit, quolibet ſcuto pro ſolidis centum viginti; computato. *Seſtertius* itaque ad *Seſtertium*, eſt quo ad valorem proxime, ut numerus 1. ad 1000., hoc eſt mille Seſtertii valent unum Seſtertium. Vide Budeum.

Se-

Sequentes etiam refert Galaratus Inſcriptiones, primam n. 12. ex Gruthero pag. 736., alteram vero n. 27., quam etiam modica diverſitate ediderat Grutherus pag. 343.

M. PHILOCLVS. M. F. CLA.
MARCELINVS . SIBI . ET
PHILOCLO . SEVER . PATRI . ET
LVCIAE . DRVSI . F. MATRI . ET
FLORENTINAE . HERENNIAE
VXORI . ADIVTORIO . MATRIS.

Altera hæc eſt.

T. ACCELIO . CLA .
INGENVI F. PATRI
ET CAPRONIAE.
CICERONIS . F. VERAE
MATRI . OPTIMAE . ET
T. ACCELLIO . T. F. CLAVD.
IVLIO . FATRI . VI. VIRO
ET . STATVTIAE . L. FIL
VALENTINAE . VXOR . IVLI . ET
T. ACCELLIO . T. F. CLAVD:
VERO . DECVRION . ET
ACCELLIAE . T. F. IVLIAE
FILIS EORVM
T. ACCELLIVS . VERRINVS
FACIENDVM . CVRAVIT.

Habes in prima Inſcriptione M. *Philoclum Marcellinum*, in ſecunda T. Accellium Ingenuum, T. Accellium Julium, & T. Accellium Verum,

Tribui Claudiæ adſcriptos ex Marmoribus Novariæ, aut in ejus Agro defoſſis; quod utique Novarienſes in dicta Tribu ſuffragia tuliſſe demonſtrat; maxime cum T. Accellius in ultima inſcriptione, *Decurio* nominetur; quæ dignitas extero homini, nullimode niſi per Privilegium competebat.

Quod ſi inter Marmora a Galarato edita, occurrat Inſcriptio aliqua, quæ diverſam a *Claudia* præferat Tribum, hanc extero homini Novariæ, Officii, Militiæ, Mercimonii, ſeu alia de Cauſſa degenti, ſpectare pro comperto habeas, ut docte non minus quam evidenter oſtendit Mazuchellus jam citatus pagina 109. & ſequentibus, adducto exemplo Inſcriptionis apud Galaratum n. 24., quam hic in Lectoris commodum ſubdo.

MERCVRIO
LVCRORVM POTENTI
ET CONSERVATOR. SACR.
C. GEMETINVS C: FIL.
QVI. VALERIANVS
IIIIVIR. A. P. PRAEF. I. D.
C. . . . . GEMET
VALERIANVS SECVN. . . .
VALERIA . . . S . . . . 15.
EX VOTO DONVM
PO VIT ET DICAVIT
L. D. D. D.

Lapis utpote vetuſtate exeſus, in integrum legi non poteſt, lapicidæ inſuper, ſeu forte amanuenſis errore vitiatus eſt linea ſexta, quam ſic ſcriptam, vel ſaltem ſcribendam fuiſſe non dubito.
IIIIVIR. A. P. PRAEF. I. D., hoc eſt. *Quatuor Vir aedilitia Poteſtate Praefectus Juri dicundo*. Vides hic C. Gemetinum, Caji Filium, Votum Mercurio poſuiſſe, locum autem datum fuiſſe Decreto Decurionum; non aliud enim litteræ ad Calcem lapidis poſitæ L. D. D. D. ſignificant, *quam locus datus Decreto Decurionum*, ut cuique notum eſt. Vides Virum Tribui *Quirinæ* adſcriptum, non aliter enim legi debent quarta, & quinta Inſcriptionis lineæ, quam hoc modo: *Cajus Gemetinus Caji Filius, Quirina, Valerianus*. Vides denique virum exterum, diverſæ a *Claudia* Tribui adſcriptum, Novariæ votum ſolviſſe Mercurio.

Sed

Sed ſi quis forte dubitet Marmora a Galarato collecta, in quibus *Claudia* nominatur Tribus, non ad Novarienſes, ſed ad exteros ibi aliqua de cauſſa degentes, ſpectaſſe, conſulat Inſcriptiones ipſas præcipue poſitas n. 21., 49., 50., 51., 52., ibique *Novarienſes*, non dubiis notis, nominatos inveniet. Aliam etiam Inſcriptionem in Comenſi Lapide videre licet apud Gruterum pag. 393., in qua ſic leges:

M. AEMILIO COELIO
COELIANO DECVR.
MEDIOL. ET NOVAR.

Vides præterea ex hac Inſcriptione, antiquitus Novariæ non defuiſſe Decuriones, quod ejus Nobilitatem etiam ſub Romanis demonſtrat, prout etiam in præſens, ex maxime Illuſtribus, ac cenſu pollentibus Familiis, non deſunt. Quamvis enim, ut ſupra jam oſtendi, Novaria fuerit primo *Colonia Latina*, poſtea *Colonia Romana*, ac tandem *Municipium*; Antiquorum tamen Scriptorum teſtimonio conſtat, quod Coloniæ omnes, tam Latinæ, quam Romanæ, ſimulque etiam Municipia, veluti Urbis Romanæ effigies quædam, & ſimulacra, jure creandorum ſibi Decurionum fruebantur. Quod etiam clare evincitur ex citati Galarati Inſcriptionibus, ac præcipue n. 24., & 51.


Concilium etiam antiquitus habebant Coloniæ, & Municipia, in quo ut in præſenti, locus nemini plane erat, niſi ſolis Decurionibus, ex quibus præter *Cenſores*, *Ediles*, & *Queſtores*, educebantur *Duumviri*, aut *Quatuorviri juri dicundo*, qui in Coloniis æque, ac ampliſſimis in Municipiis iidem omnino erant, qui Romæ Conſules, teſte Paulo Manutio, in Epiſt. Famil. Ciceronis lib. 8. epiſ. 1. Hinc Decuriones & ipſi, uno eodemque modo prorſus ſe habebant, ac in Romana Urbe *Patres conſcripti*.

Nec defuiſſe Novariæ ſpectabilem *Duumvirorum* Magiſtratum, probat ſequens Inſcriptio apud Gudium, ex Codice MS. Ligorii, quam Galaratus non vidit:

IOVI . IVNONI . MINERVAE
TVT . NOVARIAE
M. AQVILIVS . Q. F. FLORVS
T. CLAVDIVS . TI. F. DRVSVS
IIVIR. COL. NOVARIENSIS . AUGUS.

Hæc de Antiquitate , ac Nobilitate ſpectatiſſimæ Novarienſum Urbis , dixiſſe juvet, ut Fabula de ejus origine , in Azarii Hiſtoriam perperam , ut puto , intruſa radicitus explodatur . Plura etiam in illius laudem adjicere poſſem , ac illuſtres Scientia , dignitate , ac armis viros , quos genuit recenſere , niſi hoc a Lazaro Auguſtino Cotta jam factum ſcirem in Muſeo Novarienſe ; Cujus tamen libri exemplaria adeo rara nunc ſunt , ut Novarienſium Gloriæ interſit , novam ejuſdem procurare editionem . Interim ſi quis plura de Antiquis per Italicas Urbes Magiſtratibus , ac dignitatibus ſub Romano Imperio ſcire deſiderat , conſulat Sigonium , Gothofredum , alioſque Scriptores, inter recentiores vero Clar. March. Scipionem Maffejum in Verona illuſtrata , & Clar. Virum Auguſtinum Campianum, in Taurinenſi Gymnaſio Legum Interpretem .

Addere interim liceat, Jus etiam *Cudendæ Monetæ*, aliquando Novariam habuiſſe , cum Muratorius Antiquit. Italic. Medii Ævi T. 2. col. 708. , hæc habeat : *Unum tantummodo Nummum offendi* Novarienſi in Urbe *percuſſum atque in Muſeo Bertacchinio Mutinæ adſervatum , crux ibi viſitur , & circum litteræ* NOVARIA . *In altera facie tres tantum litteræ in Area conſpiciuntur .*



nam quæ circumſtabant in Epigraphe , tempus abſumpſit . In Typo tamen apparet quod litterarum , quæ in Epigraphe erant , duo ultimæ ſuperſunt , nempe OR. Quid ſi ultima litterarum , quæ in Area poſitæ ſunt , non C. , ſed G. eſſet ? Hunc enim errorem propter Characterum ſimilitudinem, facile delineator committere potuit. Tunc certe legerem *Sanctus Gaudentius* , & in epigraphe , *Protector* . Typum ex Muratorii loco citato exacte deſumptum , Lectoris ante oculos hic ponere placet , cum ejus conſpectus conjecturam comprobare , ni fallor , videatur , potiſſime cum Sanctum Gaudentium omni tempore Novariæ Protectorem fuiſſe , conſtet , neque alium Sanctum , cujus nomen littera C incipiat , diſtincto cultu Novariæ veneratum unquam fuiſſe , viderim .

Similia autem exempla in Nummis aliarum Civitatum paſſim invenies , apud Muratorium Tomo citato . Mos enim invaluerat apud pleraſque Civitates , quæ cudendæ Monetæ jus habebant , in illis , Sancti earum Patroni imaginem , ſeu nomen inſcribere . Vide Muratorium ſupra citatum Antiquit. Italic. T. 2. pag. 587. in Monetis Papienſibus n. 23. Sanctum Sirum , in Nummo Argenteo ; Vide pag. 599. alterum Sancti Siri Papiæ pariter argenteum n. 22. Vide ibidem in Nummis Mediolanenſibus Sanctum Ambroſium n. 27. , 28. , 29. 31. , pluraque ſimilia exempla pag. 607. , 609. , 611. Pariter in Monetis Venetis cernere eſt Sanctum Marcum , pag. 651.,

novi incolæ regere ſub beneficio Conſulatus. Et primo circa ipſam Civitatem muros altos brachiis ſex ſuper terram, & de lapidibus corruptis ac ſilicibus fractis, parietes conſtruxerunt, ut apparent. Deinde acquirentes diſtrictum, & contra quoſdam Nobiles debellantes, diſtrictum ampliando & Caſtra diruendo, majorem reddiderunt. Alii Conſules dictum murum circum circa erexerunt, ipſum aliquibus novis lapidibus coctis murando, & ſic per conſequens murum dictæ Civitatis alia vice, ſicut apparet, finierunt. Præterea prædictis Conſulibus regnantibus, & homini-

651., 5., 7., 8., 11., 12., 13., 15., 19., 21., 22., ac ne uſque ad tædium prolixior ſim, conſule prædictum Muratorii Tomum, conſule Clar. Argellatum de Monetis Italiæ, Parte 3., ac omnibus fere præcipuis Italiæ Urbibus Solenne fuiſſe comperies, Sancti Patroni nomen, propriis Nummis inſcribere. Tres alios Nummos Novariæ nomen præ ſe ferentes cuſos fuiſſe, adhuc ſuperſtites, refert Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſeo Novarienſi pag. 143., & ex eo Clar. Argellatus de Monetis Italiæ Parte 3. in Appendice. Primus Argenteus eſt valoris ſolidorum 15. Sancti Gaudentii imaginem in antica parte habens, cum Epigraphe *Sanctus Gaudentius*, in poſtica vero imaginem Galeatii Vicecomitis, (nempe ſecundi) ſub qua legitur *Novaria*. Hunc cuſum fuiſſe, poſtquam Galeatius eam Urbem ex manibus Joannis Secundi Marchionis Montisferrati recuperavit, circa annum 1358., autumo: Secundus Æneus ſolidi unius valoris; tertius ejuſdem metalli, ſolidos duos cum dimidio valens: Ambo Petri Aloyſii Farneſii, Novariæ Marchionis primi, nomine cuſi. Hic autem vitiis ac violenta morte notus Princeps, Novariæ Dominium a Carolo V. Cæſare obtinuerat, Diplomate dato Barcinonæ die 27. Septembris anno 1538. Sed hos nummos Principum auctoritate cuſos poſteriori tempore, nihil ad rem facere quiſque videt.

Ignoſcat interim Lector, ſi hanc notam ultra congruos limites protractam videt; hoc enim ad expungendam Fabellam, in Azarii textu intruſam, opportunum eſſe credidi. Adde etiam quod cum Novaria Azarii Patria fuerit, ac ipſe in ſua Hiſtoria Novarienſium res fuſius proſequatur, non extra locum eſſe ratus ſum, hic ea referre, quæ antiquiſſimæ Urbis gloriam augent, ejuſque extollunt nobilitatem, præcipue cum ab aliis Scriptoribus hæc neglecta plerumpue viderim contra Antiquarum plerumque Urbium conſuetudinem, quibus nihil magis cordi ſemper fuit quam, quod propriæ Nobilitatis gloria a nemine ignoraretur. Adde quod eidem Urbi, non uno titulo, me aſtrictum cenſeam.

minibus locorum diruptorum in ipſa nova Terra reductis, nulla in Vallibus ſuperioribus nunc noſtris poſſidebant. Dicti Nobiles dedignati de iſto populari ſtatu guerram faciebant, in quibus vallibus, detracta Valle Sicida, & præcipue Oſolæ Lacus Majoris, Vemeniæ, & Ripariæ, erant tres Domus, quarum primitus una fuit Nobilium & arduorum Virorum, unus quorum prænomine dicebatur Barbavaria, ſecundus Cavalcaſſella, & tertius Crollamons. Et tota erat Domus Nobilium de Caſtello, habentium in Terris ſuis merum & mixtum Imperium, & omnimodam poteſtatem. Et prædicti Conſules propter diſcordiam ipſorum alternative acquiſiverunt partem; & primo Barbavariæ, pro qua habuerunt Terras Palentiæ, Intri, & univerſitatis Valentraſchæ ſuper Lacu Majori & Streſiæ in Vergante, & univerſam Oſolam diſtrictus Novariæ cum vallibus ſibi ſubjectis, & cum Gravarona, Guillengo, & pluribus aliis locis, videlicet & Marano in partibus inferioribus. Et ipſos Cives & Nobiles fecerunt, reſtitutis Caſtris & fortalitiis eorumdem. Et in ipſa Civitate cœperunt permanere, & permanent de præſenti tamquam boni Cives.

Deinde habere Epiſcopum curaverunt. Et qui primitus Epiſcopus Novarienſis dictus fuit .... (127) ut titulo Civitatis Novaria mereretur inſigniri. Cui tradiderunt in dote poſſeſſiones, quas de præſenti poſſidet in Varazia, Paglaina, & paucas in Veſpulate, honores Comitatus Pombiæ,

(127) Sanctum Gaudentium primum fuiſſe Novariæ Epiſcopum, cuilibet notum eſt, eumque circa annum Chriſti 417. obiiſſe, probat Carolus a Baſilica Petri Novariæ Sacræ pag. 245. Miror Azarium Novarienſem virum hoc ignoraſſe, niſi forte deficiente ibi textu, ejus, hac de Cauſſa, non legatur nomen: Si tamen non ignoravit, cur tam inſulſam, ac recentem Novariæ Originem attribuit? Niſi forte quis credat Fabellam hanc in ejus textum, ab imperito, ac male feriato aliquo amanuenſe, intruſam fuiſſe, ut ipſe puto.

biæ, quaſdam poſſeſſiones in Romantino, & univerſas decimas & primitias diſtrictus acquiſiti & acquirendi per Novarienſes. Epiſcopus ille parvam Cellulam habebat & parvam familiam, non tamen palatia, ſicut de præſenti habet. Acquirentes alia jura univerſalia pro Communi Agabii in Pombienſi diſtrictu, & Ceredano, deinde partem illius Martini dicti Cavalcaſellæ acquiſiverunt, & poſt ipſum Vemenia cum Cruxmala tunc Caſtro & Plebanatu, & Vallem ibidem Stronæ, Montem Meſinæ cum pertinentiis, Gategum cum pertinentiis, Plebem Agratæ, Agamium cum pertinentiis. Et moriens ſine heredibus prædictus prænomine Crollamons, Comitatum ſuum Epiſcopo Novariæ reliquit in partibus Oſolæ & Ripariæ. Et deinde Epiſcopus Novarienſis dictus eſt Comes propter Comitatum Oſolæ. Deinde orta fuit maxima diſcordia inter Comites de Blandrato, quorum Domus potentior Novariæ erat, pro eo quod dicti Comites univerſas juvenes formoſas volebant fornicare in Valle Sicidæ & fornicabant. Prædicti autem ruſtici Vallis Sicidæ capta hora ipſos detinendo occiderunt. Et ſubito eorum Caſtra pulchra & fortia ultra modum diruerunt, & Communi Novariæ ſub certis pactis adhæſerunt, & ſtant ſub primis pactis de præſenti, recuperatis propter ea Carpignano & pluribus aliis locis, & dirupto Blandrato. Item a Marchionibus de Romagnano acquiſiverunt Romagnanum, Pratum, Seramontem, Grignaſcum, Aram, & plura alia loca. Reliquas autem alias acquiſiverunt tam a Confaloneriis quam a Capitaneis, & tunc temporis Caſalegium erat diſtrictus Vercellarum, & Caſalgualonum diſtrictus Novariæ. Et facientes cambium diſtrictuum, nomen tranſumſerunt, & Eccleſiaſticæ libertates iterum durant. Regnantibus autem Novariæ prædictis Conſulibus, jus redditum fuit primo ſub una volta Eccleſiæ Sancti Dionyſii, nuper deſtructa. Deinde juſtitia reddita fuit ſub voltis Eccleſiæ Paradiſii Sanctæ Mariæ Majoris; ex quo Cano-

nici

nici tantum infeſtabantur clamoribus, quod divina Officia occupabantur, & oſſa ſepultorum ſuppeditabantur adeo quod Dominus Franciſcus de Lando tunc Poteſtas Novariæ Palatium erexit novum, & alter ſuus nepos etiam cameram curriculi addidit; ſicut eſt de præſenti. Durantibus autem Conſulibus, ſemper noſtra Civitas acquiſivit. Regnantibus vero Poteſtatibus ſemper declinavit. Stantibus autem pluribus Nobilibus ad unam plateam, ex quibus Ubertus Torniellus nominatus, quia ſuo tempore infinitam juriſdictionem dicto Communi Novariæ acquiſivit, orta fuit quæſtio inter ipſos de Torniellis, & alios de Bruxatis, tamquam contendentes de paritate. Nam ſemper invidia oritur inter pares. In qua quæſtione Bruxati plures occiderunt ex ipſis de Torniellis. Demum dicta Domus Torniellorum ſublevata fuit per Epiſcopum Englexium, qui ſecum duos ſuos nepotes habebat de Torniellis. Et quamvis ipſe Dominus Epiſcopus eſſet de Caballaciis, parentelam Torniellorum ſublevavit. Et iterum prædicti de Bruxatis alio tempore ad unam cœnam reliquos de Torniellis occiderunt. Inter quos deinde orta fuit quæſtio, quod una Domus, videlicet Torniellorum Gibellina fuit, & dicta pars Rotunda, reliqua vero Bruxatorum Guelfa (128). Quibus contradicentibus pars Caballaciorum multum crevit propter potentiam duorum Epiſcoporum, videlicet Englexii, & Sigembaldi, qui ſapienter & diſpenſate ſe gerentes addiderunt plures domos Nobiles de Novaria ſuæ domui, eadem inſignia portantes, videlicet Caballum. Nomina additorum fuerunt hæc: Magii, Panes, Armotti, Baliotti, Domini de Caſalino, Lamberti,

(128) Novariæ nomina Factionum erant, *Sanguinei*, in qua *Bruſati* & *Lambertenghi*, potentiores, & erant partis *Guelfæ*: *Rotundi*, in qua *Tornielli*, qui erant partis *Gibellinæ*, & hæc circa annum 1257. Vide Caroli a Baſilica Petri Novariam lib. 2. pag. 404.

berti, & reliqui. Dederunt prædicti duo Epiſcopi Nobilibus in univerſo diſtrictu Novariæ in locis, ſicut habitabant, Decimas ad feudum gentile ſine aliqua ſolutione (129); & univerſam partem Guelpham, ſicuti Spelorcios & Manionos in Oſcella & Valle Sicida habuerunt; ſalvo quod tunc Ferrerii Guelphi erant, Spelorcii & Tornielli Gibellini. Sed propter certos errores tunc cambiaverunt. Tempore autem illo Dominus Aymericus de Ocuxinallo (130) Papienſis fuit Capitaneus partis Rotundæ Gibellinæ, innixæ Torniellis. Et tam prave ſe geſſit, quod fuit interfectus in conflictu ad Bicoccam per homines Novariæ. Nam dicitur, quod duci faciebat plauſtrum unum onuſtum Scarionibus (131), pro eruendo Novarienſibus oculis. Et

Dd de-

(129) Plures etiam nunc, inter Novarienſes Nobiles Familias, ſibi addictorum locorum *Decimas* poſſidere, notum eſt; a quo autem Epiſcopo, & quando, has conceſſiones obtinuerint, præſens Azarii textus evidenter declarat. Sigebaldus Epiſcopus vivebat anno 1261., Engleſius vero anno 1288., Vide Caroli a Baſilica Petri Novariam pag. 401., & 415. Quapropter, qui has *Decimas* poſſident, ſuas familias jam ab eo tempore inter nobiles, ac præcipuas Urbis fuiſſe, gloriari jure merito poſſunt.

(130) Lege de Cruxinallo.

(131) Du-Cangius in Gloſſario, *Scariones*, Oſtiarios fuiſſe opinatus eſt, dicit etiam crebrius ſumi pro *Miniſtris Judicum*, vel certe pro *Minoribus Judicibus*. Muratorius vero Antiquit. Italic. T. I. col 133. & ſeq. ſolidiſſimis, ut ſolet, rationibus oſtendit *Scariatum fuiſſe Præfecturam complectentem varias ſervorum familias, quibus præerat Scario*. Scariones itaque, homines fuiſſe Prædiis, Serviſque, qui eadem colebant, Præfectos; quod pluribus antiquorum documentorum teſtimoniis probat. Nomen etiam ex Germanico *Schaar*, quod Turma (unde manavit Italicum *Schiera*) ſignificat, derivatum putat: quaſi Scario is vocaretur, qui præeſt Servorum *Scaræ* ſeu Turbæ. Pater de Aquino in Lexico Militari, *Scariones* Militum genus eſſe dicit, & quidem prænobile, nempe Præfectos *Scararum*, quæ ſunt Agmina Militum; quod quidem tempore diverſo ab eo, cujus exempla citat Muratorius, evenire potuiſſe, non inficior.

Sed

deinceps hi de dicta Domo in Novaria fuerunt Guelphi, & in Papia Gibellini. Prædicti autem de Caballaciis multos Nobiles habebant ſeparatos de eorum Domo. Domus mea, & illorum de Foſſato, & multorum aliorum, fuerat de ſuis, qui noluerunt adhærere Bruxatis in rumore Anni MCCCXI. quibus adhæſerant Domini Caballacii, ſperantes quod Tornielli & pars Gibellina, quæ vires inſtauraverat, non poſſet labores ſuſtinere. Sed non bene elegerunt Caballacii ſe jungendo Bruſatis, quia ſi iſti guerram feciſſent, alias Domos Novariæ excederent, quia per ſequentia deſtructi quaſi ſunt in havere & perſonis, & paſſi ſunt deſtructionem infraſcriptarum Fortalitiarum, quarum nomina ſunt: Burgus Seſii muratus, Cruſinallum, Upalium, Turris Spinazariorum, Gattegum, Briga, Verganum, Gargallum, Caſtrum Tabarinum, Marzaleſcum, Fognanum, Caſtrum Bochæ, Reveslatum, Mazatum ſuperius, Mazatum inferius, Bugorium, Comignagum, Gagnagum, Pumbia, Jalnagum, & Agamium: omnia in diſtrictu Novariæ, captis ſingulis iſtis Fortalitiis per obſidionem a Gibellinis poſitam (132). Quæ tamen non fuerunt ſine magna difficultate, quia pars Gibellina ſolam Fortalitiam non habebat, ſed poſtquam acquiſiverat Civitatem Novariæ; prædicta deſtruxit ſuo tempore. Conflictus in eadem Civitate

---

Sed hæc omnia nihil ad explicandum præſentem Azarii textum inſerviunt; ea tamen indicare placuit, ut Lector nullo labore, hujus nominis varias intelligat ſignificationes. Quid enim cum prædictis, comune habet: *Plauſtrum unum onuſtum Scarionibus pro eruendo Novarienſibus Oculos*? Scariones Azarii, nihil aliud ſignificant, quam Polos, uti ſenſus ipſe indicat. Pali autem etiam in præſens, in Novarienſi Provincia, vocantur Vulgo *Scarioni*. Ita ut ſi Azarius ſe Novarienſem, ut ſæpius facit, non declaraſſet, ex hujus vocis uſu, talem eſſe jam cognoviſſem.

(132) Ex præſenti textu evincitur, prædictorum Locorum Munitiones & Mœnia poſt annum 1311., deſtructas fuiſſe.

tate duravit a Calendis Decembris uſque ad Calendas Junii MCCCXI. Qua die Bruſati & Caballacii cum ſequacibus receſſerunt, ſe ſe reducentes ad prædicta Caſtra & Burgos, ſpe allecti, quod Gibellini ſuſtinere non valerent ipſorum Guelphorum potentiam & Vercellenſium, in quibus decem Guelphi erant pro uno Gibellino. Sed Gibellinis profuit ſenſus Domini Henrici Tornielli, & etiam quia Dominus Franciſcus Malaſpina Marchio de Pizzo de Corno Poteſtas erat Novariæ, & Gibellinus habuerat capere infraſcriptas Terras diſtrictus Vercellarum, quæ ſub confinibus Novariæ erant; nempe Serravallæ, Lentam, Receptum, Arborium, Blandratum. Et iſta de præmiſſis dicta ſufficiant, ut redeamus ad nova narranda.

Nam mortuo præfato Domino Joanne Archiepiſcopo, dominium Civitatis Novariæ Dominus Galeaz Vicecomes habuit, & perdidit, & ad manus Marchionis devenit, ut ſuperius eſt deſcriptum. Quo dominio ad manus prædicti Marchionis devento, voluit ipſe Marchio habere ab Univerſitatibus & ſpecialibus perſonis fidelitatem, & a Communibus per Syndicos, & a ſpecialibus per ſe, vel Procuratores. Et ad hoc coacti fuerunt præſtandum, & per Notarios publicos reducendum in ſcriptis. Cœpitque univerſos Officiales mutare. Domino Ubertino Torniello quondam Domini Lanfranchini dedit Poteſtariam Vallis Sicidæ cum utilitatibus conſuetis. Poſuit Caſtellanum in Pombia. Odicinus Torniellus antedictus ope Joannis Savii recuperavit Caſtrum Vergani. Poſuitque in Caſtro Novariæ Caſtellanum; & ſic in Ceredano, Burgomaynerio, Olegio, Agamio, Burgo Lavezario, Vicarios poſuit, & ubique, ubi vel Vicarius, vel Officialis poſceretur, & præcipue de ſuis Monteferratinis. Dicitur quod ſuis diebus habuit in Novaria XXVII. Capitaneos. Et ſic firmato pede habuit de Novarienſibus exſtirpandis procurare. Entratis ordinariis alias

non conſuetas adjecit: deinde tales (133) ponendo, cœpit apud nonnullos regnare ſicut Nero. Libertates Communis Novariæ vendidit, oppignoravit ſive voluntarie, ſive invitus. Et ſic cœpit homines conculcare. Habuit primum Poteſtatem raptorem, & omnes Officiales, nemine diſcrepante. Subdolis verbis, & ſemper prædicando faciebat ipſe rapi unitim & ſejunctim. Oblationes & eleemoſynas publice largiebatur, & clam homines prædabatur. Deinde poſt aliquod tempus, reſtituit tacite Torniellos ex parte ſua jam expulſos, nec non Bruſatos, & Caballacios, cœpit de Populari ſtatu procurare, dicens, quod ſicuti Papienſis Civitas nuper regebatur ſine Tyrannis, ipſe volebat eodem modo Novariam regi. Et dato ordine ſuo, ut decreverat, ſimplices Novarienſes non curantes de futuris ita animati fuerunt, quod credebant ipſum Deum. Nec unquam ipſe, nec ſui verum dixerunt; & futura prætermittentes elegerunt Centuriones tot de parte Guelpha quot de Gibellina, licet fictitie dixerint ſe elegiſſe, quum vere ipſe elegerit. Et fuerunt hi, nempe Jacobinus Curtius, Joannes de Fabris, Thomas Merenda, Joanninus Prina, Roffinus de Capicta, Franciſcus Baldus, Gregorius Ferrarius, Franciſchinus Tettonus agnomento Barba, Philippinus de Scrivantis, Marchinus de Mortario, Andrinus de Lomeno, & Joannes de Foſſo. Quos ipſe nuncupavit Centuriones, & quibus voluit, ut præſtaretur obedientia uſque ad mortem, adeo quidquid agerent, eſſet factum. Ipſoſmet una veſte medietatis, & unis caligis, expenſis Communis, fecit indui, voluitque ipſos ſalariari. Vicarium generalem in Novaria habebat Dominum Nicolaum Cattaneum de Regio, Guel-

(133) Forte *Taleas*; quo nomine etiam nunc in Novarienſi Provincia, Tributorum Principi ſolvendorum, impoſitionem, vocant. Hic vero extraordinarias impoſitiones Tributorum, ſignificat.

Guelphum tantæ nequitiæ, & tantum Auctoriſtam, quod amara dulcia ex argumento probabat. Et ſic non ſua diſpenſando, & participato conſilio ceterorum Iudicum, qui ſibi adhærebant, in tantum inſtitit, quod Burgos Sanctæ Mariæ murare fecit, Burgum Portæ Novæ, Sancti Agabii totaliter; ſimiliter circum circa Sancti Stephani, Sancti Simonis, & Sancti Gaudentii partim reſpective murari fecit e lapidibus domuum diruptarum per eum, & quas dirui fecit extra fortalitias, & ſine ſolutione pretii, aut refectione detrimenti, & ex creta, quum nullo modo calx haberi poſſet propter guerram. Et certe tantos muros & tantam fortalitiam cum pontis levatilibus ad portas fecit in tam brevi tempore, non ſecus ac ſi univerſi duobus annis laboraſſent. Tunc dici potuit, quod Jacobinus de Valcemenia filius quondam Domini Petri recolebatur veluti Dominus Generalis Novariæ, ea pollens auctoritate, quam nemo Civium per centum annos retroactos nanciſci potuerat; nam quidquid ipſe decernebat de intratis, laboreriis, & cuſtodia, nullam prorſus patiebatur cenſuram.

Præfato igitur Marchione Nobiles Novariæ & diſtrictus in hunc modum conculcante, & gravia patrante, ac eoſdem depauperante, plurima pars Civium per plateas & alibi ducebat choreas, non advertens de doloribus ſucceſſivis. Etenim prædia extrinſeca diſtrictus inculta jacebant propter bellum, quod faciebat Dominus Galeatius a Terra Galliati, quam munierat, & perfido & improbo præſidio firmatam tenebat. Et quicumque Novarienſium incidiſſet in illius manus, peribat, niſi ſe redemiſſet in duplum ſupra ſuam potentiam. Et e converſo ſi contingebat, quemquam ex ipſis æmulis capi, honorabatur, & præcipue tempore prædicti primi Poteſtatis, qui ipſos potu & cibo refectos relaxabat illico. Imo Novariæ publice dicebatur, quod ipſe equos prædantes Novariam habebat in Galliato. Propter hæc & alia nefanda remotus fuit a Poteſtaria, & in

in Prætura fuit ei ſubrogatus Dominus Bartholomæus de Sancto Georgio Canapicii ex Comitibus de Blandrato, qui in munere perſeveravit uſque ad completum dominium Marchionis. Iſte Bartholomæus, quamquam gibboſus in ſpatulis fuit, fuit probiſſimus, & ſtrenuus ad pugnandum, diſcretus nimis, dilexitque Novariam & ſubditos. Et profecto dicere poſſum, quod vidi duos Prætores Novariæ liberos & probos viros, ſcilicet Ameum de Suardis de Bergomo tempore Domini Calcini, & prædictum Dominum Bartholomæum. Ceteros autem poſſum dicere fuiſſe prædones. Quibus diebus dictus Dominus Bartholomæus Novariam & diſtrictum ſatis bene gubernavit, & defendit a contradicentibus ex parte Domini Mediolani. Et certe ſi primus Poteſtas fuiſſet, Galliatum & alia loca in diſtrictu Novariæ poſſeſſa per Dominum Mediolani non feciſſent, ſicut fecerunt, & de quibus locis dicetur inferius. Nam quum a Marchione receſſiſſent fœderati, ejus potentia non fuit tanta, quin Dominus Mediolani alterum Galliatum novum ſuper ripa Ticini potuiſſet de novo conſtruere & defendere. Cujus Domini potentia vires Domini Marchionis excedebat in duplum. Propterea dictus Marchio poſt receſſum Domini Ugolini parum curavit de Novaria, nec deinceps eam umquam inviſit, ſed ſolummodo verba mittebat. Tunc miſeri Novarienſes facta ſua non curarunt facere cum Domino Mediolani, & proinde eis male ſucceſſit & merito. Etenim Dominus ille faciendo guerram poſſidebat in confinibus Novariæ & diſtrictus præter Galliatum & Viglevanum, Rezettum unum factum in Varallo Piombiæ, proditorie tamen acquiſitum, Caſtrum Gattici datum per Antonium de Gattico ſtantibus in Novaria Lanfranchino, Zuccono, & aliis conſortibus, quibus (excepto Domino Bonifacio, qui ipſo cum Antonio ſtetit) non dimiſit coclearia, quum redierunt. Poſſidebat Caſtrum Ponzanæ Guillielmi Varroni, tunc Mediolani exiſtentis ex primo-

moribus obſidibus. Quod Caſtrum Dominus Mediolani artificioſe acquiſivit. Quæ loca ſtipendiariis aſſidue firmata & munita, Novariam & diſtrictum infeſtabant. Nam Novariæ & in ſuburbiis latitabant beſtiæ (nempe Novarienſes, quos brutis cogor comparare) videntes & ſcientes ſe conduci ad macellum, in victimam offerri, & neſcientes reſiſtere. Sciebant ipſi certiſſime, quod ſuper campis Bianzati, vidente Joanne Savio, & pluribus de Novaria, quum exercitus Domini Marchionis potentior eſſet, Dominus Mediolani miſit præfatos Dominum Petrum Faſolum, & Dominum Pium de Lomeno legatos ſuos, qui fuerunt admiſſi. Sciebant poſtea, Dominum Ugolinum de Mantua & Dominum Joannem de Olegio cum Domino Mediolani concordiam habuiſſe, & Dominum Ferrariæ treguam habere. Sciebant etiam, Dominos Bononiæ & Mantuæ ſuos legatos miſiſſe Caſale & in Caſtro Caſalis, & mediante Pelagruvio egiſſe de concordio. Attamen obcœcati illecebris Marchionis, qui potius de rebus ſuis, quam de Novaria ſolicitus erat, ac illaqueati fallacibus verbis dicti Vicarii Nicolai Cattanei Regienſis, & fidem dantes fatuitatibus, quas ille Jacobinus de Valcemenia inſinuabat Centurionibus & aliis complicibus Guelphis, permiſerunt ſe divendi. Et quidem venditi fuerunt, & cum laqueo ad collum, tamen celato, in manibus Domini Galeatii fuerunt præſentati & merito. Ecquis enim fuiſſet tam pius Dominus, qui umquam ipſis peperciſſet, niſi Dominus Mediolani? Ipſi fuerunt cauſa efficiens tanti mali, & tot ſcandalorum. Sed ſe ſe excuſabant dicentes, quod non potuerunt propter malos Rectores: Et fuit verum. Neſcierunt a furcis paratis, ſcilicet calamitatibus, deviare, ſicut poterant ſine aliquo ſuorum periculo, & ad viam rectam & patentem reverti, & miſericordiam de geſtis impetrare. Nam tunc Dominus Mediolani vera & firma crediſiſſet quæ de Novarienſibus dicta fuerant, nec contrarium crediſiſſet, & de geſtis habuiſ-

buiſſet ipſos commendatos, totaliter parcendo, & inter caros tenuiſſet eos. Sed induratum erat cor Pharaonis. Et quod nefas erat, fas eſſe fecerunt. Et ſic eis, in eorum protervia & ſuperbia cervicoſa perſiſtentibus, Dominus Marchio tale poculum eis dedit bibere, quod univerſi & mali & boni & innocentes ob malignos una perierunt. Et Dominus Mediolani eos tales ſic cognoſcens, tot modis & taliter purgavit, quod ceteris erunt in exemplum & ſpectaculum. Nam ſi prima die, qua Dominus Mediolani ingreſſus eſt Novariam, innocentes Cives & diſtrictuales (deſerendo & dimittendo perfidos) tranſiviſſent concordes ad patrias cum perſonis & mobilibus eorum, bene illis eveniſſet; quum per ſolum corpus, ſicut narrat Æſopus, ab ingluvie ſua punitum defecerunt deinde cetera membra, & ſic ſucceſſit miſeris de Novaria. Et iſta ad hanc partem ſufficiant. Redeamus ergo ad propoſitum.

Tenebat Dominus Marchio Ceredanum Oppidum potentius ac firmius quovis alio de diſtrictu, ante introitum ſuum in Novariam ab incolis traditum, quodve erat repagulum & ſtimulus Domino Mediolani & Comitatui Mediolanenſi, præſertim pagis ejuſdem Comitatus Ticino adhærentibus. Nam prædicti de Ceredano dicti ſunt piſcatores. Et multi fuerunt, qui navibus Ticinum feliciter curſitabant & prædabantur pro libito in Terris Mediolanenſibus, ſe reducentes Papiam cum navibus & præda. Nec prædicta Dominus Mediolani poterat evitare, quia a Caſtelletto exiſtente ad fauces Lacus Majoris ad partes inferiores non ſinebant una cum Papienſibus præterlabi, & multum iſti Ceredanenſes, uti in medio conſtituti, damnificabant Galliatum & Viglevanum. Itaque Dominus Mediolani poſt recuperationem Novariæ Ceredanum, in quo octingenti homines habitabant, aptavit taliter quod ipſo cum zappis explanato gallus de præſenti non cantat nec gallina. Et merito. Tenebatque idem Marchio Olegium, Caſtrum Pumbiæ,

biæ, Burgum, Romagnanum, Agamium, Brionam, Calpignanum, Silavengum, Mandellum, Caſalinum, Fiſſarengum, & plura alia Caſtra, quorum partem præfatus Dominus Mediolani poſt recuperationem Novariæ fecit explanare (134). Dominante eodem Marchione, tam per ſuos quam per Dominum Mediolani fuerunt devaſtatæ in Novarienſi diſtrictu, aut ei adhærentes, Terræ infraſcriptæ, nempe: Burgumvetus, Burgum-novum (135), Sanctus Martinus, Vicolongum, Caſale Beltramum, Rezeta univerſalia, Caſſiolum, Sociagum, Trecatum, Camerum, Blunzagum, Maranum Villa, Varallum Pombia, Burgus Ticini, Comignacum, Arona, Invorium, Caſtelletum ſupra Ticinum Domini Ottonis, Burgus Agnellus, Briga, Maz-

E e zati

(134) Dominium Marchionis Montisferrati in Novaria incœpit die 8. Novembris anno 1356., ut Nota 116. dixi, ceſſavit vero probabiliter anno 1358. ut ſe credere dicit Carolus a Baſilica Petri in ſua Novaria pag. 487., & affirmat Codex MS. Laudenſis Annalium Mediolanenſium pag. 408,, de quo memini in Monito ad Lectorem. Benvenutus de Sancto Georgio in Hiſtoria Montisferrati R. I. T. XXIII. col. 354., dicit anno 1357. Galeatium Vicecomitem, & Marchionem Montisferrati, Caroli IV. Cæſaris judicio, eorum litium definitionem obtuliſſe, qui poſtea pronunciavit: A Marchione reſtituendam eſſe Galeatio Novariam, & Albam; a Galeatio vero dandam Marchioni Terram Novarum. (Italice *Novi* prope Genuenſium fines) Hæc ſi anno 1357. conventa fuere, ineunte 1358. executioni mandata fuiſſe, vix dubitandum. Hinc patet, infraſcriptorum locorum excidium anno probabiliter 1358. eveniſſe.

(135) Subintellige *Blanderati*, quod ex Burgo vetere, & Burgo novo, illis temporibus conſtabat, adjacentibus ipſi, *Biſſareto*, *Sancto Martino* quem de *Zuxiagna* in antiquis ejus Oppidi Statutis nominatum invenio, ac *Vicolungo*, & *Caſale Beltrami*, ſeu *Bertrami*. De Blanderate ejuſque antiquis Comitibus, plura habentur apud antiquos Scriptores. Vide R. I. T. V. col. 418., 452., T. VI. col. 804., 917., 976., 1053., 1054., 1080., T. X. col. 125., T. XI. col. 649. T. XVI. col. 429. D., T. XXIII. col. 308., 382., 462. Vide etiam Notas ad Codicem Statutorum ejuſdem Oppidi, nuper editas.

zati duo, Vaprium, Aleſatum, Momum, Morghengum, Barognum, Petrorium, Farra, Caſalegium, Moxitium, Sanctus Petrus, Ponzana, & Ulſengum. Non tamen in tanta deſtructione ceſſavit utriuſque Domini rabies. Et utinam in ea belli finis fuiſſet. Sed Novarienſes elati, ut ſupra diximus, totis viribus cœperunt contra dominium Mediolani reſiſtere. Quare nil mirandum, ſi Dominus Galeatius per aliam viam Novariam & diſtrictum (ipſis ingratis) recuperavit. Ipſe ergo & Marchio, qui ſe ſe aſſerebant & aſſerunt Vicarios Generales prædictarum Civitatum, elegerunt ſtare judicio præfati Domini Caroli Imperatoris, qui propterea miſit in haſce partes quemdam ſuum Perurgravium (136), qui de prædictis & aliis informationes ſumſit a teſtibus fide dignis. Super quibus Dominus Imperator præcepit, & ſententiavit, dictum Marchionem debere reſtituere Domino Galeatio dominium univerſæ Civitatis Novariæ & diſtrictus, cum dominio Civitatis Albæ & diſtrictus. Et e contra Dominum Galeatium debere Marchioni reſtituere Terram Novarum apud diſtrictum Januenſem, reſervata Imperio poteſtate in aliis plus diſcendis. Haſce declarationes uterque acceptavit & obſervavit. Nam Marchio Novariam cum Caſtro & diſtrictu dimiſit Galeatio. (137) Galeatius ei reſtituit Terram Novarum. Quare Dominus Galeatius magnifice & alte ſilentibus Novarienſibus, Civitatem ipſam intravit cum prædicto Perurgravio & Nobilibus ſuis, & præcipue cum Joannolo Mondella de Ferro, qui cum Perurgravio die præcedenti Novariam ingreſſus eſt. Quidnam potuerunt dicere Centuriones? Quidnam Jacobus de Valcemenia? Quidnam potuerunt cogitare ipſius com-

(136) Lege Burgravium, quod Germanico idiomate ſignificat: *Comitem Oppidi*.

(137) Anno ſcilicet 1358. ut Nota 133. dixi.

complices, niſi quod Marchio ipſis fuerat mentitus? Tunc prædicti & alii cœperunt colla ſubjicere Domino Mediolani. Tunc illico Dominus Galeatius miſit pro Domino Antonio Torniello Aſtenſi Poteſtate. Et ego fui nuntius. Veneruntque Novariam prænominati alii in Aſta confinati & alibi. Miſitque pro Opicino Torniello. Quibus omnibus pepercit de commiſſis, conſiderans quod tamquam expulſi cogitaverant repatriare, & inter caros tenuit. Deditque Opicino banderiam unam equeſtrem, & Antonio Florenos XXV. in menſem pro proviſione uſque ad guerræ tempus. Bona eidem liberavit, & de præſenti ipſi Antonio favoribus aſſiſtit, eundem calceando de diviſa ſuarum caligarum. Alios autem accepit in quantum debuit. Faciens tamen Arengam in Canonica Majori, injurias ſibi factas remiſit. Et quid de multiplici injuria facta Campſoribus (138) Domini Mediolani dicetur, qui occaſionibus antedictis exſtiterunt vacuati? Quid de deprædationibus per Novarienſes factis ſuper Comitatu Mediolani? Certe pœnam luerunt, & eorum contumacia fuit purgata.

Duxit igitur ſecum Dominus Galeatius Dominum Ottinum de Marliano Militem, & primo ipſum Prætorem Novariæ & diſtrictus conſtituit. Qui una cum Ricardo de Fi-

(138) Forte *Capſonibus*, ſeu *Caſſonibus*, ut legitur in Codice MS. Laudenſi Annalium Mediolanenſium pag. 408., de quo mentio eſt in *Monito* huic Operi præfixo, in quo Laudenſi Codice longæ Azarii laciniæ verbo tenus illatæ ſunt. *Caſſones* intellige pro Ærario, propter expenſas, eorum occaſione factas. *Campſores* vero illi ſunt, qui ex Pecuniæ permutatione lucrum faciunt. Vide Joſeph Laurentii Amaltheam Onomaſticam. *Campſorum* etiam mentionem habet Chronicon Bergomenſe Caſtelli de Caſtello R. I. T. XVI. col. 952. C. hiſce verbis. *Item electus ad exigendam dictam Taleam, & pro depoſitario* pecuniarum exigendarum pro ipſa Talea, *Aſſandrinus de Cene Campſor, cum ſalario Florenorum quatuor in menſe &c.* Sed quid ad præſentem rem faciant *Campſores*, non video. *Campſa* tamen pro *Capſa* (Italice Caſſa) aliquando uſurpari, probat Du Cangius ad verbum *Campſa*.

Firuſino de Alexandria ejus Vicario tam peſſime ſe geſſit rapiendo, quod ſtatus Novariæ malum principium habuit, & de aliqua libertate Communis acquirenda nullatenus curatum eſt, ſed ſolummodo de rapinis. Et profecto diebus meis iſte Poteſtas ſuperavit ceterorum Poteſtatum negligentiam & rapacitatem. Eo gubernante, Mediolanum miſſi fuerunt Centuriones prædicti, alii plures Judices, & Nobiles, Abbates, & Canonici Novarienſes, quos Dominus Galeatius aliquando & plurimum liberos remiſit, & aliquando carceravit. Nam ex Centurionibus aliquos aliquoſve ex reliquis remiſit ſine alia redemtione. Etiam aliquos alios dimiſit, de nominibus quorum propter longum opus taceo ad præſens. Miſitque Novariam Dominum Emanuelem Ponzonum in Vicarium Generalem, & poſt multum temporis ſpatium juſſit examinari geſta per detentos, contra quos etiam in Civitate Vercellarum tacite recepti fuerunt teſtes. Tunc ipſos, quos in Turriono domus ſuæ Mediolani carceratos habebat, juſſit traduci & reduci in Caſtrum Novariæ tempore Domini Joannis Pirovani, qui Marliano in Præturam ſucceſſerat poſt annum expletum, eoſve in Florenis vigintiduo millibus damnavit. Quum autem hi mulctati non ſolverent ſive propter impotentiam, ſive propter ſpem impetrandi diminutionem condemnationis, Dominus Galeatius inaudita & ſane memorabili uſus eſt cautela. Nam pulſato arengo Communis Novariæ, ut moris eſt in ea Civitate, quum quis juſtitiandus eſt, portati fuerunt in Brolium cippi & manaria. Et illico nonnulli ex dictis carceratis fuerunt ducti, ut urgentiorem paterentur cauſam ſe redimendi. Et tunc ipſis detentis novum thema datum fuit, ſuper quo Latinum conſtruerent, & deinde caperent lectionem. Et tunc dictum fuit eis, quod deberent omnia eorum bona dare in ſcriptis. Sed quum ex hujuſmodi propalatione neque decima pars condemnationis perſolveretur, novo edicto præfatus Dominus

nus indixit, quod parentes propinquiores ipſorum cogerentur ad ſolutionem. Et deficientibus parentibus, ad id compellerentur amici conſueti. Quo circa ſciſcitabatur, quinam adfuerint ad eorum nuptias. Et tunc factis diſtributionibus dictæ quantitatis, deſcriptis parentibus & amicis, extorta fuit ſolutio, erga quos tali modo perſolventes ſe obligaverunt condemnati redemti. Deinde præfatus Dominus eo Anno duas taleas impoſuit Clero, & ab eo exegit in Florenis ſexdecim mille, compellendo colonos, fictabiles, & ipſorum in Civitate Vicarios ad prædictas taleas perſolvendas. De taleis autem Civium & diſtrictualium non attinet dicere, quia in infinitum fuerunt perſolutæ. Et ſcio, quod tempore dicti Domini Joannis Pirovani Poteſtatis exacta fuerunt in Novaria & diſtrictu centum millia Florenorum pro eodem Domino Galeatio, computato Datio Imbottaturæ Vini, vendito eo Anno Florenis XIV. mille Imperialibus. Miſeratque idem Dominus pro exactione & incantatione intratarum Novariæ & Vercellarum quemdam Dominum Mazzacanem de Madragnano, qui dictis officiis præſedit uſque ad præſentem menſem Junii (quo mortuus eſt) Anni MCCCLXII. cum ſalario quotidiano Solidorum XL. Si fuiſſet Mazzacanes, bene fuiſſet dictum & factum: ſed fuit Mazza homines per ea, quæ extorſit. Tanta hæc pecunia fuit Mediolanum tranſmiſſa, exceptis tributis, donis, & aliis datis per alios, qui ſceleris antedicti culpabiles fuerant, & dimiſſi. Quorum munerum, donariorum, & ſervitiorum quantitas non fuit modica. Numquid propterea ceſſarunt aliæ expenſæ pro Communi ordinariæ & extraordinariæ? certe non. Nam eo anno vaſtatores, ſervientes, & carrigia miſſa fuerunt cum exercitu Domini Galeatii pro vaſtandis Motrano, Tridino, Trivero, Liburno, & Bianzato. Et vaſta fuerunt data tam in blada quam in vineis uſque ad muros ipſarum Terrarum. Miſſi fuerunt laboratores & ſtipendiarii in Sanctam Agatham cum infinitis pro aliis vaſtatio-

tionibus patrandis. Miſſi denique fuerunt alii ad duo loca Canapicii acquiſita in mala hora per deditionem Bertolini de Mazadio, ſcilicet Candiam & Caſtionum. Per quæ Dominus Galeatius ſperabat ſibi tranſitum aperire ad partes Pedemontanas, muniendo ea infinitis expenſis, quas deſcribere non poſſem. Sed nihil profuit. In altero eorum duorum locorum periit peſte Fabottinus de Parma. Præterea ſuper Vercellenſi per Commune Novariæ factæ ſunt pro medietate expenſæ, occaſione Dominæ Eliſabethæ nurus dicti Domini Galeatii (139); factæque fuerunt in Civitate Novariæ & in Burgis aliæ fortalitiæ. Summa quarum extraordinariarum expenſarum exceſſit Libras octo mille, & ultra. Demum Marchio contraxit cum Novarienſibus debitum Librarum triginta millium Imperialium, quod non perſolvit. Propter quæ & alia, Novarienſes deducti ſunt (& merito) in extremum, quod quaſi pecúnia tam ſuper pignore argenti, quam aliquo alio modo non amplius reperiebatur, nec reperitur. Quid igitur dici poteſt de annis præteritis guerræ & ſucceſſivis? Hoc unum nimirum, quod plus eſt ablatum quam haberetur. Et ita de præſenti homo Novarienſis parum, imo nihil, debet dubitare, dicente adagio:

„ *Cantabit vacuus coram latrone viator*.

Alius autem caſus incogitatus evenit Novariæ, in ſuburbiis, & pluribus in Villis diſtrictualibus Anno MCCCLXI. de menſibus Junii, Julii, Auguſti, & Septembris, nempe peſtilentia. Nam in Civitate & locis antedictis de duo- de-

(139) Eliſabeth, ſeu Iſabella, Filia fuit Joannis Galliæ Regis, quem Scriptores *Bonum* apellant, & Bonæ de Lucemburgo, quæ obierat anno 1349., in lucem prolata fuit die primo Octobris anno 1348., nupta Joanni Galeatio, Galeatii Vicecomitis filio, cui Patruorum memoriam renovaturus, eorum nomina ipſe impoſuerat, anno 1360. Vide Corium ad hunc annum, vide Matthæi Villani Hiſtor. R. I. T. XIV. col. 617. D.

decim octo mortui ſunt & ultra. Cui morbo nulla fuit cura nec medela; quia quaſi nullus apparebat; & qui fortior erat & junior, potius peribat (140). Porro ad faciendum contradictionem fuerunt per Marchionem Montisferrati conducti in Lombardiam Anglici cum ipſorum Societate, collecti per eum in partibus Avenionenſibus. Quæ gens exſtiterat caſſa propter guerram Francorum. Diſtrictum Novariæ ingreſſi bis mille & ultra, reliquias Terrarum diripuerunt; ceteras autem non deſtructas nec ſuperius deſcriptas uſurpaverunt, mulieres vituperando & ponendo ad redemtionem, homines captos tenendo in ſerraturis clavatos, negando in foſſatis homines, non ita cito dantes redemtionem impoſitam. Nam ſupra mille interemerunt, & præcipue in Terra Sicia-

(140) Quæ infra ſequuntur extra ſedem poſita eſſe, aut iis alia præcedere debuiſſe, facile cognoſcet Lector. Quæ autem præcedere debebant, paucis exponam.

Vidimus ſupra pacem inter Montisferrati Marchionem, & Galeatium Vicecomitem ſancitam fuiſſe opera Burgravii, a Cæſare hac de Cauſſa expreſſe in Italiam delegati. Inter pacis conventiones una erat, quod Galeatius Mariam filiam ſuam ætatis annorum quatuor, Filio prædicti Marchionis paris ætatis, in uxorem ſpopondit, ac dominium Civitatis Aſtenſis, dotis nomine, ex tunc eidem Marchioni conceſſit. Hæc anno 1357. eveniſſe tradunt Benvenutus de S. Georgio, & Codex MS. Laudenſis, ut dixi Nota 134. Corius vero circa finem anni 1358. hanc pacem factam tradit; diverſæ annum incipiendi rationi hoc forte tribuendum, ut alibi dixi. Hanc pacem tamen brevem fuiſſe tradit ipſe Corius ad annum 1358. hiſce verbis: *Queſta amicitia puoco durò conciofoſſe coſa che fra pochi giorni la Fanciulla paſſaſſi al altro Seculo*. Hinc facile conjicere licet, quod mortua Puella, Galeatius ejus dotem, Civitatem nempe Aſtenſem, a Montisferrati Marchione ſibi reſtitui voluerit, quod cum ille recuſaret facere, ad arma iterum deventum ſit. Hanc tamen Filiæ Galeatii mortem idem Corius poſtea menſe Aprilis anni 1362. eveniſſe dicit, *E nelli proprii Giorni Marta Figliola di Galeazzo quale doveva eſſere Mogliere dil Figiolo del Marcheſe di Monferrato, paſsò a migliore vita. Il perchè cominciò la ſecunda diſcordia, e guerra fra il Marcheſe e Galeazzo*.

ciani, quam primitus propter morbum indefenſam invaſerunt, ſtuprando uxores in præſentia maritorum, puellas coram genitoribus. Pro iſtis perfidis Anglicis expellendis Dominus Galeatius comburi fecit totaliter infraſcriptas Terras (dictu mirabile!) adeo ut in toto diſtrictu ſolum hæ remanſerint in fortalitia. Et ſunt Olegium in ſquadra Ticini, Burgomaynerium in ſquadra Aconiæ, Calpignanum in ſquadra Seſitis, & Caſtra Cavaliani, Marani, Gattici, Vergani, Barenghi, Silavenghi, Galgarenghi, Fiſſarenghi, Ponzanæ, & non amplius. Spoliatæ vero & combuſtæ tam per illos maledictos Anglicos, quam per Dominum Mediolani, ſunt hæ: Burgolavezarius, Gravalona, Tornegum, Terdobiatum, Guilengum, Ceredanum, Monticellum, Caſalegiallum, Sanctus Petrus, Garbanea, Nibiola, Villa Veſpolati: & hæ ſunt de ſquadra inferiori. Galnagum, Cavallianum, Pombia, Mediummiricum, Burgoticinum, Conturbia: & hæ ſunt de ſquadra Ticini. Calſinaga, Solonium, Morghengum, Alexatum, Agnellengum, Bugonium, Verunum, Agrate, Cariſſia, Cavallinum, Quiregium, Fontanetum, Cavallietum deſertum. De ſquadra Aquoniæ. Mezoria, Grignaſcum, Romagnanum, quod Anglici tenent de præſenti; Pratum cum ſuperiori monte, Cavallirium, Agamium, Siccianum, Briona, Mandellum, Comenonicum, Paliatum, Granotium, Caſalinum, Arcamariani, Ponzana, Monzitium, Caſalegium, Aconiate, Nibia, Ciſtum, Landiona: & hæ ſunt de ſquadra Sicidæ. Propter quas vaſtationes ſceleſtiſſimi illi Anglici diſtrictum Novariæ deſeruerunt ex toto nec mirum. Nam Terræ gubernatæ cum Caſtris parvæ potentiæ ſunt tredecim, quæ cum maximis diſpendiis cuſtodiuntur, & uſurpantur quotidie per noſtros. Nec audent pro nihilo laborare propter alias, quæ tam in diſtrictu quam apud diſtrictum per latrones & Marchionem tenentur. Et ſic Novaria ducta eſt a lacubus infra in eclipſim, & a lacubus ſupra. De juſtitia nulla reſpondetur

Ci-

Civitati. Durantibus autem prædictis Clemens Papa præmiſſus mortuus eſt (141), & alter creatus fuit nomine Innocentius (142), qui Curiam Romanam devaſtavit nec cuiquam gratiam fecit; ſed univerſæ gratiæ & preces omnes oblatæ apud ipſum ſunt finitæ etiam propter morbum prædictum duratum in univerſis partibus Lombardiæ. Et qui beneficia voluit, habuit ab ipſo & Curialibus emere, & poſtea reditum primi anni Theſaurario Domini Mediolani perſolvere.

Papia parum pia dicta fuit. Nam primitus & longævis temporibus dicta fuit Civitas Ticinenſis, eo quod ſuper Ticinum flumen exiſtat, & prima Civitas Lombardiæ inchoata. Dum autem regeretur ſub Regno Liguriæ, dicta Ticinenſis Civitas caput erat Regni Ligurum, qui primitus titulum Lombardiæ (143), ipſam Lombardiam habitando, conſtruxerunt. Quod ſatis probatur exemplo. Quia ſitus ipſius Civitatis in pulchriori loco & magis fructifero vino & blado exiſtit collocatus. Nec poteſt dici ſimilis vel

 par

(141) Clementem VI. Pontificem obiiſſe die 6. Decembris anno 1352., Nota 98. jam dictum eſt; ejus igitur mors, & ſucceſſoris electio, amanuenſis errore, extra ſedem hic poſita, videtur.

(142) Inocentius Pontifex, nominis VI., antea vocatus Stephanus Alberti, Legum doctor, ac Judex major Seneſcaliæ Toloſanæ, ad Eccleſiam Noviomenſem primo promotus fuit, deinde ad Claramontenſem translatus, demum a Clemente VI. Pontifice ad Cardinalitiam purpuram, titulo Sanctorum Joannis, & Pauli die 20. Septembris evectus, Pontificatum obtinuit die 18. Decembris anni 1352. Avenione, ubi die 23. dicti menſis, Triregno decoratus fuit. Regnavit annis 9. menſibus 8. diebus 24., obiit die 12. Septembris anno 1362., Sepultus fuit in Eccleſia Majori Avenionenſi, poſtea translatus ad Monaſterium Carthuſienſe Villænovæ, in cujus Eccleſia vivens, ſuum perpetuum elegerat Sepulcrum. Vide Balutium de Inocentio VI. ex editione Boſqueti, & R. I. T. III. parte 2. col. 601.

(143) Hic aliquid deeſſe videtur, forte de Langobardis. Ab iſtis enim huic Regioni, *Langobardiæ* inditum eſſe nomen, cuique notum eſt.

par in aliqua Civitate Lombardiæ. Nam navigiis dominatur, quia ſita ſuper flumen Ticini, habens introitum & potentiam in ipſo Ticino, & potius intra Padum, & proinde in Mari Adriatico. Præterea aliis territoriis poteſt dominari. Nam poſſidendo includit tria territoria. Ex quibus ſi tertium poſſideret Civitas ipſa & ultra quartum, oh quam majorem haberet copiam vini & bladi, nec non fœni pro expendendo, tali pacto, quod ſi Autumnus aquas immiſerit in fluenta, duæ ipſarum, & potius una, ſcilicet Lomellina, victualibus correſpondet. Et ſi ſiccitas de ultra Padum, juriſdictio Papienſis duas ſimiles Civitates paſceret & aleret. Si autem Autumnus mediocri tempore potiretur, campania ſarcinam Papiæ & ultra reintegrat. Nec mirum, ſi talis Civitatis ſitus alios Lombardiæ antecedit, quum potior Civitas fuerit, & pro eo utiliori loco, inſpectis omnibus aliis, electionem fundatores habuerint. Unde Civitas Ticinenſis nomine dicta eſt, & prænomine parum pia. Et iſtud prænomen primitus datum fuit ipſi Civitati apud bonos & Chriſtianos. Nam regnantibus Imperatoribus, & ante adventum Chriſti, & poſt per ſequentes Chriſtianos, & præcipue tempore imperii Theodorici Regis primi Ligurum & Gothorum, Chriſtiani in Lombardia reperti, tamquam errantes in fide dicti Imperatoris, in dicta Civitate carceribus mancipabantur, duabus rationibus. Prima erat, quia Præſes ſeu Rector partium Lombardiæ ut plurimum in ipſa Civitate habitabat, tamquam in pulchriori & magis fertili & fortiori loco. Secunda quia dicti carceribus incluſi habiliores erant ad cuſtodiendum, & ad Imperium Romanum tranſmittendum propter flumina. Et quod prædicta fuerint vera, tempore præſenti poteſt concludi. Et primo quod Præſides regnaverint, ſatis patet per Eccleſias in ipſa Civitate diverſimode conſtructas, & copia ipſarum, in quibus erigendis tam mares quam mulieres ob poſterorum memoriam prænuntiandam,

Ec-

Eccleſias in nomine ſui Dei ut plurimum condebant. Et quod fuerit in ipſis Chriſtianis parum pia, ſatis probatur, quia in ipſa ultra numerum fuerunt cruciati per Chronicas antiquiſſimas. Et præcipue ille ſummus Philoſophus Boetius qui volens contra prædictum Theodericum, tamquam tyrannum, Imperatorem defendere Publicum in ipſa Civitate, a Civitate Romana miſſus in exilium, fuit carceribus recluſus, & ibi, ut dictum eſt ſupra, dies ſuos finivit. Etiam alter Philoſophus Romanus ſtans carceratus, qui Librum vocabulorum verbalium conſtruxit, dictum Librum intitulavit Papias (144), ad memoriam detrimenti ſui. Et in multis prædicta poſſent concludi tam per Eccleſias quam propter vaſtas habitationes maximas & antiquiſſimas diruptas, quam propter Turres tam erectas quam depreſſas in ipſa Civitate & extra exiſtentes. Et de ſimilibus multa poſſent dici, de quibus propter longum opus ad præſens tacetur. Expulſo autem Comite Philippono, & fratre ſuo Riccardino mortuo ut ſupra in ipſa Civitate, re-

(144) Non a Papia, ſed proprio nomine *Papias* vocatut, ejus libri Author. Trithemio dicitur *Natione Lombardus, vir in Secularibus litteris eruditiſſimus, Grammaticus omnium ſuo tempore clariſſimus; Græco, & latino Sermone ad plenum inſtructus, in divinis quoque Scripturis non mediocriter, exercitatus.* Tradit idem Trithemius, ſe legiſſe librum *Epiſtolarum ejus ad diverſos*, & librum *de Ordine dicendi*, & librum *de linguæ latinæ vocabulis*, hoc eſt *inſigne Gloſſarium* ſive *Elementarium Doctrinæ erudimentum*,, ut illud appellat Albericus Monachus Trium Fontium in Chronico edito per Leibnitium. Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicorum, & Trithemius, ipſum floruiſſe cenſent circa annum Chriſti 1200., ſed Albericus, hiſce longe antiquior, ejus etiam ætatem ſtatuit ad annum 1053. dicens: *Quod probatur per numerum annorum, ubi agit de ætatibus ſeculi in prima littera, & numerando pertingit uſque ad hunc.* Muratorius Antiquit. Italic. T. 3. col. 913. tradit Papii Gloſſarium a Bonino Mombritio editum anno 1496., nunc ſupra fidem rariſſimum eſſe, ac magno fuiſſe uſui celeberrimo Du-Cangio, in Contexendo ſuo Gloſſario, Mediæ & infimæ latinitatis.

regnavit Domus illorum de Beccaria, non quod Beccarii eſſent, ſed Capitanei & Nobiles. Antiquitus ſteterant apud Beccariam, & ſtatum popularem defendebant. Hi Domini fœdus cum Domino Matthæo Primo inierunt de dicta Civitate gubernanda, attento quod virtute ejuſdem Domini Matthæi dicta Civitas erepta fuit e manibus Comitum & Nobilium, qui Populum ſubjugabant. Ideoque pars Comitum, quæ Guelpha eſt, Nobiles Papiæ & diſtrictus habet in amicos: pars vero illorum de Beccaria, tamquam Gibellina, Populares ut plurimum intus & extra amicos.

Quod autem habuerint fœdus cum præfato Domino Matthæo Vicecomite, apparet, quia ipſe primum Caſtrum in ipſa Civitate Papiæ factum diebus ſuis fecit fabricare; & tempore Domini Luchini Vicecomitis dictum Caſtrum, quamvis pluribus temporibus per ipſos vel cui dederunt, fuiſſet poſſeſſum, ſuis expenſis præfatus Dominus Luchinus fecit diruere. Nec propterea Domus prædictorum de Beccaria Papiam poſſidens, receſſit ab amore, & oblighis, & etiam ſervitiis Vicecomitum, ſalvo tempore moderno, de quo infra dicetur. Et iidem de Beccaria reſpondentes Domino Mediolani, tamquam ſimul colligati, pepigerant cum eodem Domino Mediolani de recipiendo in Papia Poteſtatem, per ipſum Dominum Mediolani illuc deſtinandum: nec non de mittendo tot gentes in exercitus & Oppida præfati Domini, ac de ipſi ſuppeditando certam quantitatem Florenorum cum quadam oblatione annua. Et ſic deinde tamquam ſocii Dominorum Mediolani poſſederunt Papiam uſque ad diviſionem Mediolani & ſubjectorum, factam inter præfatos Dominos Matthæum, Barnabovem, & Galeatium fratres. Poſt diviſionem Dominus Galeatius cogitavit vindicare ſibi dominium Papiæ & diſtrictus. Et poſt multas ambaxatas neceſſarium fuit occulta detegere. Et dum prædicta verterentur in contemtum, Marchio Montisferrati ipſum Dominum Galeatium diffidavit & provoca-

ca-

cavit. Et fortaſſe ea provocatio citius proceſſit, aut propter tractatum Aſtenſis Civitatis, de quo ſuperius diximus, aut propter defenſionem Civitatis Papiæ. Nam ex vulgari axiomate habemus, quod fructus floribus præferuntur. Marchio uſque ad tempus indicendum major amicus erat Domus de Beccaria, quam quiſque alius de Lombardia, & e converſo. Nec antea inter fratres viſa fuerat tanta dilectio, ſicuti inter ipſos. Et ideo prædicti de Beccaria videntes ſeper neceſſe guerram habituros cum Domino Galeatio, niſi ei dimiſiſſent Papiam, fecerunt, ut Populus dominium illius daret præfato Domino Marchioni. Nec eſt novum, quod Papienſes & Mediolanenſes ad reſpectum numquam ſe dilexerint. Imo Papia, quando nuncupabatur Civitas Ticinenſis, pluries Mediolanum oppreſſit, & tributa Mediolanum illi præſtabat (145). Marchio igitur habito Papiæ dominio cœpit contra Mediolanum calcitrare. Sed illa malorum diſpenſatrix invidia flectendo habenas, jam curſum dederat in agendis, & jam præceſſerat cum favilla ignem immenſum accendens: nolens quod ipſa Papia, nec ipſi de Beccaria infinita felicitate gauderent. Nam poſſederant ipſam Civitatem liquide & ſine intermiſſione annis XLII. vel circa. Nec in prædicto dominio tam feliciter poſſeſſo ſciverunt Deo aut fortunæ regratiari. Imo putabant ab ipſorum pectoribus emanaſſe. Erant autem de Domo illa his diebus principaliores Domini Florellus, Caſtellinus, Milanus, Raynaldus, filii quondam Domini Conradini, & multi alii, qui multa nobiliſſima Caſtra acquiſiverant & conſtruxerant tempore, quo ea Domus dominabatur. Orta jam fuerant inter eos ſcandala tacita, & præſertim inter Do-

(145) Vix ſub Langobardorum dominio, dum Papiæ ſedem haberent, brevi aliquo tempore id eveniſſe puto, & tunc non Papienſi Civitati, ſed Regibus, ibi degentibus, tributa ſoluta fuiſſe evidens eſt.

Dominum Florellum & Dominum Milanum. Sed poſtquam diu latuiſſent, Præturam tamen Papienſem habente Domino Jacobo de Tizionibus cognato dicti Domini Milani cœperunt inter prædictos publicari, & in Civitate excitarunt rumorem, quum alter altero ſe majorem reputaret. Caſtellinus & Florellus in regione ultrapadana Arcem Montisbelli, Claſtidium, Viqueriam, Bronum, Salas, Caſellas, Oppida firmiſſima, in quibus multum confidebant, & infinitas poſſeſſiones in partibus illis & alibi habebant. Pecuniarum autem & bladorum numerus non habebatur, quia ſemper publicus uſurarius perſtitit: tamen Gibellinis ſemper favit. Milanus autem in eadem tenebat regione Arenam cum Turri in infinitum forti ultra Padum, & multas Nobilium Guelphorum amicitias in eiſdem partibus crediderat acquiſiviſſe, & in Papia totis viribus Guelphis favebat. Duas filias maritavit Potentioribus Caſtellanis ultrapadanis Guelphis, ſcilicet Simoni de Cigognola de Domo Sanazaria, quæ in potentia, fortalitiis, Caſtris, perſonis, & opibus quaslibet Papienſes parentelas antecellit; & Ludovico Comiti de Languſco commoranti in Rocca Montis Sicalis; qui caput erat Guelphæ partis in Papia, habebatque amicitias ut plurimum in partibus Lomellinæ. Ejuſque frater Raynaldus, qui Caſtra Plebis Cavæ, & alibi, ut plurimum poſſidebat, amicos plurimos habebat in Conflantia, Rodobio, Mortaria, Garlaſco, Lomello, Valide, Oppidis ultra modum fortibus & populoſis. Sed prædicta ſcandala Papiam deſtruxerunt. Etiam heredes Domini Caſtellini in agro ultra Padum habebant Caſtrum Robecchi, Sanctam Zuletam, Montemdondonum, Montemacutum, & Montemcalvum, fortiſſima Caſtra, & plena nimis. Prædictus Dominus Florellus poſſidebat etiam Caſtrum Revellini in agro Alexandrino, & Caſtrum Olzeniani cum loco fortiſſimo in partibus Montisferrati; quem vidi obſideri & expugnari per Marchionem prædictum poſt exortam diſcordiam, ut infra dicetur. Habebaut

bant etiam alii de Beccaria nonnullas fortiſſimas Arces in Lomellina, videlicet Caſtrum Sanctæ Honoratæ, Caſtrum Gropelli, Caſtrum Tormelli, & Caſtrum Zembolati (quod modo exciſum eſt apud Viglevanum) & in Sigomario Caſtrum Mezani. Sigomarium eſt hortulus Papiæ, regiuncula apud ipſam Civitatem, durans in utroque latere milliaribus quinque, inter Padum & Ticinum incluſa, a qua fructus infiniti, herbæ, & univerſa bona toto anno procedunt.

Profecto diebus illis nulla Civitas in Lombardia erat, quæ tot Civibus divitibus, tot Caſtris, tot popularibus opulentis, tot Terris fortibus, tanta pecunia potior diceretur Papienſi. Et certe talis erat Papia; quod ſi prædicti de Beccaria inter ſe ſe non diſcordaſſent, nec devaſtaſſent, nec tenuiſſent, nec tenerent Marchionem prædictum in amicum, nec cum Populo feciſſent diviſionem, numquam Dominus Galeatius fuiſſet ei dominatus, nec ipſam deduxiſſet in profundis. Sed hæc a Deo ultore proceſſerunt. Nam propter diu ac dudum pacificum ſtatum & potentiam prædictorum de Beccaria jus reddebatur, ut volebant, & non aliter. In Civitate & diſtrictu libitum exercebant. Nec mirum, ſi quæſtio orta eſt; ſed mirum, quod tamdiu tardaverit. Nam primitus pauci erant de perſonis, & anguſti in opibus ad reſpectum. At de præſenti multi erant, & ditiſſimi, & juvenes. Quum alias pauci & ſenes eorum præceſſores dominarentur, negotia procedebant via recta. Et hoc eſt, quod allegabant Domini Caſtellinus & Florellus, qui ſenes erant, & qui volebant negotia ſuo modo tractare. Verum alii juvenes, qui paupertatem & egeſtatem non fuerant experti, volebant peragere modo ſuo. Et ſic Papia facta erat poſtribulum propter morbidas & infinitas mulieres, & infinitos morbidos juvenes. Nec Deus nec Sancti illic colebantur; imo tripudia, choreæ, cantilenæ, inſtrumenta muſicalia, ubique perſonabant. Quod ſi in Vigiliis

fie-

fiebant excubiæ, ut antiquitus moris fuit, confluebant ad ipſas mares & fœminæ cauſa ſtupri & deliciarum. Et in iſta parte cogitavi deſcribere geſta cauſa ſolatii, facta per unum juvenem, nomine . . . . . ſuper uno Paſcuario Papiæ, & ubi ibant omnes Civitatem & ſuburbia habitantes. Nam plantata una arbore ſatis magna, & erecta in Paſcuario Sancti Martini, dicta arbor & rami forati fuerant. Et unde latebat in profundo, quod non videbatur, tirabant certos funes poſitos in foraminibus in ipſa arbore factis. Et faciebant movere multa Veretra ſuper ipſa arbore, & ſuper ejus ramis poſita. Et diverſæ formæ erant. Nam unum erat majus altero, & protenſius, & aliqua erant ultra formam, quæ proprie Veretra videbantur. Deinde ſic ſuper ramis ipſis tripudiantibus ſuo tempore, & in conſpectu univerſitatis Papiæ (ad quæ videnda non ſolum cucurrerant mulieres & homines Papiæ, ſed etiam canes) fecit ille Juvenis venire plures veſtitos in modum mulierum nuptarum, viduarum, & religioſarum, cum baculis & ſingulis panarolis. Quæ ipſam arborem contendentes excutiebant, & projectis dictis baculis ſuper arborem, dicta Veretra cadebant. Si autem parvum cadebat, invite reponebatur in panarolo. Si autem magnum, tunc erat quæſtio inter ipſas, & ſi maximum, lacerabantur crines, & cappæ ipſarum. Et ſic excuſſis omnibus prædictis Veretris, de contemtu unius deformis Veretri inter ipſas facta fuit quæſtio & contemtus valde nimis. Hiſce & aliis auditis, Frater Jacobus Buſſolarius, ex Ordine Sancti Auguſtini, excellentiſſimus Concionator cœpit de contemtu Mundi prædicare. Ad cujus prædicantias Domini Caſtellinus in ſcanello portatus, & Florellus, eorum uxores & amici primitus, & ſubſequenter multi alii concurrebant. Etenim prædicti Domini Caſtellinus & Florellus curabant eumdem Fratrem animare, ſtimulare, & accendere bono zelo, ut Populum Papiæ corrigeret, juvenes retraheret ab incœptis, & Populi benevolen-

lentiam captaret. Eumdem Fratrem adeo commendabant, quod alii Fratres, dato quod prædicarent, non exaudiebantur, ſed ille ſolus. Sed vulgariter dicitur, quod *Vulpes etiam capiuntur*. Et ſic proceſſit in Dominis Florello & Caſtellino. Interea Papienſes armata manu per terram & per aquam viriliter Domino Galeatio reſiſtebant, & proſpere lucrabantur, potius quam perderent, & aſcendentes navibus per Ticinum, quum fœderati caſtrametati eſſent in Mazenta & partibus illis, infinitam prædam acquiſiverunt. Et nolentes, quod Pons ſuper Ticinum conſtructus per quondam Dominum Luchinum ſibimet ipſis impediret incurſiones per fluvium, una die eumdem Pontem penitus combuſſerunt, & totaliter deſtruxerunt, ſolo ligno non dimiſſo, alio aſportantes magnos lapides, in parietibus introitus & exitus conſtitutos. Et ſic hujuſmodi facultate ſublata, gens Mediolani, taliter qualiter poterat, trajiciebat, & cum aliqua navi abſcondita in arundinetis & paludibus & in locis occultis Vallis Ticini, in qua ſunt diverſa latibula. Terra autem Papienſes mirabilia faciebant.

Quibus incœptis Dominus Galeatius primitus potitus eſt Mortaria ſub quibuſdam pactis. Cum qua Terra & maximis gentibus in ea cum avantagio ſtantibus, graviter Papiam infeſtabat. Dico cum avantagio, quia ſolummodo illa Terra Mortaria poteſt dici felix. Nam propter præſens bellum exſtitit multiplicata, ceteræ autem omnes fuerunt deſtructæ. Deinde æſtivo tempore Dominus Galeatius exercitum poſuit contra Garlaſcum, & videns, quod campus ponendus aquam habere non poterat propter aquarum longitudinem, quæ multum diſtabant ab ipſa Terra circum circa murata, fecit fieri tot & tanta canalia aſſerum, quod poſita aqua in alveo Tardubii procedentis a Novaria uſque Viglevanum per dicta canalia aqua tribus milliaribus ducebatur & ultra, ſic quod exercitui non defecit. Machinas infinitas circum circa Garlaſcum conſtrui fecit, quibus die

 noctu-

noctuque Terra lapidibus obruebatur. Et adeo fuit preſſa, ut nullo exſpectato auxilio potentiori, deditionem fecit Domino Galeatio, quamvis ægro & iniquo animo, quum inde eidem Domino Galeatio fuerit retracta, ut inferius dicetur. Gens Mediolani ea durante obſidione vagando prædabunda Terras Lomellinæ armata manu vaſtavit, & vaſta fecit undique ſuper Sigomario. Poſitis inde caſtris prope Eccleſiam Sancti Lanfranchi, & apud Pontem Gravalloni, arbores decorticando & incidendo, & incendia domuum exercendo, in quibus peragendis plurima gens Mediolanenſis periit, pauca vero de Papienſi. Nam Papienſes in aqua ſemper vincunt; & multas naves groſſas ad inſtar Caſtelli deductas e Lacu Majori habent, nuncupatas ibi *Ganzerre* (146), quarum ope Papienſes pluries acquiſiverunt. Deinde clamor dicti Fratris Jacobi ferveſcebat, & incitabat Papienſes ad pugnandum, inculcans, quod Papienſes malebant mori in patria ſua, quam ad alienas debiliter deduci; quodve fovebant juſtum bellum, ad quod movebantur hiſtoriis & exemplis Romanorum. Populus itaque Papienſis hiſce concionibus accenſus mortem non timebat. Et quia concors agebat, ut plurimum in dimicationibus obtinebat, quamvis ab antiquis uſque temporibus ſtrenuus, arduus, & habilis ad pugnandum præcipue in navali claſſe. Marchio autem in Papia, ut diximus, cœperat regnare, ponendo Poteſtatem & Capitaneum pro libito ſuo. Tamen ibi non poterat pro libito pecuniam extorquere, ſicuti extorquebat in Novaria, ubi homines eviratos, fœmineos & muliebres invenerat, ſed in Papia vi-

(146) Hoc nomine etiam in præſenti utitur vulgus Mediolanenſis, & Papienſis pro indicando homine inſolitæ proceritatis. Ganzarolas pro minoribus Navibus, nominatas video in Andreæ Danduli Hiſtoria R. I. T. XII. col. 457. A., & in hiſtoria Patavina Andreæ Gatari R. I. T. XVII. col. 334. B.

viros fortes. Et præſertim quia hi de Beccaria reſiſtebant, nolentes, quod ſuam Papiam prædaretur. Et tunc Marchio de prædictis dolens & iratus cogitavit expellere eoſdem de Beccaria. Itaque quum ei deeſſet pecunia, & urgeretur multa confœderatis erogare, poſtpoſita fraternitate, quam coluerat cum iiſdem de Beccaria, ut ſuperius diximus, cœpit adhærere conſilio Domini Dondacii Malvicini de Placentia, Conſiliarii & Exſequtoris gentium Ferrarienſium fœderatarum cum eodem Marchione. Cui Dondacio dirutum fuerat Caſtrum Mocaſtracum, & alterum apud confinia montanarum partium Papienſis diſtrictus. Ad quæ deſtruenda ipſi de Beccaria, & Dominus Ubertinus de Lando Placentinus fuerunt principaliores, mediante gente Domini Mediolani pro depopulatione ipſorum. Ad hæc Marchio, ut credo, tunc non animadvertens, ſed credens, quod non fraudulenter, ſed pure, veraciter, & de cellula cordis puri procederet conſilium Domini Dondacii, in illius ſenſum inclinavit: ſed male. Nam illa fuit cauſa efficax amittendi Civitatem Papiæ per Marchionem, quia ſubſidium & repagulum erat ſtatus ſui. Et ſic habito conſilio, indiſcrete curavit illos de Beccaria expellere, uſus revelatione Fratris Jacobi prædicti, qui tunc cœpit majora & patentiora verba inter prædicandum dicere, & modo aperte contra Dominos Florellum, Caſtellinum, & alios de Beccaria, quos frumentarios, & ſanguineos Populi nuncupabat; dicens: *O frumentarii, o viri ſanguinum Populi! non exſpectatis diem Judicii?* De hiſce ipſi Domini Florellus & Caſtellinus cœperunt lamentari, ſed non bene perceperant eam ſententiam, qua docemur, eam eſſe declinandam ſuaſionem, quæ in ſe plus habet periculi quam decoris. Etenim ipſi amicis ſuis, ſuiſque ſubditis ſuaſerant, ut crederent, quæ prædicabat dictus Frater Jacobus. Sed quum eoſdem a ſuaſionibus conarentur retrahere, non potuerunt. Et tunc Domus de Beccaria, propter infeſtationem Populi

 mur-

murmurantis contra eos, elegit e Civitate recedere. Et ſine prœlio de die & de nocte, brevi tempore unus ſeparatus ab alio diſceſſerunt. Quid igitur dicerur de ſenſu & potentia tantæ Domus, in qua tantum conſilium, prudentia, & univerſum Lombardiæ robur viguit & vigebat? Quis furor, quæ gentis dementia ipſos a laribus propriis expulit? Sed concludam breviter, quod peccata inveterata generant mortem; & præcipue quia unus fiſculus carbonum (147), ille Frater Jacobus (homo quidem Papienſis, ſed nullius prolis, nulliuſve conditionis, imo obſcuriſſimi generis) verbis, truffis, ſine ferro eos abegit. Inſudaverat ea Domus, undequaque a Gibellinis Lombardiæ perquiſito auxilio, & ſupra ceteros inſudaverant Domini Caſtellinus & Florellus prædicti in expellendo Dominum Comitem Philipponum. Et nunc tam miſerrime ſine bello aſſentiti ſunt ſuorummet expulſioni & propriæ.

Abacti igitur tamquam deſperati habuerunt quærere favorem Domini Galeatii ad eorum obtinendam vindictam. Sed male ulciſcuntur propria dedecora, quæ labe majoris verecundiæ offuſcantur. Et ſic totis animis curarunt, ut Papia per Dominum Galeatium ſubjugaretur. At e converſo præfatus Frater Jacobus ſtuduit totis viribus & animis, participante Marchione antedicto defendere ipſam Civitatem. Et primo ipſe cœpit domos & ædes eorumdem de Beccaria de-

(147) Quod hoc nomine *Fiſculi Carbonum* ſibi velit Azarius, primo intuitu, obſcurum eſt. *Fiſcum* quaſi *Fiſculum* a colando Oleo dictum, vel quaſi *Fiſcella* olei dicta, lego in Joſephi Laurentii Amalthea Onomaſtica, ſed hoc nihil ad rem præſentem, ubi *Fiſculum*, a *Fiſco*, hoc eſt *Sacco capace*, quo etiam nunc circumvehuntur extincti Carbones, derivandum, fortaſſe credo. Vide Du-Cangium ad Verbum *Fiſcum*; Monacum, nigram gerentem Tunicam, etiam nunc pro contumelia aliqui vocant *Sacco da Carbone*.

deſtruere in Civitate, deinde in diſtrictu. Ipſe prædicando fertur propalaſſe occulta illorum de Beccaria, quæ ſibi narrata fuerant nomine pœnitentiæ; & præcipue de Dominis Caſtellino & Florello talia dixit, quod univerſum Populum pellexit & animavit ad deſtructionem univerſorum de Beccaria, eorum prolis, & progeniei, & amicorum ſuorum, & ad ruinam & populationem eorumdem. Et tunc ſine ulla defenſione præcedente, univerſas illorum, ac ſequacium domos, ædes, & palatia dirui fecit, & aſportari lapides, & vendi, prædicans quod quiſque Papienſis de ipſis lapidibus teneret ſub pulvinari & capite lecti ad perpetuam memoriam male geſtorum per ipſos de Beccaria. In fundamentis domorum nec unus lapis fuit dimiſſus. Et imo prædicabat, quod Domus facta furto habebat durare tempore curto. Et ſic peragendo tam Guelphos quam Gibellinos illius Civitatis contra ipſam Familiam totaliter incitavit, & taliter inflammavit, quod nullus ei Domui amicus remanſit in Civitate. Cœpitque dictus Frater Jacobus creare Centuriones, qui fuerunt numero XXII. in quibus erant XV. Jureconſulti. Creavit Decuriones & Quinquennarios. Et ſic univerſi, diſtributis ipſis Officialibus, procurabant potius de morte prædictorum de Beccaria, quam de dominio Domini Galeatii avertendo. Deinde cœperunt armare navigia improbo labore, & coſtantia perſiſtere, totiſque viribus pro libertate pugnare & mortem contemnere. Sed quia tot apparatus fieri non poterant ſine maximis & infinitis expenſis, mobilia Papienſium cœperunt deficere, & præſertim quando Marchio amiſit Novariam & Albam. Et quum majores expenſas ipſe Marchio ſuſtinere deberet, eo plus a Papienſibus requirere cogebatur. Et ſemper obtinebat, peteret quidquid vellet. Nam quidem receſſerat Dominus Florellus, qui bene pro ſe rapere curaverat, ſed raptoribus numquam voluerat conſentire. Et tunc Frater Jacobus videns deeſſe pecuniam, aliam viam elegit, propter eam

a Pa-

a Papienſibus colligendam. Nam e Carroccio, quo ſæpius vehebatur (& beatus ille qui poterat tangere id Carroccium pro vehendo palliis coopertum) cœpit prædicare & increpare, quod homines & mulieres debebant a laqueis mundanis declinare, nempe a veſtibus luxurioſis & ſumtuoſis, ab argenteis, a gemmis pretioſis, ab ornamentis; quoniam Deus proſterneret dæmones de Beccaria & Tyrannos Mediolani, protegendo veridicos & naturales Dominos, ſicuti Marchionem. De pulchris veſtibus non curare, ſed ſe veſtire ſtola nigra & cilicio, ut Deus ipſos tamquam juſtos exaudiret. Ita unanimiter factum eſt a Papienſibus & ſine mora. Unde credendum eſt, quod iſte niger fiſculus eſſet phantaſticus, aut ſpiritus immundos coerceret ad talia facienda. Et in Exſequtorem eligi fecit Officialem, quem vidi, & qui per Papiam diſcurrebat, incidendo maniconos guarnazonorum Phrygio opere contextos, vel auro & argento ornatos, & incidendo balthea, ſi quid pretioſi inveniebat circa ea. Igitur Papienſes dimiſerunt tales veſtes, & eas abhorruere, ſumtis mantellis tam per juvenes puellas, quam vel maritatas vel nuptas, colore nigris, ſine aliquibus ghirlandis incedentes & procedentes tamquam Beguinas, tecto capite & ſolummodo oculi conſpiciebantur. Sed hodie Papienſes ſervant contrarium, etiam ſpernendo voluntatem & proclamata Domini Mediolani. Sed numquid per ea in Papia cœpit frigeſcere luxuria, ubi Scholares, ubi picturæ virorum & mulierum? Certe prædictus Officialis niſi in aliquibus meretricibus prædicta contra ordinem non invenit, quibus publicatis pulſæ fuerunt tamquam Gazaræ & profanæ. Propter meretrices prædictus Frater Jacobus edixit, ut nemini hominum liceret fœdare matrimonium coitu, aut mulierem. Et de prædictis impictos fecit publicam juſtitiam per capitis obtruncationem. Ideo vir non audebat uxorem ſuam prægnantem cognoſcere, nec oſculari, ut moris

eſt,

eſt, pedes Sancti Chriſtophori (148), nec ad Vigilias ire. Venditis ergo prædictis, auro & argento, gemmis, adamantibus, & lapillis pretioſis uſque in Venetiis, Papienſes magnam denariorum quantitatem conflarunt, unde maxima commoditas prædicto Marchioni & Officialibus orta fuit rapiendi & aſportandi.

Sed interim prædicti de Beccaria foris exiſtentes, & animati ac freti, ut ſupra, cœperunt cum gentibus Mediolani regionem Ultrapadanam acquirere. Et brevi totum diſtrictum Papienſem ultra Padum Domino Mediolani ſubjecerunt una cum pagis & fortalitiis, exceptis tamen Sancto Paulo ſito ſupra Padum, Straella, & Cicognola, quæ numquam a Communi Papiæ receſſerunt. In Lomellina potiti ſunt univerſis Terris & Caſtris, exceptis Bremide & Durno. Item omnia in campania ſubegerunt, excepto parvo Caſtro nuncupato Scurbiſto prope Papiam, quæ ſic remanſit obſeſſa. Eamdem Dominus Galeatius cum Comite Lando & ipſius Societate duris repagulis, cum navigio ſuperiori & inferiori ita perſtringebat, ut Marchioni nequaquam permitteretur blada venalia aut plauſtro aut navi mittere in Civitatem, in qua adverſus famem incrudeſcentem nihil profuit mactaſſe etiam canes in epulas, mulierculas miſeras, viroſque imbelles ac inutiles ejeciſſe. Attamen ille fiſculus carbonum pluries e ſuo Carroccio prædicando, confirmabat & confortabat Populum, quem ipſe Sanctum nuncupabat, ne dubitaret

(148) Muratorius in Præfatione ad Aulicum Ticinenſem R. I. T. XI. dolet, quod Azarius non explicaverit quod tunc ſignificaret: *Deoſculari pedes Sancti Criſtophori*. Hoc loco tamen aliquid obſcœni ſignificari, ex contextu veroſimile videtur; Si enim res pia fuiſſet, eam non vetaſſet Frater Buſſolarius. Forte ex prius dictis quis ſuſpicari poterit, ad copulam cum propria uxore, ventre pregnante, referendum eſſe; utrum vero tali ſuſpicioni ſit locus, ſi uxorem habes, judex eſto, ego certe nunquam habui.

taret de victualibus, quum ſciret ipſe (ita enim affirmabat) per orationes, & Populo ducente & perſeverante in vita ſancta, ſe impetraturum, & ut manna ſimilis data Moyſi in deſerto, defluxura eſſet ad ſufficientiam. Et hæc multi credebant. Ad cujus mannæ reſpectum fecerant fortalitias, bladis expenditis & non ſervatis. Et certe prædicti non legerant Tabulam Raynaldi de regimine familiæ, ſic dicentis: *Turris conſtructa, & arca vacuata, non valde ſed tarde reddit hominem ſapientem*. Et ſic ſucceſſit illis miſeris in Papia, qui poſt tot detrimenta, tot diſpendia, & tantam ſuorum cladem, adhæſerant verbis illius fiſculi, & ſe ſe una cum eo permiſerunt induci & præcipitari in foveam, quam paraverant. Et amplius perſiſtere non valentibus Civibus, extrema coactis fame, illi Centuriones cum dicto Fratre Jacobo Civitatem ſub aliquibus pactis, & tamdem poſt ſeptennalem obſeſſionem tradiderunt Domino Galeatio Anno MCCCLXI (149). Sed quia in Legibus Imperalibus ait Prætor: *Pacta ſervato. Juri contraria & Fiſco nociva ſervare non tenemur*; ſic fuit in ipſa Civitate Papiæ reducta ad miſeriam. Magnificus autem Dominus Galeaz Imperialis Vicarius generalis, poſtquam cœpit dominio ipſius Civitatis potiri, mandavit, ut univerſi Papienſes tam Guelphi quam Gibellini poſſent Papiam redire, exceptis Joanne Philippo Comite de Languſco, Ubertino, & Fratribus Guaſconibus Juriſpe-

(149) Amanuenſis errore 1361. pro anno 1359. ſcriptum credo. Hoc ſaltem anno menſe Novembris, Ticini dominium obtinuiſſe Galeatium, conſtat. Vide Chron. Placentinum Jo: de Muſſis R. I. T. XVI. col. 504. E. quod menſe Novembris 1359. id factum dicit. Vide Corium ad eum annum, vide Matthæi Villani Hiſtor. lib. 9. cap. 55. R. I. T. XIV. col. 578. D., vide Andreæ Dei Chron. Senenſe R. I. T. XV. col. 164 D., Benvenutum de Sancto Georgio in Hiſtor. Montisferrati R. I. T. XXIII. col. 540. B., qui omnes annum 1359. aſſignant.

riſperitis, quos propter deteſtanda denegavit ad benevolentiam reſtituere. Et ſic miſſis Caſtellanis, Vicariis, Prætoribus, datis Papiæ Poteſtate & Capitaneo, & in Conſilio conſtitutis Officialibus tot ex Gibellinis quot ex Guelphis, cœpit communiter regere. Frater autem Jacobus ſtans in Papia, & credens Domino Galeatio complacere cum verbis & truffis, ſicut fecerat cum Domino Florello & Univerſitate Papiæ, dabat ipſi Domino Galeatio intelligere, quod ipſum cum Papienſibus & claſſe reducta apud Papiam, faceret regnare uſque in Ravennam. Sed amplius non erat locus prædicantiæ, imo correctioni, quum Dominus Galeatius fingens ab eo conſilium haurire, voluit ab ipſo ſcire quantum potuit. Tunc prædicti Centuriones; & alii fatui ipſum Fratrem in maxima multitudine a Sancti Auguſtini Cœnobio uſque ad Curiam, & e converſo exſpectabant & ſociabant. Et ex hoc proceſſit celerius exitium & brevior deſtructio ipſius Fratris, quia numquam incedebat ſine magna univerſitate & caterva. Elapſis autem prædictis ad vacationem, & pluribus diebus per intervallum excurſis, Dominus Galeatius habito conſilio circa ſtatum Papiæ, & volens determinare tam ſuper præmiſſis, quam ſuper agendis, & providere circa promiſſiones: & videns quod ille maleficus Frater Jacobus, Urbis ſubornator, omnibus iterum dabat auditum, cogitavit contra eum de remedio opportuno providere & bene. Incautus ille Frater in deditione Civitatis per eum facta Domino Galeatio curaverat de aliis, non autem de ſe ipſo, prout ſemper allegabat prædicando. Ideo promiſſiones Domini Galeatii ad alios ſpectabant, non autem ad ipſum. Et ille diabolicus Frater, ſpiritu maligno inſtigatus (ſi dici ita poteſt, quum illius cauſa mille millia hominum mortui ſint, vaſtati, & naſci non permiſſi) non legerat axioma Philoſophi de Caritate prima incipiente a ſe ipſo. Ideo tamquam venia indignus ſemet ipſum in pactis prætermiſit. Et tamen meminiſſe

debebat, ſe pluries a ſuo Magiſtro Generali fuiſſe citatum ad Capitulum, & in pœnam contumaciæ ſe fuiſſe excommunicatum, vel in excommunicationem incidiſſe. Et in pœnam etiam contemtæ excommunicationis incurrerat. Meminiſſe debebat, quod ipſe quamvis Tyrannus tunc esſet in Papia, tenebatur Superiori ſui Ordinis Eremitanorum obedire. At ſuperbia elatus, & credens neminem ſibi parem vel ſimilem in Ordine, denegavit comparere, quamvis pluries citatus. Et ideo ad perpetuum carcerem fuerat condemnatus. Et quia præfatus Dominus Galeatius nihil de ipſius Fratris abſolutione vel indemnitate promiſerat, ideo requiſitione facta noluit ſe opponere, quando idem Frater juſſu ſui Magiſtri Generalis fuit captus, quamvis invite permiſerit hujuſmodi detentionem. Itaque Frater Jacobus ille de Buſſolariis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini ductus fuit Vercellas, & in exſequutionem ſententiæ latæ fuit, jubente ſuo Generali, in domo ſui Ordinis antedicti intruſus, & mancipatus in perpetuum carcerem, & ibi ſiſtit de præſenti (150). De cujus perpetua carceratione Papienſes, præſertim mulieres, perpetuo contriſtabuntur.

Poſt hæc præfatus Dominus Galeatius Civitellam in eadem Civitate conſtruxit verſus Mediolanum, valde pulchram intus & extra, muratam valde bene. Et apud Caſtrum antiquum erectum per quondam Dominum Matthæum, aliud Caſtrum mirabile fecit de novo erigi. De cujus magnitudine, latitudine, groſſitie murorum, & profunditate poſſent dici mirabilia. Aliamque erexit Rochettam citra Pontem Ticini verſus Civitatem. Et interim ſtuduit in eadem Civitate inſtaurare & replere caſſonos evacua-

(150) In Cavea nempe Ferrea, ut tradit Camillus Ghilinus in Collectaneis Baptiſtæ Fulgoſii, lib. 1.

cuatos. Et quum Papienſes non eſſent diſcreti, & id non procurarent ex ſe, ipſe dedit pulchrum modum. Et Officiales ad id negotium habuit adheo ſufficientes, ut caſſoni repleti fuerint, & Papienſes perpetuo & merito ſint memoriam ſervaturi. Prædictis durantibus, peſtis Papiam & diſtrictum invaſit, & adeo in brevi tempore invaluit, ut in Civitate perierint ſeptem ex decem, & in diſtrictu duæ partes ex tribus ſine alio ſubſidio. Et ideo Civitas Papienſis ita erat vacuata, quod etiam de die homines rari apparebant. Et propterea per ſequentia Officiales Domini Mediolani, & ipſum Commune habuerunt in ipſa Civitate Papiæ & campaniam ſolummodo per alia gravamina providere in expenſis, pro eo quod Lomellina & univerſæ Terræ de ultra Padum per ſequentia in aliquo non reſpondent. Sed interea Marchio cum illa Anglicorum Societate, quam de Anno proxime præterito MCCCLXI. conduxerat, & a qua olim commorante in Sicciano everſus fuit diſtrictus Novarienſis, ut ſupra, curavit habere Terram Caſtrinovi ſuper Scripiam inter diſtrictum Papiæ & Terdonæ, & eam diripere. Nam prædicti Anglici ſunt furatores excellentiores quibuſque aliis prædatoribus Lombardiæ. De die plerumque dormiunt, & de nocte vigilant. Et habent talia ſtudia & artificia ad Terras capiendas, quod nuſquam aliqui viſi fuerunt ſimiles vel coæquales. Et quia non novum eſt, quod malivoli Societates tales quærunt, ut ſuas malivolentias exerceant (151), de dicto Caſtronovo cum ipſa Societate exiſtens, introitum ipſius Terræ cogitavit. Tamen unus Miles Poteſtatis ejuſdem Terræ, patria Tuſcus, ab indiciis præcedentibus & ſubſequentibus paſſus eſt inculpationem. Et ſic de Menſe Martio Anni MCCCLXII. ea ſocietas Caſtrumnovum repente intravit,

 eam-

(151) Hic aliquid deeſt.

eamque Terram magnam, imparatam, divitem, & longa gaudentem quiete cepit, & intravit ſine ictu. Enormia a maribus & fœminis exegit, horrenda dictu, terribilia, & inaudita; quæ mihi narrata ſunt a Martino Torniello naturali, ab Antonio filio ſuo, Aicardono de Camodeja, Petrino Torniello, Legale filio ipſius Petrini, & a Bonifacio de Concorrecio, qui per eos Anglicos ducti fuerunt e Sicciano tamquam captivi cum multis aliis. Plures Oppidani Caſtrinovi perierunt vel ſubmerſi in foſſatis, quum fugerent, vel ferro petiti. Qui fugerant & evaſerant, petierunt propinquam regionem ultrapadanam; & qui capti remanſerant, in compedibus de nocte, obequitante Societate, clavabantur, & de die incluſi ſub cuſtodia tenebantur. Tribus menſibus duravit ſpolium, & populatio tam divitis Terræ. Et demum quum fuiſſet evacuata, illi Anglici dereliquerunt eam. Homines aliqui demum cum ipſis pacificati ad priſtinum ſtatum Mediolani reverterunt. Ipſorum erat, & eſt Capitaneus Dominus Alberet Sterz Teutonicus, quamvis loquelam Anglicam ſciat, qui virtuoſus ad pugnam omnes alios facit virtuoſos. Eorum mos eſt, quum neceſſario habent in aperto dimicare, deſcendere ab equis, armati ut plurimum ſola diploide (152), vel plata una ferrea ſuper pectus, & capite ut plurimum decoperto, cum ſolo cupo barbutæ, & lanceis grandibus longiſſimo acumine ferreo ſupra appoſito, ſe opponere. Et ut plurimum duo utuntur unica lancea, & aliquando etiam tres, quia tam gravis & tam groſſa eſt, quod nihil tangitur quin perforetur. Poſt tergum & ad partes poſteriores geſtant arcus. Pedeſtres tam magnos & auctos arcus habent, quod ipſos figunt a teſta inferiori in terram, & tra-

(152) **Diplois eſt Lena duplicata, ideſt Tunica, ex duplici Panno laneo craſſiore.**

trahendo, magnas & longas ſagittas emittunt. Quum Societas illa Anglica ſiſteret in Caſtronovo, Dominus Galeatius miſit Terdonam Comitem Landum cum maxima turma, & Comitem Nicolaum Hungarum, qui bene ſe cum quingentis Hungaris valde prodis geſſit. Ac diebus illis in ea Civitate ſtetit Dominus Joannes de Pepulis pro dando ordines, ita ut dicti Anglici vel cogerentur acceptare certamen, vel ſe cum Domino Galeatio concordare. Sed illi ſemper reſpondebant, quod erant parati ad bellum, de concordio continue dicentes, quod ſicuti Lombardiam intraverant cauſſa belli ſub ſtipendiis Domini Marchionis Montisferrati, ita etiam volebant ei legaliter ſervire, prout de præſenti ſerviunt. Et durantibus prædictis non potuit fieri, quin per aliquem ſaccomannum Teutonicum offenderentur. Imo quando unus ibat, alter redibat. Et ſæpius unus titulabat, & alter verberabat frumenta ſimul, & in ſero unus redibat Caſtrumnovum, & alter Terdonam. Hungari autem ipſos multum opprimebant, & ab ipſis tamquam perfidis inimicis infeſtabantur. Et ſicuti Teutonici (ut ſupra dixi) non curant de guerris Lombardiæ, ſed potius timent de pace, ideo Dominus Mediolani propter ſuos ſtipendiarios diu non potuit victoriam obtinere. Et pro eo deſtruitur ſtatus Lombardiæ. Nam miſeri Lombardi ſpoliantur intus & extra, nec aliquem Teutonicum habent amicum. Et ita fuit, eſt, & erit per tempora. Nam Dominus Mediolani propter infinitas expenſas, quas propterea patitur, Laicos & Clericos ſubditos cruciat expenſis infinitis. Et reliqui qui ab ipſius dominiis fugiunt, per ipſum & per gentes ſuas moleſtantur, & per extraneos poſſeſſores cruciantur. Et ſic de præſenti, & diu evenit Lombardis.

Veniebant autem prædicti Anglici ad mille & quingentos & ultra ſæpius ſuper portis Terdonæ, trahentes lanceas intra raſtellos. Et quamquam infinita gens cum Comite

mite Lando eſſet in Terdona, nullus exibat. Et ſi exibat, nihil faciebat, aut inordinate ad pugnandum procedebat. Quare Anglici in tantam audaciam lapſi ſunt, quod ſuper Curte Terdonæ frumenta in campis combuſſerunt. Et ſic continuatis menſibus tam ſuper diſtrictu Papiæ quam Terdonæ, ultra Padum comburentes etiam Villas & domos & univerſas Terras Papienſes ultra Padum extra fortalitias prædati ſunt, & campaniam univerſam frumentis plenam concremarunt. Pro quibus & aliis gravibus commiſſis tam per ipſos, quam per Dominum Mediolani & gentes ſuas, in rebellionem contra eumdem Dominum ſe ſe poſuerunt Garlaſcum, & plures aliæ Terræ Lomellinæ, & ultra Padum, Sale, Viqueria, Montebellum, Turris de Monte, Monteferrarium, Burgus de Periolo, Blexuſium, Calcababium, Sanctus Antonius, Nibiolum, Stephanagum, Caſtegnolum, & aliæ plures; quarum poſtea aliquæ fuerunt vaſtatæ per gentes Domini Mediolani. In territorio Terdonenſi rebellarunt Caſale de Noceta, Caſtellarium, Viperulum, Vulpeglinum, Monslealis, Villa, Cerretum, Montegualdonum, Caſaſcum, Montemoriſinum, quæ omnia Caſtra de diſtrictu Terdonæ ſunt. Sed Dominus Luchinus de Verme, factus Locumtenens in regione ultrapadana, veniens Terdonam, ſcivit cum pauca gente, nempe D. barbutis, ſagacitate & ſtrenuitate ſua de menſe Septembris MCCCLXII. combuſta ſolummodo Villa Pulpeclini & præcedentibus aliis vaſtis, omnia Caſtra, excepta Villa, recuperare. Et prædicta perfida Anglicorum Societas rediit ad partes Novariæ. Bis Romagnanum invaſit, occupatis primo Caſalino & Arcomeriano, & demum intravit in Romagnanum, quum accolæ periiſſent peſtilentia, & forenſes non auderent ibi habitare. Tunc tertia vice pugnando dicta Societas Anglicorum Romagnanum intravit. Et ſic fecerunt, ſicut alibi facere fuere conſueti, & peſte ex ea legione interierunt ibi bene quingenti. Et quum diſceſſiſſet a Caſtronovo ea perfida Societas,

cietas, illicò prædictus Dominus Luchinus eam Terram vacuam & exſpoliatam recuperavit, ac peditatu & equitatu firmavit, Accolas profugos & expulſos debiliter redeuntes excepit, & pro Domino Mediolani cuſtodit. Steterat ipſe diu Poteſtas Albæ cum univerſa ejus familia, & Capitaneus Terrarum ejuſdem Domini in Pedemonte, quarum multas recuperavit pro ipſomet Domino, ut inferius dicetur, maximis vexatus laboribus per gentes & potentiam Marchionis & Aſtenſium. Et utinam tempore illius Comitis Landi præfatus Dominus Luchinus fuiſſet in Terdona, quoniam Angli non fuiſſent ita ſpalmiti & temerarii, nec Terræ prædictæ Papienſes & Terdonenſes fuiſſent perditæ, nec tot infinita damna fuiſſent in ipſis & aliis partibus illata; ſi non fuiſſet nec ipſe cum ceteris aliis ſtipendiariis, qui non erat de Societate Comitis Landi, tunc miſſi Novariam, eam pro nihilo faciendo & Hungaris. Sed quia non fuit dictus Luchinus, eiſdem in havere & perſonis male ſucceſſit. Recuperato igitur Caſtronovo, & receſſa dicta prava Societate, præfatus Dominus Luchinus ſtans Terdonæ, dicto ſolo Caſtro Villæ Terdonenſi remiſſo pro rebelli, fieri fecit vaſta ipſi Caſtro circum circa in plantis & vineis. Potius profuit defectio & rebellio dicti Caſtri quam reductio, quia parum illud poteſt, & conſtitutum eſt citra Scripiam. Et Cives Terdonæ, & præcipue Officiales ſe ſe lignis ad focum providerunt. Secus male quo ad ligna ſe ſe habuiſſent, quum pro uno Floreno non poſſit haberi plauſtrum lignorum. Deinde Dominus Luchinus, junctis peditibus locorum Domini Mediolani, circum circa Papienſem diſtrictum fecit magnam cavalcatam magna vi contra Viqueriam & Retorbium, quod erat Caſtrum & Villa valde fortis; & de ſequacibus Viqueriæ cepit violenter, & prædatus eſt, concremavit, & minavit; plures homines ipſius loci captos abduxit, inter quos Dominum Buſcaliam vulneratum, & plures alios Dominos de parentela

tela Dominorum Sancti Nazarii, quos in Terdonam duxit captivos, ex quibus captis duo ruſtici fuerunt ſuſpenſi, & ipſe Buſcalia Mediolanum ductus. Sed non fuerunt ii ruſtici ſuſpenſi, pro eo quod dictus Buſcalia dabat intelligere Domino Luchino prædicto de reſtituenda Domino Mediolani Rochetta Catalbabii, quæ erat ipſius Buſcaliæ, & in qua erat unus ſuus filius. Quod tamen exſequi non potuit, pro eo quod Viquerienſes ſciverant de dicta promiſſione. Deinde die ſequenti præfatus Dominus Luchinus, poſitis multis gentibus in inſidiis a parte verſus Caſtellarum, equitavit ſubito ad Terram Viqueriæ. Cujus ſuperbi habitatores ſperantes, quod Dominus Luchinus eſſet cum paucis gentibus, armati ad conflictum exierunt, multa damna inferentes noſtro equitatui ſtipendiario. At noſtri retrocedendo, & fugam fingendo, inſectatores deduxerunt a longe. Et tunc proſilientibus iis, qui inſidiando latitabant, Viquerienſes cœperunt verſus Viqueriam fugere. Sed non potuerunt tam cito, quin centum ex ipſis interfecti, & totidem lethaliter vulnerati ſint. Septuaginta capti cum beſtiis multis ducti ſunt in Terdonam, & vaſta magna in vineis illata. Capti ſupplicium exſpectabant, quoniam ſuperioribus diebus & paulo pridem ſexdecim de Salis in alio conflictu capti furcas in Terdona paſſi fuerant; & in Papia XLIX. de Oghebiano idem ſpectaculum exhibuerant (quam Terram in Lomellina ſitam Dominus Mediolani vi recuperavit) & quadraginta de Garlaſco in pluribus vicibus furcis pariter perierant. Sed nemo eorum Viquerienſium periit, præterquam tres ex majoribus (nam reliqui fuerunt libere dimiſſi ad preces Domini Aſareti de Sannazario Gibellini, amicitia juncti cum Domino Mediolani) & tres, qui fuerunt vulnerati, mortui ſunt in carceribus Terdonæ. Sequenti die præfatus Dominus Luchinus a Pontecurono, ubi cum exercitu pernoctaverat, rediit Viqueriam, ubi neminem in itinere obviam

ha-

habuit; ibique & circa Montembellum fecit vaſta quæ voluit. Univerſos burgos extra Viqueriam valde amplos concremavit, quod valde profuit, ut infra. Deinde profectus eſt Catalbabium pro Rochetta promiſſa habenda, ſed non potuit, quia filius Domini Buſcaliæ jam in Viqueria detentus fuerat. Verum univerſam Catalbabii Villam valde ſpatioſam concremavit. In Mergaſino apud Viqueriam, & cum ea ſe tenente, omnia extra fortalitia incendiis abſumſit. Villam Montiſdondoni, Caſtrum Nibioli, Caſtrum Sancti Antonini in Papienſi diſtrictu recuperavit, & in montanis Papienſibus Stephanagum cum Caſtro, & Caſtrum Caſtagnolorum, ſita omnia in uno cuneo ſupra & apud Montembellum. Hiſce peractis ivit Claſtigium, & deinde Papiam, & Mediolanum, cum Comite Nicolao Hungaro cum ſuis Hungaris, qui fuerunt Caſſi (& quidem male, ut infra) & de præſenti deſcribuntur per Dominum Barnabovem. Dominus Luchinus in Papia graviter ægrotavit, cujus profectio e Terdona multum obfuit eidem Civitati. Nam prædictus Dominus Albaret Sterz caput Societatis Anglicorum, & in Romagnano exiſtens cum illis illius perfidæ Societatis, quos ſecum habere potuit, curavit cum quingentis equeſtribus redire Terdonam, & diſtulit tantum in redeundo, quantum explorator a Viqueria Romagnanum exſtitit itinere occupatus; ſciens de diſceſſu Domini Luchini, & de caſſatione Hungarorum. Non potuit autem Dominus Albaret plures ducere pro eo quod in Romagnano morbo infiniti mortui ſunt. Et propterea Romagnanum ipſum, & partes illas Novariæ & Vercellarum totaliter dereliquit; & pro cuſtodia Caſalini & Arcamariani, diſtrictus Novariæ, habuit alios dimittere, pro eo quod infeſtabantur per Comitem Landum a Civitate Novariæ, ubi tunc erat cum gente ſua, illuc venientem.

Interim autem Simoninus Buccanigra Dux Januæ publicis inimicus Dominorum Mediolani, licet jamdiu occul-

tus, qui virtute ſua curaverat, ut Anglici Lombardiam intrarent, pro eo quod gens Dominorum Mediolani ripariam Januæ infeſtabat, dando auxilium Dominis Fliſcatoribus apud Clavarum, ubi Guelphi & Gibellini terrigenæ eumdem pagum totaliter deſtruxerant, magnam baliſtariorum manum, tamquam Gibellinorum fautor, collegerat in Novis, & aliis Terris Januæ diſtrictui Terdonenſi propinquis, ubi Dominus Bartholomæus Buccanigra ejus frater una cum Luchinetto filio quondam Domini Luchini Vicecomitis, effecto genero ipſius Ducis, & plurimo equitatu & turmis XXX. & ultra baliſtariorum, dicebatur habere cum dicto Domino Albaret aliquem tractatum circa Alexandriam aut Terdonam. Quum itaque ſuperveniſſet idem Albaret a parte Salarum, ubi tacite pernoctaverat, apud Terdonam ſummo mane cum equitatu tranſiens Scripiam ad vadum Sancti Martini prope Terdonam, & procederet verſus Portam Januenſem, ecce apparuit illa multitudo equitum & peditum a partibus ſuperioribus, eam ducentibus dictis Dominis Bartholomæo & Luchinetto. Et ſtetit prope portam Burgi, prope quam fluit ac intrat canale molendinorum, & intra unius horæ ſpatium ſe conjunxit. Hac multitudine valde magna & pulcherrima ad pugnandum Dominus Albaret univerſam Civitatem Terdonæ circumdedit, & a partibus ſuperioribus, & apud Caſtrum deſcendit. Baliſtarii cum carrigiis XXXVI. & barbutis CL. cum Bartholomæo & Luchinetto firmi ſteterunt prope Bealium. Plauſtra onuſta erant ſcalis, mantellis, lignis, ac aliis inſtrumentis bellicis, ſale, oleo olivarum, ac aliis. Poſt modicam moram Albaret & alii equos aſcenderunt, & verſus campum ferire venientes, dicti baliſtarii ſe cum ipſis equeſtribus conjunxerunt, facta parva ſcaramucia cum baliſtis. Recta via omnes profecti ſunt Vigozolum, quam Terram ſcalis admotis, ac aliis machinis & artificiis, conati ſunt expugnare. Sed fruſtra laborarunt.

Nam

Nam hoc facinus adorti ſunt feſſi, & ſub Solis occaſum, & cum pluribus ſauciis Viqueriam perrexerunt. Deinde certificati de abſentia Domini Luchini, & de gente Domini Mediolani ſolam Terdonam cum nonnullis Terris defenſura, dictus Albaret cum univerſis baliſtariis, Bartholomæo & Luchinetto, una cum obſidibus datis a Caſtro-Noceto parum pridem ad Dominum Mediolani reverſo, profectus eſt ad idem Oppidum; a cujus hominibus, ſtans ſupra foſſatum, petiit ſibi Terram reſtitui, ſecus obſides ſe interfecturum. Et quia filii ipſorum relegatorum loci Arcem valde firmam ſuſtinuerunt tempore, quo dicti obſides ducti fuerant Viqueriam pro ſecuritate habenda de ſtatu ipſius Terræ, debentis remanere ad honorem Marchionis, ſicuti aliæ rebelles; ſic quamquam ipſam Terram de novo ad preces amicorum, quam omnes Gibellini Domino Mediolani reſtituiſſent, & non reverſis prædictis obſidibus, ipſorum obſidum filii Caſtrum ipſum tunc gubernabant; & denegantes vicini Terram ipſam Caſalis reſtituere, Dominus Albaret fecit ipſis obſidibus in præſentia ipſorum vicinorum & filiorum, qui Caſtrum poſſidebant, divellere membra & projicere in foſſatis. Et ſic peragentes, & filii in Caſtro ſuper eminentioribus locis ipſius Caſtri exiſtentes, cœperunt contra vicinos Caſalis clamare *Proditores*. Et ſic viciſſim contradicentes gens ipſius & Domini Albaret & aliorum intravit Caſale, & dictam Terram more ſolito uſurpavit. Ulterius progreſſi rurſus Caſtellarium, Vulpeglinum, Viperolum, Montemlealem, Cerretum, & multa loca verſus Cecimam occuparunt, & devaſtaverunt, & ſignanter Caſtrum cum Terra Grumiaſchi pro mediatione Marchionum de Varzio, & ibi pluribus diebus ſteterunt, Caſtra fulciendo baliſtariis antedictis pro Duce Januæ, & poſtremo Montem Gualdonum. Et dum dicti Albaret & alii viderent, ſe nil aliud peragere poſſe, quia Dominus Mediolani a partibus Placentiæ Terras Marchionum Varzii

 præ-

præſidio firmaverat, Alexandriam redierunt, tranſeuntes ſub noctis obſcuritate penes foſſata Terdonæ, pernoctarunt in Ripalta. Et ſummo mane ſequenti cum aliis manipularibus Ducis Januæ Villam Boſchi agri Alexandrini, accolis non perpendentibus, miſerrime ac crudeliſſime ſpoliarunt, enormia ut ſupra patrando. Arcem tamen minime habuerunt. Tertia deinde die ſequenti perrexerunt Pozolium Formicarium diſtrictus Terdonæ, cum univerſo apparatu ad pugnandum. Sed fruſtrati cogitamine, cum porro pilato rediverunt die XVIII. Novembris MCCCLXII. Et hic in iſtis ſit finis, ſalvo quod de Terdona male poteſt concludi. Nam Anno ſuperiori tempore æſtivo eam ejuſque diſtrictum invaſit peſtilentia, qua ſex mortui ſunt ex decem, & ultra. Et ſic illius Civitatis ſtatus ſimilis eſt miſerrimæ conditioni Vercellarum, Novariæ, & Papiæ, & pari lamentatione poſſunt paria infortunia collacrymari.

C A P. XIII.

Barnabos Vicecomes.

BArnabos ſecundus frater ex tribus, magnus & excelſus Dominus Mediolani, aliarumque Civitatum de quibus in diviſione & ſubdiviſione, ut ſupra, ex conjuge Regina plures ſuſcepit mares, quorum natu major nomine Marcus numquam in puerili ætate riſiſſe fertur. Nam dicitur

„ *Marcus ut alta fremit vox per deſerta leonis*:

& hoc myſtice figurando nomen, & dicta Marci Evangeliſtæ. Eſt enim Dominus Bernabos veridicus, amans juſtitiam, conſtans, impatiens, & nimium virtuoſus, tamen aliquando voluntatem ſuam excedens. Curat namque ut plurimum ſuo ſtudio moderamina Civitatum ſuarum regere, & in arduis conſilio ſaniori potitur. Gubernavit ſemper & gubernat Civitates ſuas & loca præmiſſa, aliqualiter non perdendo.

do.

do. Et ſi caſu interveniente Caſtrum, Burgum, vel Oppidum perdidit, immediate omnibus poſtpoſitis ſtudet perdita recuperare. Habuit namque in diviſione ſua in Mediolano Domum quondam conſtructam per Dominum Luchinum Vicecomitem apud Sanctum Joannem in Conca, ut ſuperius eſt deſcriptum, quam domum & Eccleſiam magnificavit valde nimis. Ampliavit enim extra muros primo conſtructos ipſam domum in tantum ſpatio muris fortibus, merlatis, & altis, brachiis XXV., ut intra aream luſtraret ſuos ſtipendiarios, & ipſamet Domus æquiparanda ſit eminentiſſimo Caſtro pluribus portis, & clauſuris ordinato. Eccleſiam prædictam magnificavit muris, cælaturis, picturis, & altaribus, quorum majori fecit ſe ad vivum ſculpi in marmore armatum eo modo, quo prodit ad bellum, geſtantem baculum dominii, ac a lateribus ſtipatum ſtatuis referentibus ejus juſtitiam & fortitudinem, quibus virtutibus innixus regit; eamque ſtatuam locavit in ſuperficie Altaris majoris. Amiſſa per Dominum Matthæum fratrem ſuum curavit ſummo ſtudio recuperare, contemta expenſarum gravitate. Curavit pacem habere, ſi potuiſſet cum præfato Domino Joanne de Olegio occupatore Bononiæ; & pace promiſſa curavit cum eodem Domino Joanne pacifice ſtare, & pro pace ſervanda eidem Domino Joanni reſtituit Caſtrum Bazani, quod contra voluntatem ipſius Domini Joannis poſſederat. Tunc ambo cœperunt ſimul famulari. Dominus Joannes, ut de fide ſua certiorem faceret Dominum Barnabovem, accepit ab eo Poteſtatem in Bononia Dominum Guillielmum de Arimondis de Parma Juriſperitum, olim Vicarium Generalem Domini Joannis Archiepiſcopi. Qui Dominus Guillielmus, cum regeret Bononiam, cœpit familiam præfati Domini Barnabovis advenientem Bononiam bene tractare, & quoslibet juxta gradum. Quoniam Dominus Barnabos poſſidebat Terram Lugi in medio Romandiolæ ſitam, cujus cauſſa debebat Domi-

micellos ſuos per Bononiam ſæpius mittere tamquam Officiales, & aliquando Collaterales ſuos, & etiam Majores, qui recreationis cauſſa aliquando pluribus diebus Bononiæ morabantur. Sed Dominus Joannes de Olegio, tamquam aſpis non ſurdus ſed vigilans, greſſus miſſorum iſtorum ſciſcitabatur ab Officialibus ſuis, verens ne deciperetur, ſicuti ipſe alios deceperat. Quare una die pravis ſuis cogitationibus non valens reſiſtere, labi incœpit ad talia patranda, ut potius timeretur, & ſagacior videretur. Et ſic opportunitate capta, armatiſque ſtipendiariis ſuis, detinuit prædictum Dominum Guilliełmum Poteſtatem, & Dominum Henricum Ducam filium quondam Caſtrucii de Luca, & Bennum de Valgrana Domicellum Domini Barnabovis, ac nonnullos alios, quos omnes illico carceribus mancipavit, ipſoſque tormentis addictos fecit confiteri quæ voluit & ſcribi; & deinde ſuper platea Bononiæ tamquam publicos ſuos proditores decapitari fecit Anno MCCCLVI. die VIII. Februarii, nihilo alio juridico exſpectato; & quoſdam alios diverſimode torqueri & decapitari fecit, & præcipue unum ex Cancellariis ſuis, quem volebat ex toto prædicta confiteri. O quam horrendum fuit tantum nobilem virum Dominum Henricum tali modo perdere, defenſione ſua non obtenta; quum præfatus Dominus Caſtrucius dominatus fuiſſet pluribus Civitatibus, ut ſciebat, & caput eſſet in Tuſcia partis Gibellinæ, pro quibus prædictus Dominus Joannes de Olegio debebat reverenter & maturius ad informationem procedere. Prædicta & etiam majora non profuerunt, quæ tacenda ſunt. Imo quantoſcumque poterat incaparare, potius gloriabatur in faciendis injuſtitiis, ut Bononienſes & alios adhærentes potius perterreret. De prædictis doluit Dominus Barnabos, & ad mortem uſque condolebit de perditione tanti nobilis viri Domini Henrici proviſionati & ſocii ſui. Doluit de tam antiquo ſapiente, & diu in ſervitiis Domus Vicecomitum perſeve-

ſeverato. Doluit etiam de fideliſſimo Domicello. Tamen reſpirans, omnibus poſtpoſitis, curavit de recuperatione olim ſuæ Bononiæ, multoque magis de ſuorum Officialium vindicta. Et tunc ordinato magno exercitu miſit Dominum Joannem de Beſocero Capitaneum Generalem a carceribus Mantuæ, ut ſupra, relaxatum, ad populationem Status dicti Domini Joannis de Olegio. Qui Capitaneus ſagaciter procedens cœpit territorium Bononiæ invadere cum MD. barbutis, & infinitis peditibus, & in Creſpolano caſtrametatus eſt, & ibi Caſtrum ipſum reædificari fecit, & in Caſalegio exiſtenti prope Bononiam fecit Baſtidam ita fortem, quod aſſidue Civitatem Bononiæ vexabat, rupto Canale Reni decurrentis per Bononiam apud Baſtitam. Et ſic procedendo dictus Capitaneus Domini Mediolani cœpit montanas partes Comitatus Bononienſis invadere; & tunc ipſa loca Dominis Mediolani adhæſerunt, quibus in locis Officiales poſuit. Deinde apud Civitatem verſus Renum locavit exercitum in Villis Arzeni & Arcellatæ, ſuper navigio caſtrametando, ubi tamdiu ſtetit, quod maxima inopia habebatur in Bononia propter devaſtationes & incendia in planitie, & propter occupationem montanarum partium, in quibus Dominus Joannes de Olegio ſolummodo duas Arces habebat, videlicet Savignanum & Montemvegium; nec alia in aliquo reſpondebant Bononiæ.

In illis montanis partibus Præturam pro Domino Mediolani agebat Maſchiolus de Perego, qui ſtans in Scaregalaſino gubernabat Monzonum, Petrammalam, Caprenum, Roncaſtaldum, Planorium, & ceteras Villas Vallis fortes. Habebat Dominus Mediolani Poteſtates in Serravalle cum aliis Villis, in Stagno & Barzio, ſibi datis per illos de la Moſcalia in capite Reni, qui univerſas Villas & loca Vallis Reni gubernabat, & in Creſpolano, qui partes ſuas corrigebat. Et ſic gente Domini Mediolani cuſtodiente Montem Sanctæ Mariæ ſupra Civitatem Bononiæ a parte

ver-

verſus Meridiem, nullus audebat Bononiam, niſi furtive, intrare vel exire, prout neque a parte verſus ſero propter Baſtiam Caſalegii, & exercitum in Arcellata locatum, a quibus ipſa Civitas aſſidue verſus ſero moleſtabatur, quamvis Dominus Franciſcus de Ordelaffis de Imola Capitaneus Forlivii & Forlimpopuli in Romandiola vicinarum Bononiæ, adverſus alios in Lugo exiſtentes, & Bononiam infeſtantes reſiſteret, favendo Bononiæ. Nam etiam Dominus Joannes de Olegio totis viribus ſe tuebatur. Tenebat autem ipſe continuo Luchinum Savium de Novaria ſuum fidum Cancellarium in Curia Romana inſinuantem Papæ & Cardinalibus, quod quidquid præfatus Joannes de Olegio fecerat & faciebat de Bononia, cedebat & tendebat in ſervitium Romanæ Eccleſiæ. Et ſic evenit, quamvis tunc temporis dictus Luchinus mentiretur, quum dicat Philoſophus: *Prima Caritas incipit a ſe ipſo*. Videns autem præfatus Dominus Joannes, ſe hujuſmodi infeſtationes & expenſas non poſſe amplius ſuſtinere, quum magna ſtipendia erogaret in cuſtodiam etiam Bazani, Plumacii, Caſtrifranchi, Nonantulæ, Crepacorii, Sanctæ Agathæ, & Sancti Joannis in Perſiceto, ſpectantium verſus Mutinam in diſtrictu Bononiæ, nec non Terrarum Centi & Plebis, quamvis juriſdictionis eſſent Epiſcopatus Bononiæ, nec non aliarum verſus Romandiolam, ſcilicet Caſtri Sancti Petri (de quo plurimum dubitabat, quum aliunde eo perdito non haberet) Rocchæ de la Maſſa Lombardorum, & Caſtri Donzel (153), ad quas præſidio firmatas cuſtodiendum infinitas expenſas patiebatur, nec quidquam haberet de entratis, quum extra muros nihilo gauderet, nec in Bononia poſſet, ſive auderet plus rapere; raptaque jam conſumſiſſet cum Marchione in ſociali bello, & urgeretur ſtipendia perſolvere pro

(153) Forte Dozze.

pro ſex menſibus vel ultra: tamquam probus cogitavit de remedio opportuno, eligens potius in dominatu Bononiæ mori, quam miſere eam deſerere fugiendo, & extraneas partes adire, quum ſenem ſe reputaret: ad alterum quorum duorum videbat ſe neceſſario devenire, & ad unum citius declinavit; & præcipue quia fortior erat, quum quotidie videat gentes ſuas lacerari tam in ipſa Civitate, quam extra. Brevi igitur undique contractis viribus (& præcipue a Florentinis, quibus dabat intelligere, quod quando plus nequiret, & amplius perſiſtere non valeret, Civitatem ipſis potius quam Domino Mediolani daret) eamdem peditibus & equitibus, ut potuit implere procuravit, multaſque gentes tam de ſuis, quam de Florentinis in partibus montanis Bononiæ collegit, ac armavit baliſtis & aliis artificiis, eiſque dedit ſignum, ſcilicet quod quum viderent fumum ſuper Turri Aſinellorum, ad partes Caſalegii totis viribus & citato greſſu accelerarent. Hoc dato ordine & exſpectato, quod Capitaneus exercitus Domini Mediolani miſiſſet ſcortam verſus Panarium pro victualibus in quantitate infinita ducendis tute ad exercitum, pro qua ſcorta iverant CCC. barbutæ ex melioribus; & quum ſciviſſet eas gentes in ſcorta receſſiſſe, tunc apertis duabus portis Civitatis, & facto dicto fumo, Bononienſes armati ronconibus, auxiliarii, amici acquiſiti, & ſtipendiarii ſui ad Baſtiam Caſalegii veloci greſſu perrexerunt cum infinitis ſcalis, ſclopos, uncinos ferreos, baliſtas, & mantellos deferentes, ipſamque Baſtiam circum circa cœperunt oppugnare & debellare, mortem poſtponentes. Et ante ſuccurſum gentis equeſtris Domini Mediolani in campo ſupraſcripto permanentis, intrarunt in eam Baſtiam, tamen non ſine cæde: quoniam & Bononienſibus ipſis multi fuerunt lapidibus obruti, & aliis armis defenſivis correpti. At prædictis non obſtantibus, quotquot in Baſtia reperierunt, occiderunt. Quibus peractis, Dominus

Joannes de Beſocero cum univerſo exercitu ibidem eos invaſit. Et quia equitatu prævalebat, brevis horæ ſpatio tercentum interemit, non levem tamen paſſus reſiſtentiam a Bononienſibus, qui ronconibus (ut eorum moris eſt) equos ei incidebant, aut perforabant, quare multi ex ſuis equitibus defecerunt. Jam pro eo inclinabat victoria, & ſi conflictui adfuiſſent hi, quos pro ſcorta ipſe miſerat, taliter eveniſſet Bononiæ, quod perpetuo de ipſa factæ fuiſſent cantilenæ. Etenim durante conflictu jam Bononienſes fugerant ad montes. Sed ſupervenit illa magna Florentinorum & aliorum, ut ſupra diximus, multitudo coadunata, quæ cum Bononienſibus profugis irruit viribus reaſſumtis in gentem Domini Mediolani perſequentem Bononienſes uſque in montana, eamque non valentem ſuſtinere impetum illorum recentium & multitudinem aliorum cum avantagio deſcendentium, in fugam coegit, maxima edita ſtrage, campo obtento, fractis totaliter hoſtibus, & capto inter tot alios ipſo Domino Joanne de Beſocero, qui in Marchia Anconitana extitit carceratus. Cui tantam redemtionem poſuerunt, quod redimi non potuit. Imo de præſenti audivi, quod ibidem dies clauſit extremos. Gentes vero ſuæ, quæ fugerant, partim Parmam, partim Lugum ſe receperunt.

Campum itaque obtinuit Dominus Joannes de Olegio, qui gentem equeſtrem habuerat a Marchione Marchiæ Anconitanæ pro Eccleſia, ſed non in tanta quantitate, quod ipſe ab ea poſſet in Bononia opprimi. Hac victoria obtenta, univerſum Comitatum recuperavit, excepta Terra Serravallis, quam hodie cum aliis Dominus Barnabos poſſidet. Qui Dominus Barnabos auditis prædictis rumoribus, doluit immodice, & pluribus diebus vacavit, quod nullus ipſum vidit, nec auſus fuit loqui eidem. Sed reſpirans, & ab incœpto nolens deſiſtere, & imo in eis perſeverans, maximas gentes equeſtres undequaque acquiſitas collegit, cogitans

tans Terras ſaltem Bononiæ cum ipſa Civitate invadere, non permiſſurus, ut præfatus Dominus Joannes diſtrictum poſſideret. Quare diſcedens perſonaliter a Parma cum immenſo exercitu, & potiſſimum Nobilium & potentium Mediolani, quos ad prædicta requiſierat, & cum infinitis peditibus, & præcipue bannitis a Civitatibus ſuis, quos ad partes illas juſſit convenire, invaſit Comitatum Bononiæ, & vi occupavit Terram Crepacorii, cujus homines videntes mortem, ſibi adhæſerunt. Et cautius cuſtodire cœpit ipſam Terram. Univerſum deinde Comitatum rurſus adeo vaſtavit, quod Bononia iterum nec intus nec extra intratam habebat, uti nec habuerat tempore præterito. Propterea Dominus Joannes de Olegio dubitans de ſtipendiariis ſuis, ſcilicet ne ipſe ab eis propter ſtipendia reſtantia proderetur, aut venderetur, de remedio in prædictis peragendis cogitavit, & ſummo ſtudio adhibuit, cogitans ex toto ſine maximis diſpendiis ſe ſtare non poſſe. Dubitabat de Bononienſibus, quibus tot & tanta enormia intulerat, tamquam publicus homicida; multoque magis dubitabat de Domino Mediolani, quem videbat induratum in proſequutione incœptorum. Cogitabat enim, quod ſi contingeret, aliam Terram ultra illas duas, nimirum Serravallem & Crepacorium, reincidere in Dominum Mediolani, ſicuti Lugum & Sanctum Joannem in Perſiceto, ipſe remanſurus erat totaliter carceratus in Bononia. Et dato quod Dominus Mediolani alias Terras non haberet, attamen cum prædictis bene cuſtoditis vaſta perpetuo inferre poterat Bononiæ. Propter quæ idem Dominus Joannes, tamquam non valens diu ſubſiſtere, ut ſupra, neceſſario habebat aut vendi, aut prodi, aut ad rumorem Populi mactari. Et ita prædictis duobus malis nequibat dare remedium, quin aſſidue ſtimularetur. Et quia præfatus Dominus Joannes de Olegio bonus fuit ſcholaris, & valde intelligens, Regulam Priſciani cœpit praticare ſic dicentem: *Quotieſcumque ſunt duæ*

regulæ repugnantes, *aut una cedit alteri*, *aut tertia introducitur*. Et ſic per conſequens præcedentibus multis, cum inſidiis tertiam curavit introducere & introduxit. Quam tamen ſaniori conſilio voluit experiri. Et pro eo nolens celare quæ protinus habebat publicare, juxta dictum Boetii: *Quoniam ſi operam medicantis exſpectas*, *oportet ut vulnus detegas*, ſic detecto vulnere ſuo conſilium habere voluit primo a ſuis, eoſdem ſeparatim interrogans, præcipue quos credidit habere intellectum. A quibus tamen ſuadebatur, dominium Civitatis Bononiæ reſtituere potius Domino Barnabovi quam alteri, pluribus & veridicis aſſignatis rationibus, de quibus propter faſtidium operis nunc taceo. Mox ab aliis, de quibus primum confidebat, conſilium ſibi impertiri voluit. Habebat enim Vicarium ſuum generalem Dominum Joannem de Senis, qui tamquam publicus Guelphus voti fuit, quod dominium dictæ Civitatis reſtituendum erat potius Eccleſiæ Romanæ, ad quam de jure ſpectabat. Quod dictus Dominus Joannes de Olegio deinceps non poterat ſperare de Domino Barnabove, nec de alio Domino Mediolani, quia tanta geſſerat contra ipſos, quod perpetuo amicus ipſorum non poterat remanere. Spopondit iſte Vicarius ſe curaturum & facturum, ut eidem Domino Joanni tanta & talia beneficia fierent per Eccleſiam, quod ei met, ſuiſque nihil perpetuo defuturum foret. Has Domini Vicarii ratiocinationes multi approbaverunt, & præcipue Dominus Nicolaus de Neapoli, qui dicto tempore in Bononia exſtiterat doctoratus, & aſſumtus fuerat cum dicto Vicario. Horum ergo conſilia ſequutus eſt Dominus Joannes de Olegio, ſpreto parentum ſuorum conſilio. Et tunc de præſenti Luchinus Savius antedictus cœpit ambaſciatas pro prædictis exſequendis ferre & referre a Bononia Avenionem, & e converſo. Et ſic prædicta in brevi firmata fuerunt tali pacto, quod Dominus Joannes de Olegio in vita ſua debeat Civitate Firmana in Marchia Anconitana cum univerſo ejus diſtri-

diſtrictu uti & gaudere; & quod Eccleſia Romana ultra prædicta habeat ſatisfacere ſtipendiariis exiſtentibus in Bononia & Terris ſuis pro ſervitio præſtito, nec non ſatisfacere Officialibus ejuſdem Domini Joannis de Olegio. Hæc ultra prædicti Vicarius & Savius magnam Florenorum quantitatem habuerunt pro maloſſo (154). Et ſic Eccleſia Romana a Florentinis, recuſantibus & nullo modo volentibus habere Vicecomites pro conſortibus & vicinis propter præmiſſa, & alibi jam dicta, mutuo accepit quantitatem Florenorum, quæ modica non fuit. Solutiones promiſſas fecit, & Terras diſtrictus Bononienſis pro ſe firmavit præſidio & fornivit.

Dum prædicta tractarentur, ſtabat pro Caſtellano Arcis Caſtrifranchi Ardicionus de Momo Novarienſis, diu amicus Domini Joannis de Olegio, de quo Ardicione ipſe Dominus Joannes multum confidebat, quum Caſtrofrancum in planitie alias fortalitias præcellat. Sed Ardicionus cogitavit de ſtatu ſuo, maxime quia illi de Domo ſua ſunt multi, & Nobiles Capitanei divites ſuper diſtrictu Novarienſi. Et ne ipſe eſſet cauſſa, ut illi per Dominum Mediolani in partibus Novariæ perderentur, non curavit de Eccleſia Romana, quoniam Gibellinus erat. Sed aliam viam elegit & talem, quod præfato Domino Barnabovi ſub quibuſdam pactis inter ipſos initis Caſtrofrancum cum univerſa fortalitia tradidit, licentiatis gentibus Eccleſiæ, a Bononia miſſis pro muniendo illud Oppidum nomine ipſius Eccleſiæ. Quibus Bononiam reverſis præfatus Dominus Joannes doluit immenſe de tali perditione, timens, ne pacta inita cum Eccleſia, deficiente Caſtrofranco, deficerent. Poſtquam igitur Terræ fuiſſent per Eccleſiam firmatæ præſidio, ſtipendiariis jam ſatisfactis, & Civitate ipſa Bononiæ for-

(154) Vulgaris Italici ſermonis dictio, idem ſignificans, ac latine: *Æs Pararium*, aut *Proxeneticum*.

ſornita (hæc etenim omnia præſtiterat (155) Eccleſiæ, qui ad prædicta venerat perſonaliter) timuit, & de vita dubitavit, ſuplicans ne occaſione ſui Populus Bononiæ traheret ad rumorem ſicut traxit, quia non obſtantibus minis & precibus dicti Marchionis curabat ipſum Dominum Joannem ejuſque familiam finaliter devaſtare. Nam idem Populus jam ſumſerat audaciam, & dum adhuc eſſet in domo ſua, ſcilicet ubi habitare ſolebat, ipſe Populus ſuper platea eo audiente clamabat: *Moriatur, moriatur proditor Joannes Vicecomes de Olegio*. Viperam magnam pictam in pariete dictæ habitationis Populus malleavit & ſtercoravit cum tanto rumore, quod tota Bononia perſonabat. Tunc vehementius timuit. Sed rumore ſedato, & ſuperveniente noctis umbraculo, e Bononia clam fugit (156) & ſic reliqua

(155) Hic ſupple: *Marchio Marchiæ Anconitanæ Dux Exercitus*.

(156) Joannem Vicecomitem de Olegio, a Bononia clam fugiſſe die Martis 31. Martii, hebdomadæ præcedentis Paſchalem ſolennitatem, profundo jam provectæ noctis ſilentio, Civibus ſomno ſopitis, ac mille Cataphractorum ſtipatum Cohorte, feliciter Imolam perveniſſe, atque inde Ceſenam ad Pontificium Legatum proceſſiſſe, anno 1360., tradit Matthæus Villani Hiſtor. lib. 9. cap. 75., & R. I. T. XIV. col. 593. D., ac Corius ad annum 1360. Chronicon vero Mutinenſe Jo: de Bazano R. I. T. XV. col. 631. B. refert Marchiæ Anconitanæ Marchionem ingreſſum fuiſſe Bononiam, & ipſius poſſeſſionem Pontificis nomine accepiſſe die 8. Martii anno 1360., & die ultimo ejuſdem menſis, Joannem Vicecomitem de Olegio, noctis tempore clam diſceſſiſſe. Hæc confirmat etiam Chronicon Eſtenſe R. I. T. XV. col. 484. D. Ipſum poſtea diem clauſiſſe extremum in Civitate Firmi, die 8. Octobris anno 1366., aſſerit Chronicon Eſtenſe, R. I. T. XV. col. 488. A. Dictum Joannem Vicecomitem de Olegio filium naturalem fuiſſe Joannis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolani, non deſunt Scriptores, qui dicant, quod tamen falſum eſſe credo, quia Azarius R. I. T. XVI. col. 329. A. dicit, quod *Dominus Manfredus agnomento Botta de Gattego de Novaria . . . . in Olegio Caſtro parviſſimi valoris, patrem ipſius Domini Joannis de Olegio, cum una mazia ferrea, quam tunc portabat,*

&c.

qua familia contrafacta & perſonata. Et ſi aliquis ex ea remanſit, fuit taliter pilatus, quod capillum extra Bononiam non portavit, excepto Luchino Savio antedicto, qui verbo & opere ſtuduit complacere ipſis Bononienſibus & Eccleſiæ, & præcipue in dicto fine. Ea nocte dictus Dominus Joannes ſe recepit ad domum Roberti de Imola, & in ipſa Civitate cum univerſa familia ſua taliter qualiter fugata ſe reduxit. Deinde Civitatem Firmanam adiit, ubi fuit receptus. Et promiſſis gaudet, portatis ſecum etiam ſuis univerſis bonis. Attamen pluries dubitavit, & pluries maluiſſet conſortium Domini Barnabovis elegiſſe. Profecto autem prædicto Domino Barnabove cum proceribus & nobilibus tam Mediolani quam aliunde ſecum ſociatis, prædictæ Terræ Seravallum, Crepacorium, & Caſtrofrancum per eum bene munitæ & proviſæ, guerram pro eo faciebant contra Bononiam & ejus Comitatum, quantum poterant; & faciunt de præſenti. Sed elapſo tempore propter infeſtationem Caſtri Plumacii, quod ſitum eſt inter Caſtrofrancum & Serravallum, curavit dictus Barnabos totis viribus prædictam Terram Plumacii cum ejus Arce habere. Et tunc dato Nobilibus Mediolani & aliis mandato, ut cum ipſo Domino Barnabove perſonaliter equitarent, pervenit cum infinitis gentibus ſuper campis Plumacii, ubi talia facta fuerunt, quod Cæſar Julius majora non fecit pro expellendo Pompejum fugientem de loco Brunduxii. Impletis foſſatis circum circa licet amplis, profundis, & cœnoſis, & dato ordine, quod foſſa ruſticis ſolis & equis repleretur, nec non promiſſis duabus paghis duplicibus, & menſibus completis publice evulgatis, Nobiles & Capitanei de

---

interemit, & Olegium popalatus eſt, & totum concremavit. Tomo vero eodem col. 741. E. *meminit Franciſci Vicecomitis, quem ejus Nepotem Paternum & legitimum eſſe dicit.*

de Buccadeferro intus exiſtentes, prout etiam alii, timuerunt. Et ſic celebratis pactis, ipſam Terram & Arcem dederunt Domino Barnabovi, quam ipſe bene munivit, & fornitam tenet de præſenti. De prædictis autem valde timuit Marchio exiſtens in Bononia, verebaturque, ne idem Dominus Barnabos Bononiam infeſtaret, ſicut conſueverat, ac proinde tam viva voce, quam per literas ſanctam Apoſtolicam Sedem appellavit, ſcribendo & proteſtando, quod niſi tantas haberet gentes, quæ planitiem Lombardiæ cooperirent, Eccleſia Romana non poterat ſe tueri a Mediolano. Quare Eccleſia ſubito literas ad filium ſuum deſtinavit, nempe Regem Hungariæ, qui nunc alios Reges Chriſtianos potentia & perſonis dicitur antecellere, quique filius Eccleſiæ vocatur, quamvis alias tali nomine nuncuparetur Rex Franciæ, qui nunc parum potens eſt propter immenſos labores, quos paſſus eſt, ideoque Eccleſia a tali filio declinavit. Quo circa Rex Hungariæ ſubito tantos Hungaros induxit, quod quum fuerunt in Bononia, omnia comederunt.

Sed quia prædicta brevi tempore expediri non poterant, & ſine maxima mora propter longhiſſimum iter, quamquam omnia ſub brevitate procederent, præfatus Dominus Barnabos interea factis vaſtis ſuper Bononienſi, dimiſſiſque dictis Terris fornitis, Mediolanum rediit cum proceribus ſuis ſecum ductis. Quum ergo Hungari venientes & fugientes tamquam leones & pardi attinxiſſent Bononiam, eam, ſe ſe recreantes, vacuaverunt victualibus. Quibus viſis prædictus Marchio ipſos hortatus eſt, ut Lombardiam, & potius Terras Dominorum Mediolani invaderent, prout ita celerrime, & Dominis Mediolani non perpendentibus, diſtrictum Parmæ invaſerunt lacerando eas Terras. Et ſubito ad Civitatem Parmæ acceſſerunt numero decem millia Hungarorum & ultra; eam obſederunt, & in eam multi intrarunt, quia Parmenſes nondum erant

ex-

expergefacti, & etiam quia Caſtellanus a porta, per quam multitudo hoſtium intrabat, auſugerat. Sed vicini eamdem portam aſcenderunt & defenderunt. Ibibem ſuperioribus menſibus propter quoſdam rumores facta fuerat certa Grida tenoris, ne ullus Civis traheret ad rumorem, ſicuti facta fuerat in Novaria, antequam caperetur. Verum Parmenſes audientes, quod Hungari intrabant pet portam Sancti Franciſci, & quamvis tres partes ſint contumaces, nihilominus unanimes dicebant: *Nolumus capi, & derobari miſerrime. Et nolumus, quod noſtræ uxores conculcentur nobis videntibus*. Quare poſtpoſita Grida antedicta traxerunt ad rumorem circumcirca, præſertim ad locum, per quem Hungari intrabant, & eos taliter malleabant, quod arcus non poterat ſagittam emittere. Et eos ejecerunt ex Civitate cum magno eorumdem detrimento, & ipſam Civitatem viriliter defenderunt. Hungari igitur ad decem millia & ultra retroceſſi, per diſtrictum Parmæ aliquatenus vagati, coactoque inter eos conſilio, ſine alio præeminenti duce, in Comitatum Bononienſem regreſſi, nil cum arcubus facere potuerunt adverſus prædictas Terras per Dominum Barnabovem munitas. Et ſic Civitas Bononiæ & Comitatus paſſus eſt guerram, & patitur de præſenti. In conflictu autem dato gentibus Domini Barnabovis ſuper poderio Montiſclari, ducibus Dominis Ugolino de Mantua & Comite Lando, ut ſupra ſcripſimus, capti fuerunt XXV. Teutonici, & ducti Mediolanum. Quos Dominus Barnabos in vindictam ſceleſtiſſimi ſupplicii, quod gens nefaria Comitis Landi ſumſerat de nepote Domini Joannis de Biſocero innocente juvene motus in iram ſimile fieri ſuis non horruit. Sed iterato venia mortis illis de Societate Comitis Landi indulta, juſſit omnes excœcari, excepto debiliori, quem ceteros cœcatos ducturum fecit monoculum, eoſque omnes monoculo ducente remiſit ad eumdem Comitem. Anno autem præſenti MCCCLXII. curaverunt Domini Canis &

Albuinus fratres, filii quondam Domini Maſtini de la Scala, facti Domini Veronæ & Vicentiæ propter mortem Domini Canis eorum fratris primogeniti per ipſos mortui, aliam eorum ſororem maritare. Et curantes de matrimonio propinquo, cum Domino Ferrariæ & Mutinæ Civitatum, dictum matrimonium firmaverunt. Et data prædicta nobili ſorore eorum Domino Nicolao Domino Civitatum Ferrariæ & Mutinæ propter mortem fratris ſui Aldrovandini, de quo ſuperius eſt narratum; ipſum matrimonium dicti Fratres de la Scala contraxerunt contra voluntatem Domini Barnabovis eorum cognati propter matrimonium nobilis Dominæ Reginæ uxoris ſuæ, ut dictum eſt ſupra, diu celebratum. Prædicti autem fratres de la Scala tamquam juvenes & magnanimi, habentes odio quæ præfatus Dominus Barnabos oſtendebat, moti ira, ſubito ſe confœderaverunt cum ipſo Nicolao cognato ſuo. Et ſimul juncti adhærentes Eccleſiæ habuerunt gentes a Bononia multas, & ſuis inſertis, habito tractatu cum parte Bruſatorum in Brixia, territorium ſeu diſtrictum Brixiæ in multitudine glomeroſa invaſerunt. Et ſic prædantes & comburentes diſtrictum Brixiæ, datæ fuerunt eis de liquido, & prœlio non expectato, plures Terræ de diſtrictu Brixiæ, & Terra Pontiſvici ſuper diſtrictu Brixiæ ſive Cremonæ. Quibus ſubito fulcitis prædicti confœderati & Eccleſia cœperunt diſtrictum Brixiæ alibi propulſare. Auditis prædictis præfatus Dominus Bernabos, dedignatus de cautelis illis, ſubito verſus Civitatem Brixiæ cum illis, quos ſecum habere potuit, equitavit, dubitans ne Civitatem illam perderet, & potius quia audierat plures de proditoribus ſuis de Civitate exiviſſe. Et magis dubitavit de ipſis receſſis, quia Guelphi erant, quam ſi fuiſſent Gibellini, quum illi de la Scala faveant parti Guelphæ. De Ferraria autem & Bononia non eſt dicendum. Dum autem fuit in Brixia, præterita una die per intervallum Nobiles Mediolani & multi alii im-

immediate ſequuti ſunt eum. Et quum vidit gentes ſuas animoſas ad ipſum proſequendum, dato ordine in Brixia, recta via acceſſit cum gentibus ſuis equeſtribus & pedeſtribus in magna quantitate Pontevicum. Habebat enim Terra Pontiſvici Caſtrum ab uno capite valde forte, quod inimici intrati & vicini dictæ Terræ non poterant habere. Nec in ipſo Caſtro intraverat nec unus ex vicinis ipſis. In qua Terra dicuntur habitare CCC. habiles ad bellandum & ultra. Et videntes prædicti de Eccleſia & confœderati, quod Caſtrum id erat inexpugnabile, niſi durante obſidione, ſubito munierunt foſſatum circum circa, ne in ipſo Caſtro aliquid intraret vel exiret. Et primitus in Terra dictum foſſatum fecerant cum palancato ſuperius; & in ipſa Terra pro cuſtodia ejuſdem, & obſidione dicti Caſtri tenuerunt barbutas CC. amicorum, cum quibus & ſe ipſis ſperabant univerſo Mundo reſiſtere propugnando, & ipſam Terram Pontiſvici, Caſtro non obſtante, defendere. Dum autem præfatus Magnificus Dominus Barnabos Pontemvicum propinquaſſet cum gentibus ſuis, juſſit Caſtellanum pontem levatorium a parte exteriori propinare, & a parte interiori ſimiliter, non obſtante foſſato, & vallo facto in oppoſitum intra Terram. Quibus ambobus pontibus propinatis, præcedens ipſe Dominus Barnabos Caſtrum intravit & exivit, & ſic univerſi qui cum eo erant. Deſcendit ipſe, & alii deſcenderunt, & pugnando cœpit repere ſuper foſſatum noviter factum intra Terram. Non erat autem dictum foſſatum multum ſolemne, pro eo quod ipſum in frequentia ruſtici fecerant, & Caſtellanus quantum poterat devetabat. Prædicti autem intra ſtantes tam forenſes quam terrerii ad defenſionem ſuam & dicti foſſati intendebant jaculis, lapidibus, lanceis, & aliis projectis ad ſe defendendum. Tamen nihil profuerunt, quoniam ipſe Dominus Bernabos per publicam violentiam Terram armata manu intravit, & univerſi ſui procedentes ſubito intra-

verunt, captis, mortuis, & trucidatis prædictis ruſticis & forenſibus, & ad finem deductis. Et ſic locus ille remanſit illæſus.

Deinde præfatus Dominus Barnabos cœpit alios invaſores Terræ ſuæ Brixienſis perſequi, & fugiendo per diverſa loca expugnare. Quo viſo prædicti proditores videntes ſe protinus deſtructos, paciſcentes cum ipſo Domino Barnabove, & ſubito aliquas excuſationes allegantes, Terras prædictis confœderatis datas reſtituerunt eidem, & Mediolanum venerunt, ubi ſunt de præſenti. Et prædicti de la Scala & Ferraria, tamquam truffati, cum odio ſuo repatriaverunt. Interea Brixiæ & Veronæ morbus in tantum inſiluit, quod unus non exſpectans alium, habuit cum Domino Jeſu Chriſto confiteri & paciſci. Ipſis confœderatis in tali caſu dimiſſis præfatus Dominus Barnabos cum Societate ſua Mediolanum in pace & alacriter redivit, ubi eſt de præſenti. Nihilominus de menſe præſenti præfatus Dominus Barnabos coadunatis ſtipendiariis ſuis in magna quantitate, & cum nobilibus Mediolani, præcedentibus Hungaris, & aliis de novo ad ſtipendia captis, Parmam acceſſit. Quare autem iſtud inierit, alterum duorum fuit. Aut timet infeſtari in partibus illis per dictos confœderatos & Eccleſiam: aut cogitavit dare ſcortam cum victualibus Terris ſuis prædictis exiſtentibus in Comitatu Bononiæ, quæ multum per Eccleſiam & dictos confœderatos infeſtantur. Venationis autem cauſſa partes illas cum tanta gentium quantitate non adivit; & certe in cura & ſtudio venandi, & agros potiundi, omnes alios Nobiles antecedit, & nimium in canibus delectatur. Et dum prædictas venationes facit, ſegregatus ab aliis infinitis ſecum ductis paludes intrat, & opaca majora nemorum, quamquam ſolus. In quibus locis longiſſime ſolus procedens, ſæpius a ſocietate ejus perditur, quum non inveniatur. Et dicitur, quod una vice dum in confinibus Laudenſibus per nemora deviaſ-

viaſſet tempore hyemali, neſciebat quo diverteret. Et ſic per latebras nemorum ſolus vagans, tamquam deſperatus, invenit unum Ruſticum pauperem & male veſtitum, tapas pro faciendo novas paraſides laborare. Et gaudens de tali reperto, ivit ad ipſum, & dixit: *Ave, frater*. Dixit laborator. *Oportet bene, quod me adjuves, quia die hodierna male lucratus ſum panem propter temporis aſperitatem. Et ſi perdidi æſtatem, certe non perdam hyemem*. Dixit tunc Dominus Barnabos deſcenſurus ab equo valde feſſo: *Amice, quomodo perdidiſti æſtatem? dicas mihi: Nonne fuit æſtivo tempore maximus calor & copia bladi & vini? quid perdidiſti?* Reſpondit Ruſticus, & ſemper lignamina picando: *Nam habemus iterum diabolum pro Domino. Sperabamus autem, quod propter expulſionem Domini Bruzii Vicecomitis diabolus eſſet mortuus, ſed alter ſuſcitavit, quum rapit mihi & aliis miſeris Laudenſibus plura, quam poſſimus lucrari*. Reſpondit Dominus Barnabos: *Certe talis Dominus male facit*: Et ipſi Ruſtico dixit: *Volo, & rogo quod me ducas extra nemus. Tempus eſt enim prope ſero. Nec habes heic plus ſtare, ſi repatriare intendis*. Reſpondit Ruſticus: *Ibi non eſt punctus. Sed reperire cœnam paratam, punctus eſſet: quod non credo. Imo dimiſi uxorem meam cum pluribus filiis in caſicula, & cum modico pane*. Dixit Dominus Barnabos: *Si autem non vis ducere me extra nemus gratis, venias, & tibi ſatisfaciam*. Dixit tunc Ruſticus: *Bene video, quod a labore hodierno vis me deviare. Sed credo, quod ſis ſpiritus immundus, quia heic non ſolent Milites converſari. Et dato quod aliud eſſe non poteſt, veniam, ubi mihi ſatisfacias*. Reſpondit Dominus Barnabos: *Quid vis quod dem tibi?* Dixit Ruſticus: *Unum Groſſum de Mediolano*. Dixit Dominus Barnabos: *Tibi dabo groſſum unum & ultra, quum erimus extra nemus*. Dixit Ruſticus: *Cogitaſti me decipere, ſicut alii Officiales dicti Diaboli me decipiunt, qui pedites veniunt in officiis, & poſtea equites revertuntur prædatis hominibus. Certe quando erimus extra nemus, tu qui es eques, fugeres, & permitteres*
me

me frigidum, *excalceatum*, *& cœnoſum*. Quibus auditis dixit Dominus Barnabos: *Frater*, *dato quod nolis mihi credere Groſſum unum*, *accipe pignus*. Et taliavit puntale cinguli ſui argentei, & Ruſtico dedit. Et tunc Ruſticus repoſito puntali in ſinu, ſe movit, & curavit ipſum Dominum Barnabovem ducere extra nemus. Non cognoverat enim præfatum Dominum, eo quod veſtitus erat de uno Saccameno nigro. Videns autem Dominus Barnabos, quod de Ruſtico peditante ſolatia non habebat, dixit: *Frater*, *volo quod equum meum in groppa aſcendas*. Dixit Ruſticus: *Poterit illa Rozza portare duos? Tu videris ita groſſus*. Dixit Dominus Barnabos: *Bene te portabit & me*, *maxime quia dixiſti quod male prandidiſti*. Reſpondit Ruſticus: *Tu non mentiris*. Et tunc equum qualiter potuit, & podice nudo, aſcendit. Et ſic per nemora equitantes, dixit Dominus Barnabos: *Frater*, *tu mihi dixiſti mala nova de Domino tuo*. *Quidnam dicitur de fratre illius tui Domini*, *qui ſtat Mediolani*? Reſpondit Ruſticus: *Dicitur de illo melius*, *quamvis ſit ferus*, *quia pacem ille conſervat*. *Et niſi ſic eſſet*, *ego & alii pauperes pro laborando auſi non eſſemus devia nemorum intrare*. *Etiam conſervat bonam juſtitiam*, *& quæ promittit*, *totaliter attendit*. *At iſte alter contrarium facit*. Et ſic tota via non ceſſavit de ſimilibus dicere. Etiam quod unus Caſtellanus ipſi Ruſtico acceperat aliquas petiolas terrarum, & mobilia ſibi ſpoliaverat, & multa alia. Quum vero fuerunt extra nemus in occaſu Solis, Ruſticus voluit ab equo deſcendere & remanere, dicens: *Teneatis campaneam per tales partes*, *quia umbraculum noctis ſupervenit*, *& eatis cito*: *aliter poſſetis male pernoctare*. Reſpondit Dominus Barnabos: *O frater*, *tu vis me decipere*, *& prædicta dicis*, *quia vis tenere meum puntale argenteum*. Dixit Ruſticus totus frigidus, quia calidus eundo & laborando equum aſcenderat, & propter requiem frigidatus: *Per Deum de puntali non recordabar*. *Sed accipiatis puntale*; *ſi vultis mihi ſervire*, *amore Dei*, *ſerviatis*. *Sin autem*

tem in nomine Dei diſcedatis cum puntali veſtro. Et certe ſi puntale id penes me permaneret, poſſet facere me ſuſpendi, dicendo, quod alicui prava cauſa præcedente in nemoribus, ubi continue laboro, abſtuliſſem. Et pro eo accipiatis. Et credo vos denariis non carere, & poſſe mihi ſatisfacere, ſi placeret.

Dixit Dominus Barnabos: *Frater, ut videas verum, venias mecum. Et quum hoſpitabimur, dabo tibi Groſſum, & faciam tibi fieri bonum ignem, ut te calefacias, & cœnabis mecum meis expenſis. Et poſtea cras bona hora redibis domum.* Tunc exhilaratus Ruſticus, cogitans calefieri, & bene cœnare, & poſtea die ſequenti duodecim panes emendos in loco illo portare filiis ſuis, & ſperaſſet in nemore ſub aliqua cellula jacere cum modico igne, annuit prædictis. Et tunc deſcenſus ab equo, ut ſe calefaceret, cœpit per ſtipulas camporum proſilire, & dictus Barnabos ipſum ſequi. Dixit autem Dominus Barnabos: *Ubi ibimus ad hoſpitandum?* Dixit Ruſticus proſiliendo: *Ibimus Maragnanum, ubi ſunt bona hoſpitia, in quibus tam de nocte quam de die poterimus intrare, & ibi nos & equus tuus qui hodie non ivit pro nihilo, bene ſtabimus.* Reſpondit autem Dominus Barnabos: *O frater, qualiter bene dixiſti! Sumus multum longe a dicto Maragnano?* Dixit Ruſticus: *Quid ad te? Si non poſſumus ire de die, ibimus de nocte. Non enim dixi tibi, quod portæ ibi non clauduntur?* Reſpondit Dominus Barnabos: *Frater bene dixiſti. Ergo vadas, tamen moderate, dato quod ſimus in loco tuto.* Et ſic procedentes ambo viderunt magna luminaria exire de Maragnano, venientia verſus ipſos. Nam univerſa ſocietas ipſius Domini Barnabovis non reperientes ipſum, rediverunt Maragnanum, ſperantes quod per aliam viam, ſicuti aliquando faciebat, Maragnanum rediviſſet. Et quia ipſum non invenerant, exibant noctis tempore cum infinitis lumeriis & brandonis ceræ accenſis & non accenſis pro quærendo ipſum in deviis nemorum, cogitantes etiam quod per lumina, quæ a longe noctis tempore apparent, poſſet re-

reduci. Dixit Dominus Barnabos: *Frater, vides tu multa lumina?* Dixit Ruſticus: *Video*: Dixit Dominus Barnabos: *Quid eſſe poteſt?* Reſpondit Ruſticus: *Credo quod dicta lumina exeant de Maragnano pro quærendo Dominum Barnabovem, qui multoties venationis cauſſa per nemora deviatus non reperitur.* Dixit Dominus Barnabos: *Dato quod ſic faciunt, bene faciunt, ſi quærunt Dominum ſuum.* Et ſic procedentes, luminibus prædictis obviaverunt. Et tunc omnes exiſtentes in ipſa cavalcata ab equis deſcendentes, & inclinatis capuciis, Dominum Barnabovem ſalutantes cum Ruſtico repertum, omnes hilariter verſus Maragnanum rediverunt. Et tunc prædictus Ruſticus perpendit, quod ille, cum quo venerat ſic loquendo, erat Dominus Barnabos. Et ad mortem timuit, malens potius eſſe mortuus quam vivus. Et ſic dicendo Ruſticus, licet invite, venit in Caſtro Maragnani, ſperans, quod quum in ipſo Caſtro eſſet, poneretur in exterminiis. Quum autem ibi fuerunt, & deſcenſis equis, in ſala ſua præfatus Dominus Barnabos ridens, quantum poterat, ſuis Militibus & Vicariis geſta cum Ruſtico illo enarravit. Et Ruſticus ſic pauper & egenus & fœdatus, in ſala ad ignem maximum ductus fuit ſolatii cauſſa. Et toto ſero de Ruſtico ſolatiabantur. Deinde cœna parata præfatus Dominus Barnabos juſſit Ruſticum ad ipſius menſam ab alio capite ſedere, eique ita fecit ſervire, ſicut ipſe Dominus ſerviebatur. Quibus nolebat Ruſticus annuere; ſed Dominus Barnabos dicebat ei: *Pacta ſervabo. Nonne promiſi tibi, facere bonum ignem, & dare cœnam meis expenſis? Ecce. Et tibi die craſtino dare groſſum unum?* Dicebat Ruſticus: *Ah Domine, miſerere mei. Quæ dicebam, proferebam ſimpliciter, tamquam homo ſilveſter qui ut plurimum converſatur in ſolitariis nemoribus. Rogo, ut permittatis me abire, mihique parcatis.* Et ſic toto ſero ſolatia fuerunt immenſa. Cœnavit autem Ruſticus valde bene: ſed melius comediſſet, ſi habuiſſet in nemore. Et quum dormire voluit, poſitus fuit

in

in una pulchra camera, & aqua calida lavatus, & in uno pulcherrimo lecto, & continuo igne accenſo, poſitus ut dormiret. Et ſic timidus lectum intravit. Nec propterea neceſſarium erat ipſum excalceare. Sed tunc voluiſſet potius dormire in paludibus. Et die ſequenti coram ipſo Domino Barnabove Ruſticus exſtitit præſentatus. Dixit Ruſtico Dominus Barnabos: *Frater, ſtetiſti bene hac nocte?* Reſpondit Ruſticus: *Steti in paradiſo. Sed vellem cum gratia veſtra diſcedere*. Dixit Dominus Barnabos. *Si placet tibi, placet mihi*; dicens uni ſuo Domicello: *Des ei Groſſum unum*. Et immediate datus fuit ſibi Groſſus. Deinde dixit Dominus Barnabos: *Amice, petas mihi, qui tibi feci, quod promiſi, qualem gratiam vis, & tibi fiet*. Dixit Ruſticus: *Domine, ſufficit mihi, ut in vita dimittatis*. Et dixit Dominus Barnabos: *Vitam volo tibi dimittere, & majora facere. Petas aliud*. Et tunc inconſulte prædictus Ruſticus dixit: *Volo, quod faciatis mihi reſtitui campiculos meos, & alia, quæ mihi rapuit jam dictus Caſtellanus, & non aliud*. Et de præſenti de prædictis gratia facta, & literis receptis, receptiſque aliis danariis pro expendendo cum familia ſua, alacriter receſſit, & Caſtellano dictas litteras præſentavit. Qui viſis literis ſine ſtrepitu omnia reſtituit. Et præfatus Ruſticus in pace quievit.

Anno autem proxime præterito æſtivo tempore cœpit morbus Mediolani & in Comitatu invaleſcere, & in tantum invaluit, quod prætermiſſis, ut ſuperius eſt dictum, omnibus remediis in Civitate & ſuburbiis brevi tempore mortui ſunt ſeptuaginta ſeptem millia virorum. In Comitatu vero tanti, quod numerus ipſorum non poſſet deſcribi. Propter quæ multæ Terræ in Comitatu ut plurimum vacuæ ſunt dimiſſæ. Cujus rei cauſſa Domini Mediolani cum univerſis familiis de Civitate ipſa receſſerunt, ad eorum Caſtra divertendo. Et etiam in Civitatibus præfati Domini Barnabovis infiniti propter morbum perierunt, videlicet Brixiæ, Cremonæ, Parmæ, & in aliis univerſis

Terris ſuis Lombardiæ. Cujus rei cauſſa homines dictorum locorum depauperati ſunt, non tamen in tantum quantum ſunt alii Civitatum præmiſſarum Domini Galeaz; qui propter deſcripta & alia deducti ſunt ad finem. Contrarium fecit Dominus Barnabos aliorum Dominorum Vicecomitum prædeceſſorum ſuorum, & præcipue Dominorum Luchini & Joannis Archiepiſcopi, qui Curias prodigaliter tenebant, dando comedere univerſis habentibus cum ipſis officia, & Curialibus, & multo magis Nobilibus Mediolani & Lombardiæ. Iſte autem nullam Curiam tenet, nec habere vult, nec in domo ſua comedunt, niſi ex toto neceſſarii pro ſibi & Dominabus ſuis ſerviendo, duo Vicarii, & tres Conſiliarii, videlicet Dominus Ubertus de Modoetia, Aironus Spinula, Giavatius Reina, & nulli alii. Pro quibus & aliis ſervatis dicitur nullus Italicus tantam mobiliam habere, quantam ipſe. Si dare debet aut promittit, uno motu ſolutiones facit, & promiſſa prodigaliter attendit. Stipendia in ſuis terminis, videlicet completo menſe ſervito, ſemper dat, & ſtipendiariis exiſtentibus in partibus Bononiæ in principio menſis ſerviendi, ſine aliqua retentione dat. Sæpius iraſcitur, & durante dicta ira nullus de Mundo audet ſibi loqui, excepta Domina Regina, nobili & ſapientiſſima conſorte ſua, quæ tunc ipſum curat demulcere, & demulcet, & a dicta ira trahit; quoniam illam inter ceteras diligit. Et pro eo rarius in ſubjectos in danariis condemnationes facit, ſed potius in perſonis; propter quæ multo magis timetur. Et quod ſit verum, experientia audietis. Nam habebat in Pergamo ad officium ſtipendiorum Antoniolum de Orta pro Notario, qui ſcribendo pulchre alios excedebat, & qui ab adoleſcentia ſteterat pro ſcribendo cum Domino Joanne Archiepiſcopo, & cum eo, quem cariſſime diligebat. Qui Antoniolus in dicta Civitate exercens officium Licentiarum, accepit uni Coneſtabulo pro licentia danda ipſi decem octo . . . . &

pete-

petebat tamquam pro bona andata ab ipſo Groſſum unum. Et ipſis contradicentibus dixit Coneſtabulus, quod Mediolani diceret Domino Barnabovi. Et ſicut dixit, ſic fecit. Dum ergo Dominus Barnabos tunc in prædicta Civitate perſiſteret, iſte Coneſtabulus ad curiam ſuam accedens, & ad ipſum Dominum procedens, dixit quod iſte Antoniolus in Pergamo ſtipendiarios ſuos deprædabatur. Quibus auditis ſine alia determinatione & defenſione præcedente juſſit unum ſuum Domicellum cum literis ſuis de præſenti ire, dirigendis Poteſtati Civitatis Pergami, ut viſis præſentibus dictum Antoniolum per gulam laqueo faceret ſuſpendi ſub pœna ſuſpenſionis ipſius Poteſtatis. Qui Poteſtas, licet invite, dictum Antoniolum in Palatio Pergami nullo alio exſpectato, niſi quod cum Sacerdote confiteretur, ſuſpendi fecit. Qui redemtus fuiſſet per ſe & per alios ejus amicos, antequam ſic indebite fuiſſet mortuus. De ſuſpenſione cujus tamquam dilecti ipſorum Domina Regina gratiam obtinuit. Sed nuntius ſequens cum gratia ſua Pergamum currente equo ivit, ſed non profuit, quia ipſum calidum ſuſpenſum invenit. De quo doluit etiam ipſe Dominus Barnabos. Nam de ira illa dolet ad mortem, & de geſtis in ira per ipſum potius dolet; ſed nullo modo multoties ab ipſa abſtinere poteſt, & pro eo tunc, quantum poteſt, latet. Propter quod homines valde dubitent de officiis ſuis, & multum non curent.

Sed aliud eſt, quod propter habenda officia ſua nullus daret denarium; ſed gratis, & ex virtutibus hominum quæcumque majora dat; nec ab ipſis officiis finitis ſex menſibus aut anno Officiales removet; ſed ſi ſe bene gerunt, potius confirmat, & ad alia majora provocat. Et ſic perpetuo bonum Officialem non dimittit. Et pro eo Officiales ſui ſtudent prævalere, & alios excedere. Et propter dicta valde bene ſervitur. Si autem ſecus facerent, audiſti de Antoniolo ſupraſcripto. Curat multum habere homines, & po-

& potius juvenes prodigos de perſona, & non loquaces (quos in omni caſu habet odio) quibus multum favet, & cum eis multum converſatur Mediolani & extra; ipſis tamen ſecundum merita tribuendo, & quibus quando proponit unum facere, non habet niſi jubere; & quod procedant directe vel indirecte, de iſto non ſtudent: ſed ſic tarde & tempeſtive, ſicut ipſis Scaraſonis (157) etiam Officialibus ſuis præcipit, prædicta cum ſummo ſtudio exſequuntur. Luxurioſus valde fuit, & præcipue tempore juventutis. Nam quas in adoleſcentia carnaliter cognovit & dilexit, perpetuo a gratiis ſuis non recedunt. Et iſtud patet de una Domina Johannola, quæ eſt Mediolanenſis, quam tunc cognovit & dilexit, quæ ab ipſo infinitas gratias habet; & quem, ſive ſit iratus ſive non, verbis vituperat, & dicit quidquid vult, nec cum ipſa iraſcitur. Sed quum equitat audiens prædicta ridet, & dicit quod eſt una ſtulta, nec aliud eſt. Ex qua quia erat nobilis Domina, ſuſtulit unam filiam ſuam, quam uni filio Domini Baldini de Suardis de Pergamo, unico & ditiori aliquo Cive Lombardiæ, in matrimonium copulavit. Quam noluit per alios diligi nec inſpici; propter quum multi Nobiles exſtiterunt periclitati Mediolani, & præcipue ille Dominus Pandulſus de Malateſtis de Arimino. Qui dum eſſet Capitaneus Generalis extra Mediolanum gentium Domini Galeaz fratris ſui, & a converſatione unius talis Dominæ noluiſſet abſtinere, fuit in Mediolano de decreto ipſius Domini Barnabovis taliter vituperatus, quod de verecundia & aliis ſibi factis perpetuo condole-

(157) *Scaraſones*, *Scaronos*, & *Scamares*, Prædones eſſe, Du-Cangius affirmat citans Azarii textum col. 413. A., de morte Comitis Landi. *Scaranos* exercitus fecem eſſe, non inficior; *Scaraſones* autem, ſi præſentis Azarii textus ſenſum conſideres, ſunt ſatelites ad omnia perpetranda, jubente Principe, parati; Itali tales homines vocant *Sgherri*, *Sicarii*.

dolebit, nec Vicecomitum amicus erit. Quamvis iſtud non ſit novum, quum Malateſtæ tenentes dominium Civitatis Arimini & plurium aliarum Civitatum tam in Romandiola, quam in Marchia Anconitana, Guelphi ſint quantum poſſunt, nec umquam bonam voluntatem cum Vicecomitibus uti & per præcedentia habuerunt. Et ſic per antiqua, & nova prædictus Dominus Pandulphus, nuper Eccleſiæ Capitaneus Guerræ conſtitutus, ipſis Vicecomitibus Bononiæ & extra ſiniſtrum procurat, & facit quantum poteſt. Die autem Veneris XI. menſis Novembris MCCCLXII. præfatus Dominus Barnabos multis ſtipendiariis, Hungaris, & aliis præcedentibus, cum ſua militia & Mediolanenſium comitiva per Civitatem Placentiæ Parmam adivit, timens infeſtari, ut ſuperius eſt deſcriptum. Et dum eſſet in Parma, ſcivit de gentibus prædictorum confœderatorum, & cum Domino Feltrino de Gonzaga Domino Regii maximas quantitates gentium, & potius equeſtrium eſſe coadunatas, in Regio & Mutina Civitatibus, pro gentibus ſuis offendendis pro ſcorta ad Terras Bononiæ mittenda. Quibus intellectis præfatus Dominus Barnabos prædictis de liga petiit prœlium, cui prædicti colligati non aſſenſerunt. Et tunc videns præfatus Dominus Barnabos prædictam recuſationem, quamvis eſſent barbutæ MCC. cogitavit ipſos de liga exire facere de Civitatibus antedictis. Et miſit in curſa una D. Hungaros & CC. barbutas, ultra modum armatas, & ipſos ſequi fecit. Qui curſam fecerunt verſus ipſas gentes. Quibus viſis, bonitas & cernior turba ipſarum gentium verſus iſtos Hungaros extra Mutinam exiens, & Regium, cum filio Domini Feltrini iſtos eſt ſequuta. Qui fugientes, in aperto ſe receperunt; & quum ibi fuerunt ambæ partes, neceſſaria fuit pugna inter utraſque. In qua noſtri durius reſiſtentes, alios de liga poſuerunt in conflictum, gente Domini Barnabovis obtinente campum, ipſos de liga proſequendo, ſternendo, lacerando, mutilando, & capiendo quotquot voluit ex illis

&

& majorem partem ipſorum. Reliqui fugientes ſe reduxerunt in prædicta Mutinenſi Civitate. Quibus feliciter peractis, dimiſſis gentibus ſtipendiariis in Parma, præfatus Dominus Barnabos die XX. Novembris cum comitiva ſua Mediolanum redivit. Dicta victoria obtenta, & vento ipſo Mediolanum, reperit Dominam uxorem ſuam filium marem peperiſſe. Et tunc cognita præmiſſa victoria, & ampliatione ſexus & maxime maſculini, omnibus ſuis carceratis beneficium relaxationis tribuit. De quo ſtantes in Turri de Tricio potuerunt perpetuo & de tanta gratia gratulari. Quo facto dicitur ad partes Brixiæ ſubito equitaſſe, & Hungaros prædictos miſiſſe in partibus Bononiæ, cum dicto eorum Comite, & præcipue Lugum in medio Romandiolæ conſtitutum, ubi ſtat pro ipſo Domino Barnabove Dominus Franciſcus de Ordelaffis olim Capitaneus Forlivii & Forlimpopuli Civitatum Romandiolæ. Ubi dicitur, dictum Comitem feciſſe tractatum cum Hungaris ſuis de dando Lugum, ut alterum trium Burgorum Eccleſiæ; & quod dictus Capitaneus in Lugo exiſtens perpendit, & ipſum Comitem Hungarorum perſonaliter cepit. Eſt enim Lugum Terra ex tribus Burgis fortibus, & per ſe in medio Romandiolæ conſtituta, habens in medio Roccam valde fortem, & quæ de jure eſſe debet Domini Archiepiſcopi Ravennæ. Sed Dominus Joannes Archiepiſcopus Mediolani, emta Civitate Bononiæ, dictam Terram captam a prædicto Duce Guarnerio & ſtipendiariis dicti ducis emit; & ſic nomen Domini Barnabovis conſervatur de præſenti.

Præterea præfatus Dominus Barnabos perſonaliter accendens, curavit ſuccurrere Caſtro Montiſvegii in Bononienſi diſtrictu obſeſſo per gentes Eccleſiæ. Et ſperans ad plenum ſuccurrere non poſſe; potius curavit de fulcitione aliarum Terrarum Bononiæ, quas cum magno labore fecit victualibus reparare, ſed non ſine magno diſpendio. Propter quæ ſtando in Parma, dolens de prædictis, fecit decapi-

pitare Militem Poteſtatis Hoſpitem de Calzacanibus cum uno famulo ipſius, pro eo quod quemdam de Corrigio in dicto Hoſpitio hoſpitantem contra mandatum ſuum & Poteſtatis de ipſo Hoſpitio permiſerat exilire. Et quia ars arte deluditur, Dominus Barnabos cogitavit, quod fulciendo fortalitias Bononienſes ſuas vires cum Lugo extenderet, & alii . . . . & præcipue ille de Ferraria, Mutinam, quæ tunc ſub malo ſtatu permanebat. Propter quæ de pace ambæ partes fictive tractaverunt, videlicet quod Eccleſia dare magnam quantitatem Florenorum ipſi Domino Barnabovi promittebat, & ipſe relaxare Caſtra Bononiæ. Et de prædictis confœderati cum Eccleſia fidejuſſerunt. Et prædicta cum aliis, de quibus longum eſſet enarrare, ſcribebantur Domino Papæ cum certo termino reſpondendi. Et interim ipſe Dominus Barnabos ſcripſit Civitatibus ſuis, ut ſuper cedula dictorum pactorum, facienda Conſilia in ipſis Civitatibus una vice, & duabus, providerent. Et prædictis pendentibus Civitas Mutinæ victualibus extitit fulcita; etiam Regium. Et ſic baſtitæ poſitæ contra Mutinam ſuper Canale extiterunt cum aliis Terris exiſtentibus ſuper Bononienſi diſtrictu, a Domino Barnabove præmunitæ, & victualibus refertæ, cautius propter ipſam pacem ſe cuſtodientes. Et interim Dominus Galaſſius de Piglis (158), factus rebellis Marchioni Ferrariæ, tenens Carpum, Mediolanum adivit, ubi Ambaxiatores Civitatum præfati Domini Barnabovis convenerant propter prædicta. Ubi de pluribus tractatum fuit, & præcipue de pace cum Eccleſia habenda. Et quia hamus latet in eſca, prædicta ſic ſub ſilentio ſtant, ſalvo quod Dominus Galaſſius Carpum die XXIV. Octobris MCCCLXIII. redivit. Stante autem præfato Domino Barnabove in Parma, Anglorum pravæ Socie-

(158) Lege de Piis, ut ante pluries nominat.

cietates Mediolani cœperunt ipſam Civitatem corrumpere violentiis, furtis, rapinis, & ſimilibus; propter quæ dum præfatus Dominus Mediolanum rediviſſet, querimoniam ſuſcepit de Albertono Bulgarono ipſius Cancellario de certa violentia per ipſum illata Fratribus Minoribus conſortibus ſuis. Quem capi mandavit, & ipſum cum aliis ſex repertis in nocte, & ſociis ſuis, extirpatis oculis, erectis furcis, laqueo ſuſpendi fecit. Etiam alios repertos cum armis noctis tempore, per Mediolanum peditantes........ Et iratus ſtabilivit, ut nemo per territoria & terras ſuas arma portaret, nec Borzam (159) ſub pœna ſuſpendii; conſtituendo Officiales in prædictis, quorum cauſſa multi carcerati etiam ſuſpenſi fuerunt. Quæ de præſenti iterum obſervantur. Dicit enim quod vult, homines ſuper ipſius diſtrictu ſolummodo cum uno baculo pertranſire. Et certe ſatis bene uſque ad præſens euntibus ſucceſſit. Pendentibus autem prædictis dicitur, Dominum Barnabovem in mandatis dediſſe Joannolo de Baſilica Petri Capitaneo ſuo in Parma, ut omnibus prætermiſſis quingentas barbutas ex ſuis in Civitate Parmæ teneret. Sed de novo mirabilis caſus interceſſit. Nam dum ſub filentio pacis præmiſſa tranſirent, Domini Mantuæ & Eccleſia, ut ſupra diximus, confœderati tractaverunt cum Dominis de la Mirandola, ut ipſis dantibus Eccleſiæ Terram Mirandolæ, unus frater ipſorum captus in conflictu dato gentibus Domini Barnabovis per Eccleſiam, & gentes Dominorum Canis & aliorum confœderatorum in diſtrictu Brixiæ cum Domino Joanne de Belocero & aliis Proceribus Lombardiæ, & de quibus præfatus Dominus videbatur parum curare, quamvis

(159) Borza, Gladii, ſeu Cultri ſpeciem eſſe, divinando quis credet, nihil enim de hoc nomine apud Lexicographos, alioſque Medii Ævi Scriptores, mihi reperire datum eſt.

vis doleat ad mortem, liberaretur. Pro liberatione cujus fratris dicti Domini de la Mirandola gentes Eccleſiæ in magna quantitate receperunt, recedentes a confœderatione præfati Domini Barnabovis. Ad quæ alter ipſorum Dominorum & Burgenſes tamquam proprii Gibellini nolebant aſſentire. Et ſubito implorato ſubſidio a Poteſtate & Capitaneo Parmæ, curaverunt gentes Eccleſiæ de Mirandola expellere. Sed non profuit talis ipſorum imploratio, quum dictus Dominus Joannolus propter unam Banderiam, quam habebat in domo ſua ſcriptam, ſed fictitiam, ut moris eſt Mediolanenſium, & alios permiſſos alibi equitare, gentem dare non potuit pro ſuccurſu prædicto. Quo audito præfatus Dominus Barnabos Parmam cum celeritate feſtinavit. Et dum ipſi Civitati propinquaret, miſit Parmam pro Capitaneo prædicto, ut ſubito cum Banderia ſibi ſcripta obviam ſibi veniret; quæ minime fecit, quum ſervitoribus careret. Sed taliter, qualiter potuit, ad ipſum & male acceſſit; a quo ſalutationis verbum non impetravit. Et ſic redeuntes Parmam, ſubito die XV. menſis Novembris MCCCLXIII. ipſum Dominum Joannolum de Baſilica Petri Capitaneum, & antiquum familiarem Dominorum Vicecomitum fecit decapitari, & filium ipſius carcerari.

Quo facto Mediolanum redivit, ubi detenti fuerant Domini Ambroſius Vicecomes filius Domini Lodrixii, Lodrixolus de Puſterla, & plures alii Nobiles Mediolani proviſionati ſui, & qui recuſaverant in andata præmiſſa cum ipſo equitare, ſpreta ipſius tanti Domini crida, videlicet quod omnes ſervi proviſionati ſub pœna capitis ipſum ſequerentur; dato mandato Domino Ardiciono de Ardicionibus Poteſtati Mediolani, ut præmiſſos decapitaret. Tamen motu Domini Galeaz, & ſuaſione nobilis Dominæ Reginæ conſortis præfati Domini Barnabovis, prædicta diſtulit; & prædicti fuerunt relaxati; & immerito, quum dicerent, nolle equitare propter proviſiones eorum retentas; & immemores

beneficiorum alias ſuſceptorum, non curantes de perſona & proſperitate tanti Domini eorum, ſed potius de commoditatibus ſuis. Tremuit autem grande Mediolanum de prædictis, & aliis tam commiſſis quam ordinatis per ipſum Dominum Barnabovem, adeo quod noctis tempore aliquis auſus non eſt ire per Mediolanum, nec requirere ab aliquo vinum, nec in taberna, ſub pœna amputationis pedis. Et factis aliis juſtitiis de ipſius mandato, præfatus Poteſtas Mediolani voluit fugere ad Curiam Domini Galeaz, ut dicitur, denegans juſtitiam facere in perſona Andrioli de Cuppa præfati Domini fideliſſimi relatoris. Quibus durantibus Reverendiſſimus Pater & Dominus, Dominus Andreas, Sedis Apoſtolicæ Legatus (160) MCCCLXIV. die XXVII. Januarii inter Sanctam Romanam Eccleſiam confœderatos, & ipſum Dominum Barnabovem, pacem pronuntiavit. Qua pronuntiata ipſi Eccleſiæ reſtituit univerſas Terras, quas poſſidebat ſuper diſtrictu Bononienſi cum Lugo. Quibus dimiſſis, Dominus Franciſcus de Ordelaffis, olim Capitaneus Forlivii & Lugi, dimiſſo Lugo, Mediolanum redivit Anno prædicto, die XXIV. Februarii. Deinde quod fieret Torneamentum Mediolani præfatus Dominus Barnabos voluit. Ad quod invitavit quoslibet Principes, Barones, Comites, & alios univerſos Nobiles, ita quod aliqualiter occaſione prædicta veniendo, ſtando, & eundo per Mediolanum non poſſent moleſtari. In quo torneamento duas acies ordinavit: unam Albi coloris, & alteram Viridis. In quibus obtentorem ipſarum acierum dixit remunerandum de Florenis CC. in uno dono, videlicet de uno cingulo, & alterum de una ghirlan-

(160) Andreinus de Cologni vocatur in additamentis ad Chronicon Cortuſiorum R. I. T. XXII. col. 974. D., Corius vero Andreinum titulo Sanctorum Marci & Marcelli Cardinalem, ad annum 1364., nominat. Vide in ſequenti litteras Galeatii Vicecomitis de Pace, ejus mediatione, compoſita.

landa tanti valoris. Quorum cauſſa multi Proceres Mediolanum adiverunt. Et dum die Dominico VII. Aprilis in ipſius magnifica Curia prædicta deberent fieri, egregius Miles Dominus Lodrixius Vicecomes, de quo dictum eſt ſupra, Mediolani MCCCLXIV. die Veneris, V. Aprilis, diem clauſit extremum. Cujus cauſſa, & quia magnifice ipſum voluit ſepeliri, prædicto torneamento ſilentium impoſuit, donec fuiſſet magnaliter finita ipſius Domini Lodrixii ſepultura, quæ facta fuit die Dominico VII. Aprilis. Et die Martis ſequenti factum fuit torneamentum in Curia Domini Barnabovis, in quo Albi obtinuerunt, præſentibus ambobus Dominis Mediolani. Dominus autem Ambroſius filius naturalis præfati Domini Barnabovis cum aliis Proceribus captis, ut ſupra, per Eccleſiam & confœderatos relaxati fuerunt. Qui ſic relaxati Mediolanum redeuntes per Placentiam die Jovis XI. Aprilis tranſierunt cum Gaſpardo de Ubaldinis capto in conflictu Caſalegii ſuperius deſcripto. Et Capitaneum Forlivii, de quo dictum eſt ſupra, cum omni plena bailia & poteſtate in ſuum Locumtenentem Civitatis Cremonæ & diſtrictus conſtituit, ubi dictus Capitaneus cum ſequacibus ſuis ſe reduxit. Quibus & aliis magnifice peractis, præfatus Dominus Barnabos juſſit & dirui fecit ſuper diſtrictibus Cremonæ, Pergami, & Brixiæ, infinitas fortalitias, & Caſtra, dimittendo in ipſis domos & palatia tantum, & potius partis Guelphæ. Quæ pars propter iſta & alia præcedentia, quæ gravia commiſſa fuere contra ipſam partem, multum dubitavit.

CAP. XIV.

De Galeatio Vicecomite.

GAleaz autem Vicecomes, tertius ex tribus præmiſſis fratribus, magnificus & excelſus, fuit Dominus Mediola-

ni, atque eſt Imperialis Vicarius generalis, poſſidens dominium Civitatum & Terrarum, quas habuit in diviſione antedicta partim, & reliqua dominia acquiſivit. Nunc autem dominia infraſcriptarum Civitatum habet, videlicet Mediolani & Comitatus pro medietate, Modoetiæ, Viglevani, Laudæ, Placentiæ, Bobii, Papiæ, Terdonæ, Alexandriæ, Albæ, Vercellarum, Novariæ, Comi, & quarumdam aliarum Terrarum incluſarum apud Territoria ipſarum Civitatum, & aliquarum de diſtrictibus earumdem, non quas perdidit, ut ſuperius eſt evidentius declaratum. Facta autem diviſione ternaria cum fratribus ſuis cœpit in ipſis Civitatibus regnare modo infraſcripto. Habuit namque, ut ſuperius eſt dictum, Dominam Blancam ſororem Domini Comitis Sabaudiæ pro conjuge (161) ex qua duos filios, nunc viventes, ſuſcepit, videlicet Dominum Joannem Galeatium natu majorem, & Dominam Violantam natu minorem; & prædictum Dominum Joannem Galeaz conſortem ſociavit, ut infra dicetur. In diviſione habuit etiam domos, in quibus conſueverant habitare Domini Matthæus ejus Avus, Galeatius, Azo, & Luchinus de Vicecomitibus præceſſores. Item domos univerſas (excepta noviter conſtructa per Dominum Luchinum apud Eccleſiam Sancti Joannis in Conca, quam habuerat in jam dicta diviſione præfatus Dominus Barnabos.) Quas domos & multas alias ſibi propinquas fecit funditus dirui, non dimiſſo ſolo lapide recto, excepta Capella Sancti Gothardi conſtructa per Dominum Azonem Vicecomitem, & excepto Turriono anti-

(161) Blanca de Sabaudia, Filia Comitis Aymonis, & ſoror Comitis Amadei VI., eam nupſiſſe Galeatio Vicecomiti, jam dictum eſt Nota 82., Nuptiarum Tabulas, ſeu Pacta, ſcripta in Caſtro Bourget, die 10. Septembris, anno 1350., vide apud Guichenonium, *Hiſtoire Genealogique de la Maiſon de Savoye*, in probationibus pag. 181.

tiquo, nec non alio noviter conſtructo tempore Domini Luchini. Quæ domus cum ornamentis, & picturis, & fontibus hodie non fierent cum tercentis millibus Florenis. Domum ſuæ habitationis fundari fecit ſuo modo, & ſicut de præſenti jacet, cum infinitis diſpendiis & detrimentis Civium ſuorum, a quibus undequaque & qualitercumque voluit magiſtros, laboratores, & lignamina pro pauco vel pro nihilo habuit. Et quod deterius fuit, facto uno pariete cum infinitis diſpendiis, & laboribus, ipſum funditus dirui faciebat, & ibi prope alium vel ſimilem conſtruere. Propterea faſtidio omnes conſumſit. Deinde tempore hyemali, tempore pluvioſo, & omni tempore, etiam æſtivo, non ceſſavit parietes, voltas, palatia, & ſimilia conſtruere immenſæ longitudinis & latitudinis, ut decreverat. Et quia nimis celeriter, tumultuarie, plerumque ex laterculis mutilis & ruptis fuerunt muri erecti, rimulas frequentiſſimas ediderunt, & aliqui brevi tempore corruerunt. Poteſt autem dici, quod domos duas ſimul ſe ſe tenentes & ſeparatas fecit fieri valde pulchras cum expenſis infinitis. Deinde fecit fieri portas faciei Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ibi prope per taleam factam Mercatoribus Mediolani, portas ſcilicet marmoreas cum intaliis intus pulcherrimis, ſicuti apparent de præſenti, & cum maximis diſpendiis. Non bene ſanus de perſona ſtat, & præſertim de præſenti. Propterea in armis nullum exercitium facit. In agibilibus & regimine vivit cum conſilio Domini Joannis de Pepulis prædicti (& præcipue a duobus annis citra) qui honorem univerſorum negotiorum ſuſtinet, mediante conſilio Domini Protaſii de Caymis, & Domini Roberti de Fronzola, & aliquorum aliorum; a quibus omnia geſta & gerenda procedunt. Petitiones vel numquam vel rariſſime expediuntur, quum Dominus Galeatius ſinat, ut Poteſtates & Rectores juxta locorum Statuta judicent, & Statutis deficientibus, juxta Jus commune, niſi aliquando aliud apparet, quod vult exſe-

ſequi ſecundum diſpoſitionem ſuam. Propter otia libenter ludit ad taxillos, & converſantes cum eo ludere facit, quorum multi depauperantur. Habuit guerras infinitas, & habet de præſenti, & præſertim, quia vult amiſſa & perdita, ut ſupra, vindicare & recuperare, & non habita acquirere, ut jam diximus, & præcipue Papiam cum diſtrictu, ad quam habendam puteum plenum danariis evacuaſſet. Quibus in rebus aliiſque gravioribus ſupportandis moleſtatur aſſidue, poſtquam Marchio Montisferrati eum diffidavit & provocavit. Volens ideo ſupportare labores pro recuperatione Novariæ & diſtrictus, acquiſitione Papiæ, tentata recuperatione Civitatis Aſtenſis. Et pro excipiendo nurum ſuam, adeo ceteras ſuas Civitates depauperavit pecunia, ut pro ditando ærario plus gravet Florenis quam conſuetum eſt, etiam Mediolanum & Comitatum. Ordinate & inordinate omnis pecunia e Civitatibus ſuis percepta, & tam ablata, ſeu mavis extorta, tam Clericis quam Laicis mille modis impoſita & indicta, aſportata fuit in ſaccis in Alamanniam per Comitem de Lando, & alios Teutonicos, & in Hungariam per Hungaros. Sicque prædictæ Civitates remanſerunt cum porro pilato, præſertim peſtilentia eas devaſtante. Propter quas expenſas ſine fine factas dicitur idem Dominus Galeaz habere parvam pecuniam, & fieri tenaciſſimus & avarus in expendendo, quum eam non teneat Curiam, quam alii Vicecomites tenere conſueverant, nec aliquis Conſiliarius vel Officialis in ipſa comedat niſi rarius. Itaque deficiente pecunia ceſſaverunt proviſiones Civium ſuorum, quas dare conſueverat, & forenſium diminuit quantum potuit, quoniam ſubditi ſui tam Clerici quam Laici propter ſupra narrata nequeunt amplius reſpondere. Etiam Caſtellanis, ſtipendiariis, & cuſtodibus portarum Civitatum ſuarum, quos omnes reduxit ad ſtipendia Mediolani, male ſatisfacit, retinendo ſtipendium quatuor vel ſex menſibus. Quapropter illi etiam

peſ-

peſſime ſerviunt, dormitantes cuſtodiunt, & debiliter prœliantur. Et hoc de præſenti experimur. Nam quamvis ipſe ad ſua ſtipendia habeat peditatum & equitatum, qui numero in duplum ſuperat parvam Societatem Anglicorum; attamen cum ſtipendiariis ſuis non potuit, nec valet illis Anglicis reſiſtere, quin totum fere agrum Alexandrinum, plurimam partem Vercellenſis, univerſum Novarienſem, Terdonenſem, & Papienſem ultrapadanum everterint. Imo octingenti cum barbutis Terras ipſas Papiæ ultra Padum ac Derthonam populabundi deſtruunt de præſenti. Quod quidem accidit ob nullos datos ordines, & ob ſtipendiarios non ſatisfactos, & ſubditos in tantum fatigatos diverſis expenſis pro pecunia ipſis extorta, raptionibus Officialium & ſtipendiariorum, ut non habeant unde plus ultra perdere. Nec ſciunt illis Anglicis reſiſtere, ſed ducuntur ab utraque parte in profundis.

Alium ordinem tenet in Officialibus & officiis ſuis, qui aliquando caſſantur in termino primi ſemeſtris, aliquando & plerumque ad alios ſex menſes confirmantur, & aliquando intra ſecundum ſemeſtre revocantur. Et cauſa eſt, quia non unicus, ſed plures ſunt Domini. Nec aliquis (ſive bene, ſive male agat) annum in officio Prætoris excedit, & poſtea in aſſequendo alterum officium adeo profundit, ut etiam lucrata in primo, imo & plus, amittat. Condemnationes autem ſubditorum curat facere in pecunia, & non in perſonis, qualitercumque faciendæ ſint. Gratias rariſſimas facit. Ut intratæ ſint & reditus fiant uberiores, totis viribus ſtudet, utque exigantur, omnem adhibet conatum. Dicitur, quod poſt conjugium nullam aliam mulierem cognoverit. Multum labilis eſt ad promittendum. Multum equis & potius equabus delectatur. Maximas expenſas paſſus eſt in Papia faciendo fieri Civitellam intra Civitatem, valde magnam muratam in profundum valli ſeu foſſi ab utraque parte, & potius in

Ca-

Caſtro ſuo noviter incœpto, de cujus principiis infinita poſſent dici. Capitaneum guerræ diutius habuit Dominum Pandulphum Malateſtam, de quo ſuperius dixi, & qui ab eo receſſit, ut eſt dictum. Qui Capitaneus cum infinitis & determinatis expenſis viguit, ſed nihil vel parum fecit. Eo Capitaneo dimiſſo, Comitem de Lando cum Societate ſua & infinitis proviſionibus poſt captionem Papiæ habuit in Capitaneum, & ipſum cum prædictis & aliis ſtipendiariis poſt recuperationem Novariæ & diſtrictus miſit in partes Aſtenſes, volens Aſtam cum diſtrictu recuperare. Ipſi adhæſerunt expulſi e Civitate Aſtenſi, nempe illi de Solerio, de Malabailis, de Ricciis, & reliqui. Ubi tota una æſtate dictus Comes ſtetit cum exercitu, & poſuit campum, & caſtrametatus eſt in Sancto Lazaro apud Portam Sancti Petri, ubi diu ſtetit cum infinitis diſpendiis; Pontem Tanari deſtruxit; Villas infinitas populatus concremavit. Attamen eam Civitatem expugnare non valuit. Sed plura recuperavit Caſtra (annuentibus ut plurimum Caſtellanis) quæ Dominus Galeaz de præſenti detinet. Curavit etiam dictus Comes recuperare alias Terras & Oppida amiſſa in Pedemontanis, & illic ſtetit per longum tempus, & pauca quædam recuperavit. At non valens ulterius procedere, partem exercitus miſit in agrum Alexandrinum, ubi ipſemet faciendo guerram circum circa, & præcipue cum Domino Thoma Malaſpina conſorte Alexandriæ, a quibus partibus prava Societas Anglicorum Lombardiam intravit. De laboribus autem Vercellarum, Novariæ, & aliarum Terrarum dictum eſt ſuperius ſingillatim. Ex hiſce geſtis non eſt mirandum, ſi præfatus Magnificus Dominus Galeaz pro dicta exſequendo habuit Laicos & Clericos aggravare, & potius eos, qui effugere non poterant. Durantibus autem prædictis præfatus magnanimus corde Dominus cogitavit filium ſuum Dominum Joannem Galeatium unicum, in vita ſua, (& credo propter

oc-

occurrentia, & quia omnes ſumus mortales) uxore ſociari. Et deliberato conſilio illuſtrem Dominam Eliſabetam filiam illuſtris Regis Francorum in matrimonium ei copulavit, ambobus tamen in ætate puerili exiſtentibus. Quod cum infinitis diſpendiis acquiſivit. Et pro ipſam conducendo infinitæ expenſæ factæ fuerunt, quum pro ipſa excipienda miſerit in Regnum Franciæ infinitos Proceres cum infinitis Nobilibus, nec non infinitis proviſionatis. Et non conſiderans morbum tunc in partibus illis exiſtentem, guerras infinitas in partibus eiſdem occurrentes, noluit vota ſua decipere in eam transducendo magnanimiter, regaliter, & imperatorie. Quam prodigaliter dicta Domina fuerit recepta, poſtquam intraſſet Terras ſuas, ſcilicet in Sancta Agatha diſtrictus Vercellarum, non attinet dicere. Quam ſumtuoſe & gratioſe excepta fuerit a matronis & electis Vercellarum & de Novaria, non eſt ſcribendum. Quam magnificenter recepta fuerit in Papia, infinita ſcribi poſſent. Quid autem dicetur in Mediolano? quanto magis, quum arguatur a minori ad majus? Et ſic nuptias prædicta Domina (Curia propalata) complevit in Mediolano, ubi de præſenti moram trahit. Habuit Dominus Galeatius Dominum Manfredum de Salucis Marchionem, ſed a Marchionatu pulſum, & cognatum Principis Pedemontium, pulchrum & probum Militem, etiam ſagacem a principio ſui habiti dominii; habuit inquam in Conſiliarium, illique multum favebat. Sed hoc Anno præſenti ipſum a Curia ſua licentiavit, & ipſemet Dominus Manfredus fuit cauſa. Non valens itaque Dominus Galeaz domare rebelles ſuos, ſemper ſtuduit, quod bona ipſorum, undecumque eſſent, & qualitercumque ſe ſe haberent, mobilia vel immobilia, ſuæ Cameræ applicarentur. Et ſic ipſa voluit locari & exigi, & exacta totaliter in ærarium ſuum tranſmitti omni tempore.

Anno autem currente MCCCLXII. de menſe Octobris

mortuus eſt Innocentius Papa VI. (162) & cum maximis quæſtionibus electus fuit Urbanus Papa V. (163) Electio diu fuit dilata ob diſcordiam Dominorum Cardinalium (164). Et in Mediolano præfatus Dominus Galeaz conſtituit Ubertinum Siccamilicam in Officialem, ad recipiendum primos reditus quorumcumque Beneficiorum vacantium in Civitatibus & locis ipſi Domino Mediolani ſubjectis, facta electione in Beneficiis ipſis; quam electionem mandavit, ubique ut ſupra fieri intra octavam diem, poſtquam ipſis conſtitiſſet de Beneficiati morte, dumtaxat exceptis habentibus literas Apoſtolicas, contra quas noluit aliam electionem fieri. Et ſic talem Officialem habuit, durante bello antedicto & ultra, & pluribus vicibus conſequutus eſt univerſorum Beneficiorum valorem, quem habebat in ſcriptis, una cum limitatione bladorum, vinorum, lignorum, & aliorum mobilium. Ille Officialis cogebat univerſos Prætores & Rectores præfati Domini ad compellendum Parochianos ſolvere pro Parocho in Civitatibus, & fictuales pro Beneficiatis. Et ubi fictuales ſatisfacere non poſſent, coegit Communitates locorum, in quibus beneficiati erant. Propter hæc & guerram, & quia de beneficiis nihil percipiebatur, doluit qui Clericus fuit. Nam Clerici harum penſitationum cauſ-

(162) De Innocentio VI. vide quæ dicta ſunt nota 142.; Obiit enim die 12. Septembris anno 1362.

(163) Urbanus Pontifex V., Guillelmus Grimoaldi, in ſeculo vocatus, ejus Pater fuit Grimoaldus miles Gabalitanus, de loco Griſaco, Diœceſis Mimatenſis, tunc Sancti Victoris Maſſilienſis Abbas, ac in Regno Siciliæ Apoſtolicæ Sedis actualis Nuncius; ad Pontificiam dignitatem electus fuit Avenione, die 28. Octobris, anno 1362., obiit vero die 19. Decembris, anno 1370. Vide Balutium ex editione Boſqueti, & R. I. T. III. parte 2. col. 610. C., & ſeq., alioſque Scriptores ſupracitatos.

(164) Hic aliqua deeſſe videntur in Codice M. S. a me recognito, Amanuenſis itaque, non Impreſſoris errore.

cauſſa ſunt detenti perſonaliter & graviter, non obſtante quod divina miniſtrare deberent.

Præterea præfatus Dominus Galeaz curavit habere univerſa Studia in Civitate Papiæ, in qua antiquitus fuiſſe dicuntur (165). Et certe de Jure bene ſtat. Nam ipſa Civitas

Oo 2

(165) Univerſalem ſcientiarum Academiam, ſeu ut vocant Studiorum Univerſitatem, a Galeatio Vicecomite in Ticinenſi Urbe inſtitutam fuiſſe, prævia Caroli IV. Cæſaris conceſſione, facta Civitati eidem Ticinenſi, & data die 13. Aprilis 1361. Hurimburgæ, præter Auctorum teſtimonia probat Edictum ab Azario, & a Corio relatum ad annum 1361. Hic ad annum 1402. aliquos recenſet ex Profeſſoribus, qui ibi docuerant, inter quos obſervare licet præcipuos ejus temporis, doctrina Viros, ac magis celebres ejus ævi Scriptores, quorum plures ad Epiſcopales Cathedras, nonnullos ad Cardinalitiam Purpuram, imo unum ad Pontificis Maximi dignitatem, evectos fuiſſe conſtat; Petrum nempe de Cretenſi Inſula, ſeu ut Scriptores vocant de Candia. Hic cum adhuc puer Ordini Fratrum Minorum nomen dediſſet, adultus Theologiam in Ticinenſi Gymnaſio docuit, & Galeatio Vicecomiti fuit a ſecretis. Poſtea Vicentiæ Epiſcopus, inde Novariæ, ac demum Mediolani Archiepiſcopus creatus, Cardinalitiam Purpuram obtinuit ab Innocentio VI., demum ad Pontificiam dignitatem evectus in Concilio Piſano, anno 1408., adſcito nomine Alexandri V. Poſt Octavum Pontificatus menſem obiit. Hoc, quantum eo tempore floruerit ea Univerſitas, luculenter demonſtrat, non minus, ac quantum eo tempore, Viros doctos ad dignitates promovere, in uſu fuerit.

Longe tamen ante hanc inſtitutionem, extitiſſe Ticini ſtudia, nullus inficias ibit, ſed eo modo quo florere poterant ſcientiæ, ſeculis barbarie ac ignorantia plenis, quibus inter doctos numerabantur illi, qui legere, ſcribere, & latinum poterant intelligere ſermonem. Circa annum 780. Carolum Magnum Cæſarem, Ticinum miſiſſe quemdam Joannem Albinum Monacum natione Scotum, ut ibi Juvenes liberalibus diſciplinis inſtrueret, refert Notkerus Sangallenſis Monacus. Albinus cognomento Alcuinus, in Epiſtola 15. ad Carolum Magnum in editione Du Chenii pag. 1511., hæc tradit de quodam Petro Magiſtro Ticini commorante: *Dum ego adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia Regali Civitate demorarer, quidam Judæus Julius nomine, cum Petro Magiſtro habuit diſputationem. Idem Petrus fuit qui in Palatio veſtro Grammaticam docens claruit.* In

vitas & domus ſunt plerumque vacuæ & inhabitatæ, & mercatum de penſionibus domorum habebimus pro libito. Ibi infinita copia vinorum & frumenti, de quibus nihil aut parum pretii invenitur. De lignis non eſt dicendum, quia pluribus annis præteritis nemora pacem habuerunt. Hiſce conſideratis, curavit habere in univerſis Scientiis Doctores & Privilegia & facultatem conventandi in ipſis Artibus, & ſubinde ad univerſos ſuos Prætores dedit literas tenoris infraſcripti, nempe: *Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis. Quum habeamus Studium in Civitate noſtra Papiæ tam in Jure Canonico quam Civili, & in Medicina, & Phyſica, & Logica, habeamuſque ibi Doctores ſufficientes, mandamus vobis, quatenus proclamari faciatis in Civitatibus veſtris in locis conſuetis, quod quilibet Scholaris debeat ad Civitatem noſtram Papiæ ſtatim accedere ſub pœna noſtro arbitrio afferenda. Et ſi qui iviſſent ad aliena Studia, ſtatim mittatur pro eis, & compellantur venire Papiam. In ipſa enim Civitate*

In additamentis ad leges Lotharii Auguſti R. I. T. I. parte 2. col. 152. legimus ut ſequitur: *Primum in Papia conveniant* ad Dungallum (Lectoris, ſeu Magiſtri nomen) *de Mediolano*, *de Brixia*, *de Laude*, *de Bergamo*, *de Novaria*, *de Vercellis*, *de Artona* (lege Dertona), *de Aquis*, *de Genua*, *de Haſte*, *de Cuma*. Proſequitur inde alias Civitates recenſens, in quibus ſtudia conſtituerat, aliaſque ex quibus ad aſſignatam ſtudii Urbem, Juvenes erudiendos mittere tenebantur. Hunc *Dungallum* floruiſſe circa annum 827., tradunt Scriptores. Ex prænarratis patet ergo, ſtudia Ticini jam fuiſſe, pluribus ante Galeatium ſeculis. Nec tamen ideo ſtudiorum Univerſitatem Ticini fuiſſe, qualem Galeatius inſtituit, credo, quidquid in contrarium ſomniaverit Juriſconſultus Gattus, in ſuo Opere de Gymnaſio Ticinenſi, nihil obſtante. Præcitati textus de unico Magiſtro loquuntur; Univerſitas vero omnium ſcientiarum Magiſtros habere debet, unde etiam nomen deſumit. Sed qui fuerint præcitati Magiſtri ex Alcuino vides. *Idem Petrus fuit qui in Palatio veſtro, Grammaticam docens claruit*. Vide Muratorium in Notis 5. & 6. ad Lotharii Leges R. I. T. I. parte 2. pag. 152. - vide eundem Antiquit. Italic. T. III. pag. 883.

vitate Papiæ acquiſivimus Privilegia ſolemnia Studii generalis, cum poteſtate & auctoritate dandi conventum in Decretalibus, Legibus, & qualibet Facultate. Datum Mediolani XXVII. Octobris (166). Quæ quidem literæ in locis dicto Domino Galeatio ſubditis fuerunt publicatæ, & juxta earum tenorem fuit proclamatum edictum.

Durantibus autem guerris prædictis, & præcipue poſtquam ſceleſtiſſima illa Anglicorum Societas intravit Lombardiam, continue Dominus Galeaz tenuit in Mediolano obſides in magna quantitate de potentioribus Terrarum infraſcriptarum, & de Guelphis & de Gibellinis, videlicet de Placentia, Terdona, Alexandria, & potius de Papia, de qua voluit habere univerſos primores utriuſque partis, & tenet de præſenti. Et dicitur, quod illi de Civitate Papiæ ſunt XL. imo & ultra. Alii autem de ceteris tribus Civitatibus non ſunt deſcripti. Nec iſto tempore aliquos relegatos de Novaria & Vercellis habuit in Mediolano & Comitatu; ſed primos de ipſis Civitatibus pluries per maximum tempus tenuerat, nec durante morbo in Mediolano & Comitatu voluit ipſos Novarienſes & Vercellenſes licentiare; ideo ex relegatis Novarienſibus mortui ſunt Centerius Torniellus filius Domini Romagnoli, Franciſchinus Tettonus agnomento Barba, filius Domini Jacobi Piellæ, & alii aliqui. Curavit etiam habere relegatos de aliis Terris fortibus, & præcipue de Papienſibus. Sed tarde venerunt bubulci. Quia quum ipſos voluit habere non potuit propter ſubitam inimicorum feſtinationem, præterquam a Terra Claſtigii, a qua plures habuit, quorum nonnullis male evenit, quum ſemper ex intervallo faceret (& potiſſimum uni Presbytero) mutilari univerſa membra, & ſemper carcerari, quouſque mors ſuccedat. Quæ Terra Claſtigii quia diu fuit confœderata cum Viqueria & Bremide,

(166) Anno ſcilicet 1362. ut apud alios Scriptores legitur.

de, quæ ſunt claves diſtrictus Papienſis ultra Padum, cum maximis laboribus & cautelis eſt defenſa & impedita, ut Viqueriam ſecuta non ſit. A præſidiariis Viqueriæ præſenti æſtate detrimenta infinita & maxima ſuſceperunt. Et procul dubio ſi Dominus Muſſus de Beccaria, cujus eſt Caſtrum Rebecchi valde validum & vicinum loco Claſtigii, in quo major pars eſt amica illorum de Beccaria, ſi inquam fuiſſet in Mediolano relegatus, Terra Claſtigii perdita fuiſſet poſt perditam Viqueriam, quæ cum maximis laboribus homines Claſtigii contentavit. Prædicta autem Anglicorum impia Societas reverſa cum auxilio Ducis Januæ, & captis arcibus ſuper Terdonenſi & aliis locis ibidem adhærentibus, partim ſine prœlio, ut ſuperius eſt deſcriptum, denſiſſimæ noctis tempore, cum ſcalis ſecum devectis, prope Civitatem Terdonæ pertranſivit, & tranſacta Scrivia in Monaſterio Ripaltæ ea nocte jacuit; & ſummo mane cum aliis baliſtariis recenter miſſis a Terra Novarum, ſimul adunati Terram Boſchi Alexandrinam de inſultu non advertentem intrare curavit. Terra illa eſt ſuper Fraſcheta in diſtrictu Alexandriæ, in qua DC. homines habitant. Verum ipſis non advertentibus, & nihilo per eos amoto e villa prædicta, parva (167) Societas ipſam Villam invaſit, & univerſa occupavit, ſed arcem etiam prœliando expugnare non potuit, quamvis Terram, & alias illinc propinquas quam diligentiſſime populata ſit, & incendio conſumſerit. Deinde venit Pozolum Formicarium Terdonæ, quod licet afflixiſſet aggreſſione, & in illud jaculata eſſet plauſtrum unum verettonorum, opprimere nullatenus potuit. Tunc per Fraſchetam progreſſa uſque Salas ad fluvium Scriviam, pluribus aciebus & manipulis ordinata,

(167) *Prava*, pro *Parva*, reponendum crederem, ut aliis locis eam nominat. Infra enim dicit eam ſocietatem excedere mille equites, qui numerus eo tempore, ſocietati non parvæ conveniebat.

nata, conſtans equitibus mille & ultra, prope Salas ſubſtitit. Et quum tantæ multitudini Oppidani Salenſes denegaſſent ingreſſum, Fobbium Monaſterium occupavit, quotidie Terram Caſtrinovi & alias noſtras opprimendo.

Deinde recedens Viqueriam, curavit quadam nocte furari Terram de Straella, quæ Terra eſt Papienſis Epiſcopatus ultra Padum. In ipſam quamplures ingreſſi ſunt tacite. Sed ab expergefactis oppidanis rejecti ſunt armata manu. Iterum prope Viqueriam regreſſa, expugnavit hoſtiliter arces Sancti Martini, & Burgi de Larea valde fortes, quas opibus exſpoliatas occupat, & nunc Ripam de Nazano pugnando tentat opprimere. Et quod deterius & irreligioſius fuit, feruntur Viquerienſes exhumaſſe cadaver Domini Ruffini de la Ripa Nazani ex Dominis de Sancto Nazario, illudque membratim dilaniaſſe. Pridem etiam habuerat præfatus Dominus Galeaz Picardonum filium Antonii Vaſſalli de Vercellis, quem cariſſime diligebat, utpote ſocium continuum in ea peregrinatione, quam idem Dominus Galeaz paſſus erat in partibus ultramontanis metu Domini Luchini, ut ſuperius diximus. Cui propterea Picardono tamquam domeſtico ſuo committebat cara officia, & unam ex Dominis de Gualdengo in uxorem dederat, quæ pulcherrima erat, licet ipſe eſſet turpis, niger, parvus, & pravus. Qui dum eſſet generalis Exſequutor pro dictis domibus & aliis laboreriis faciendis, ſe adeo ſuperbe geſſit, verberando homines, & ipſos tributando, ut clamor male geſtorum ad cœlum uſque perſonuerit. Iſte Picardonus delectabatur quoque, tamquam peſſimus, in faciendo condemnationes ad Cameram Domini ſui, & factas exigere continuo, talia faciens, quod univerſas Civitates & loca præfato Domino Galeatio ſubdita tyrannizabat, nihili pendens primates Curiæ, & ſignanter Cives. Tantaque rapuerat etiam pro ſe, quod brevi factus eſt dives triginta millium Librarum Imperialium, quum primitus non haberet

beret unicum Florenum. Et quia ſuperbi neminem habent amicum, ideo & ipſe a Domino Joanne de Pepulis ſcandalizato de prædictis pravitatibus non plene diligebatur. Ideo fuit carceratus & ſyndicatus. De quo autem fuerit petitus in Syndicatu, opus non eſt declarare: ſed poteſtis cogitare, quoniam tam celeriter, & intra tempus adeo modicum non cumulaſſet tantas divitias recitando *Pater Noſter*. Fugam e carcere arripuit. Et quia diabolus, cujus erat, noluit, quod impunis evaderet, extra Mediolanum fecit ipſum inveniri, & demum tamquam latro fuit ad furcas ſuſpenſus, & tantarum ſuarum divitiarum fuit heres præfatus Dominus Galeaz, reſtituta ſolummodo dote prædictæ uxori ſuæ. Et Antonius pater ipſius nunc Vercellis ſtat carceratus. Eiſdem diebus repertum fuit, quemdam ex familia de Medicis de Mediolano, incumbentem & ſupraſtantem laboreriis Caſtri Papiæ, multa ſuffuratum fuiſſe. Quem ideo Dominus Galeaz erectis furcis ſuper foſſa ejuſdem Caſtri ſuſpendi fecit, & ibi denigrari. Præterea hoc Anno præſenti Tadiolum de Carcano, ejuſque filium (ambos Caſtri Viqueriæ Præfectos) pro eo quod in Caſtro non erat ipſe Thadiolus, quum Viquerienſes ſibimetipſis nuper vindicarunt dominium Terræ & Caſtri, curavit Dominus Galeaz cambium habere, & ambos tamquam latrones ad caudam aſini trahi ad ſupplicium, & laqueo ſuſpendi fecit, & ſunt de præſenti. Summo ſtudio venatoribus edixit, ne feras beſtias caperent inſidiis, & proditorie; & de hujuſmodi inhibitione ſæpius per univerſa loca ſibi ſubjecta literas renovavit. Juſſit etiam, ne quis, præcipue in flumine Ticino, Timulos piſcaretur; & ſi quem fortaſſe caperet, illico ad coquinam Dominicam deferret. Eos etenim piſces præ ceteris appetit. Et ſic facit in fructibus & præcipue in Marenis dulcibus de Zotego & Moſicio, diſtrictus Novariæ, pro quibus totaliter habendis Commune Novariæ multa diſpendia paſſum eſt ac patitur. Idem hoc de equabus

bus curat; & ubi ſcit, aliquam equam habilem ad gignendum exſtare, eam vel ſub ſtipendio, vel alio modo neceſſario habere vult. Hoc tamen Anno refriguit amor venandi & habendi equas, quia Anglicorum incurſiones, & Terrarum rebelliones alia exordia concluſerunt. Præterea prædictus Dominus Albaret una cum prædicto fratre Ducis Januæ recuperarunt, & ſeu denuo occuparunt in diſtrictu Papiæ haſce Terras, nempe Stephanagum, Gravanagum, Fortunagum, Montipechium, Roccam Seſellam, Podium Animanum, Caſtagnolum, Sanctum Antonium, & Nibiolum. Quibus Terris habitis, profecti ſunt Novas, & deinde frater Ducis perrexit Januam, & Dominus Albaret cum CCC. barbutis ivit Aſtam. Alia vero turma ſeu Societas petiit Aquas. Paucos poſt dies Dominus Albaret cum Domino Ottone de Brunſvich venit Valentiam, & Domini Comes Landus & Joannes de Pepulis pro Domino Mediolani venerunt Baſſignanam. Simul juncti prope Valentiam egerunt de pace componenda. Mox unuſquiſque ad partes ſuas rediit, & Dominus Joannes de Pepulis Mediolanum redivit. Deinde Dominus Galeaz dicitur in Garlaſco, Terra rebelli ut ſupra, habuiſſe tractatum; & pro ea occupando & arripiendo, ſtipendiarii ipſius Domini miſſi fuerunt a Papia, & aliis locis, quorum pars intravit. Sed oppidani quoſque ingreſſos capiunt, & laqueo ſuſpendunt. Evanuit ergo illa expeditio ob nimiam ſtipendiariorum pigritiam in equitando. Quare Dominus Galeaz iratus, quod ſui rediiſſent Papiam re infecta, mandavit Dominis Joanni Pelavicino de Scippiono Marchioni Poteſtati Papiæ, & Ubertino de Petraſancta Capitaneo, quatenus viſis literis ſuis dictos tales ſtipendiarios detinerent: mox aliis literis continuo & illico datis juſſit, ut ipſos omnes ſtipendiarios (ſexaginta enim in vincula conjecti fuerant) facerent de præſenti ſuſpendi. Viſis hujuſmodi literis, horruerunt Poteſtas & Capitaneus, & exſequutionem protelarunt. Interim unus in Mediolano impe-

impetravit gratiam ne ſuſpenderentur, quam Dominus Galeaz indulſit, ſperando, quod dicta exſequutio facta fuiſſet. Quum igitur virtute gratiæ omnes fuiſſent relaxati, Dominus Galeaz adeo ira correptus fuit, ut juſſerit & imperaverit carcerationem Ambroſoli Cribelli ſui Cancellarii, quem condemnavit in ſalario unius anni, quia nimis lente ſcripſerat literas ſuſpenſionis, aut in ſcribendo diſtulerat. Poteſtatem autem & Capitaneum prædictos ad carceres coegit, quos tamen aliquot poſt dies dimiſit.

Euntibus autem & redeuntibus prædictis Domino Conrado Comite de Lando, & Joanne de Pepulis, Nuntiis Domini Galeatii verſus Partes Marchionis pro pace tractanda, univerſa Societas convenit in Romagnano diſtrictus Novariæ. Deinde perrexit Garlaſcum, & poſt nonnullos dies Ticinum tranavit ad vadum. Nam Dominus Galeaz portus, & naves, & imo etiam iter terreſtre vetuerat. Et ita Anno MCCCLXIII. die Mercurii IV. Januarii, Comitatum Mediolani omni conatu ingreſſa eſt, & Terras Mazentæ & Corbettæ occupavit, faciens quæ facere conſueverat. Quibus Terris captis, ſe in plures cohortes & manipulos diviſit, vagatura per Septium. Itaque pars Lignanum, pars Nervianum, altera Caſtanum, altera Vitodunum, alia Sedrianum, & alia ad Caſſinas apud Mediolanum ad V. vel VI. milliaria petiit, multaque alia loca parva non nominata. Invenit multos nobiles vacantes ob feſtivitates, & ludentes ad tabulas & ſcaccos noctis tempore, & non ſuſpicantes de tanto infortunio. Quotquot ex eis voluit, abduxit. Matronis autem pepercit propter breviſſimam moram; ſed eas ornamentis exſpoliavit, quæ non modico pretio dicuntur æſtimari. Quid ultra? Sexcentos numero & ultra ex Nobilibus viris captos conſignavit in Caſtano; & ſi plures potuiſſet ligare & ducere, plures ad bottina præſentaſſet. Sed perfidæ illi genti defuere funes & conductores, adeo ut unus ex illis Anglicis aliquando

do decem captivos abigebat; & ſic incaute & tam miſerrime & imo viliſſime prædicti Mediolanenſes ſe capi permiſerunt, & ſine ulla reſiſtentia. Et dicitur, quod prædicti capti ſe redemerunt centum millibus Florenorum inter ſe ſe collatis. Quid autem de aliis raptis dici poteſt? Et tunc dicti Anglici verentes perdere tot parta, regreſſi ſunt cum ita pinguibus ſpoliis in diſtrictum Novariæ nempe Romagnanum, quo tuto ſe ſe receperunt, timentes impetum Anichini de Bongardo, qui cum mille barbutis Parma Mediolanum tendebat. Sed quum pervenerit, poterit dici, quod *tarde venerunt bubulci*. Et ſic prædicti Anglici cum dicta præda recedentes, nulla incendia in locis ipſis impoſuerunt. Hæc eſt igitur confirmatio pacis præſentis, de qua Dominus Galeaz ſperabat eſſe concors cum prædicto Domino Albareto, & aliis Anglicis. Tamen ipſe Dominus Albaretus magis ſapiens artem deluſit arte. Quare Dominus Galeaz poſt promiſſionem meditabatur patrare alia, de quibus propter nimium opus tacetur. Beſtias illi latrones non potuerunt in totum abigere propter tranſitum Ticini, in quo naves Domini Galeatii multum obſtiterunt. Præterea dicto anno MCCCLXIII. die XXII. Januarii, illuſtris Rex Cypri & Hieruſalem (agens ætatis annum XXV.) cum pulchro comitatu & ſervitio Mediolanum applicuit, profecturus Avenionem. Magnifice per utroſque Dominos Mediolani, & cum magnis expenſis fuit exceptus, diuque & cum magnis ſolatiis ibidem ſtetit. Durantibus iſtis, Dominus Otto de Brunſvich cum præfato Domino Albareto curavit Burgum prope Baſſignanam furtim & clandeſtine ſubtrahere. Et die XXV. Januarii plures ex ſuis in dictum Burgum ſub noctis favore immiſit. Sed pluribus ingreſſorum vulneratis, & ſex interemtis, eadem nocte Valentiam petiit. Interea nihilominus Anglici cuſtodiebant Terram Romagnani, a qua multa damna inferunt agro Vercellenſi & Novarienſi, pabulatum euntes per milliaria duodecim

Pp 2 & ul-

& ultra. Urgente igitur pabuli inopia, ſummo ſtudio curaverunt ſupprimere Terram Burgimaynerii in eodem agro Novarienſi, & adeo ſtuduerunt, ut iſtis diebus eam circum circa expugnaverunt. Et cum deſcendiſſent ex equis pro ipſam aggrediendo, ſupervenerunt a Novaria CCC. barbutæ in auxilium Oppidi, qui Anglicis obſidentibus & aggredientibus intulerunt magna damna. Sed nec ipſi fuerunt ſine pœna. Rurſus deinde agitur de pace. Converſus autem Dominus Galeaz ad conterendam nequitiam proditorum, & ad compeſcendos cujuſcumque perfidiæ motus, mandavit Rectoribus ſuis, ut infraſcripta tormenta exſequerentur, & infligerent in perſonis proditorum ſuorum & complicum: Tenor autem, quo tormentorum ſeries indicitur, talis eſt: *Intentio Domini eſt, quod de magiſtris proditoribus incipiatur paulatim. Prima die quinque bottas de Curlo. Secunda die repoſetur. Tertia die ſimiliter quinque bottas de Curlo. Quarta die repoſetur. Quinta die ſimiliter quinque bottas de Curlo. Sexta die repoſetur. Septima die ſimiliter quinque bottas de Curlo. Octava die repoſetur. Nona die detur eis bibere aqua, acetum, & calcina. Decima die repoſetur. Undecima die ſimiliter aqua, acetum, & calcina. Duodecima die repoſetur. Decima tertia die ſerpiantur eis duæ corrigiæ per ſpallas, & pergottentur. Decima quarta die repoſetur. Decima quinta die deſſolentur de duobus pedibus; poſtea vadent ſuper Cicera. Decima ſexta die repoſetur. Decima ſeptima die vadant ſuper Cicera. Decima octava die repoſetur. Decima nona die ponantur ſuper Cavalletto. Vigeſima die repoſetur. Vigeſima prima die ponantur ſuper Cavalletto. Vigeſima ſecunda die repoſetur. Vigeſima tertia die extrahatur eis unus oculus de capite. Vigeſima quarta die repoſetur. Vigeſima quinta die truncetur eis Naſus. Vigeſima ſexta die repoſetur. Vigeſima ſeptima die incidatur eis una manus. Vigeſima octava die repoſetur. Vigeſima nona die incidatur alia manus. Trigeſima die repoſetur. Trigeſima prima die incidatur pes unus. Trigeſima ſecunda die repoſetur. Trigeſima ter-*

tertia die incidatur alius pes. Trigeſima quarta die repoſetur. Trigeſima quinta die incidatur ſibi unum Caſtronum. Trigeſima ſexta die repoſetur. Trigeſima ſeptima die incidatur aliud Caſtronum. Trigeſima octava die repoſetur. Trigeſima nona die incidatur Membrum. Quadrageſima die repoſetur. Quadrageſima prima die intenaglietur ſuper plauſtro, & poſtea in Rota ponatur. Harum pœnarum exſequutio facta fuit in perſonas multorum Anno MCCCLXII. & MCCCLXIII.

Receſſit a Mediolano prætatus illuſtris Rex. Papiam petiit, ubi magnaliter juſſu Domini Galeatii fuit exceptus. Deinde perrexit Viqueriam, ubi ex parte Marchionis Montisferrati fuit magnifice ſuſceptus. Die ſequenti, ſcilicet ſecunda menſis Februarii, Terdonam pervenit cum comitiva & proceribus ſuis, ubi pernoctavit. Die inſequenti Januam verſus profectus eſt. Porro Dominus Galeaz per infraſcriptum decretum ſuum contulit ſuis Rectoribus plenam facultatem confiſcandi proditorum bona. Edictum eſt hujuſmodi tenoris: *Nos Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis. Ad refrenandum multorum facinora, qui ruptis debitæ fidelitatis & obedientiæ habenis, adverſus ſtatum noſtrum, imo verius adverſus Imperialem Majeſtatem, in Civitatibus, Caſtris, Villis, & Territoriis a Cæſarea dignitate nobis conceſſis, quas & quæ tamquam Imperialis Vicarius regimus & gubernamus, hoſtili animo, ſeu quocumque alio modo, nobis & ſtatui noſtro tranquillo ex adverſo animari conantur, nedum humana, verum etiam divina præcepta, quibus jubetur, quod omnis anima Principibus ſit ſubjecta, ſceleratiſſimis facinoribus, & aſſiduis rebellionibus demoliri; & dicta noſtra Territoria, imo verius Imperialia, cum multitudine latronum, & aliorum perverſorum hominum invadere, atque occupare; ne ex eorum abſentia vel quacumque contumacia in deteſtando læſæ Majeſtatis, ſeu noſtræ dignitatis, & ſtatus noſtri extimationis crimine, ſeu rebellionis proceſſus, & ſententia retardetur, & tanti ſceleris nefanda temeritas remaneat impunita: hoc edictali,*

Deo

Deo propitio, perpetuo valituro Decreto noſtro, omni auctoritate & vailia, & qualibet juriſdictione & imperio & poteſtate, quibus melius poſſumus, ſancimus, ut in quocumque læſæ Majeſtatis & offenſæ cujuslibet prædictæ, nobis & ſtatui noſtro illato crimine, & maxime contra rebelles noſtros, vel invadentes Territorium noſtrum hoſtili animo, ſeu modo prædicto, per quemcumque Vicarium noſtrum Generalem, Poteſtatem, Capitaneum, & Vicarium Civitatum, Terrarum, & Villarum prædictarum, poſſit procedi per accuſationem, inquiſitionem, ſeu denuntiationem, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, & alio quoque modo extra ordinem juris, modi, & ſtatutorum ſolemnitate & forma omiſſis, prout illi, qui juriſdictioni præeſt, videbitur expedire. Adeo ut ſi qua Communitas, Corpus, vel Collegium, vel alia quævis perſona cujuſcumque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtat, ſuper dicto crimine læſæ Majeſtatis vel rebellionis, per nuntium, vel epiſtolam, ſeu etiam per edictum pure propoſitum citata, vel citatum neglexerit in termino perſonaliter vel legitime comparere: contra ipſam vel ipſum, ac ſi præſentialiter omnibus intereſſet, & lis foret legitime conteſtata, tam ad receptionem teſtium, & eorum publicationem, & ſequentia, quam ad definitivam ſententiam incluſive, & ad publicationem omnium bonorum & jurium Cameræ noſtræ applicandorum, & ad ejus exequutionem realiter & perſonaliter procedatur, legibus, ſtatutis, & conſuetudinibus non obſtantibus quibuſcumque; quibus omnibus in contrarium facientibus, mentionemque exigentibus, ex certa ſcientia, & de noſtræ poteſtatis & auctoritatis prædictæ plenitudine derogamus. Decernentes & declarantes, quod illi omnes & ſinguli ſint rebelles & infideles Imperii, & noſtri proditores, & pœnam capitalem, & publicationem bonorum ſuorum incurrant, qui in quocumque, publice vel occulte, contra debitum fidelitatis vel ſubjectionis faciunt rebellionis opera, & in noſtram proſperitatem aliquid machinantur, ſive in his, quæ ad commiſſum nobis Vicariatus Officium, ſeu dignitatem Generalis Imperialis Vicarii pertinent, repellendo. Hoc autem

tem noſtrum generale Decretum extendi volumus ad præterita, præſentia, & futura, & quod ex nunc abſque ulterioris temporis exſpectatione & tranſcurſu ſuum integrum vigorem decernimus obtinere.

Dum autem dictus Comes Landus, morando Novariæ, duceret cum magna cautela concordium cum Anglicis in Romagnano exiſtentibus, & Mediolano rediiſſet (ubi a præfato Domino Galeatio increpationem habuerat tenoris, ſcilicet, quod de guerra ſua nihil fiebat, & Anglici jure merito, & ſine alio obſtaculo patrabant contra Dominum Mediolani quidquid eis libebat & placebat) & dum prandium ſumſiſſet Novariæ in domo Omarini Piſcatoris, ubi non defuerat bonum vinum, & exinde bene refectus ſe contuliſſet ad domum Epiſcopi Novariæ, acceſſit ad eum Joannes Caymus tunc in Novaria Capitaneus, armatus & ſtipatus Hungaris & ſtipendiariis. Et impatiens de proceſſibus Anglicorum, contra quos nihil fiebat, per munera & exenia per eumdem Comitem ad Capitaneos Anglicorum miſſa, narravit eidem Comiti, quod illi perfidi cum eorum carrigio venerant Brionam, & omnem annonam rapiebant. Igitur armatus cum Hungaris & aliis ſtipendiariis una die Jovis XXII. Aprilis MCCCLXIII. equum aſcendit, & accedens in domo Epiſcopi Novariæ, reperit dictum Comitem ſumto prandio valde refectum. Cui narravit, quæ per Anglicos fiebant in Briona. Et tamdiu malleavit tum propter propalatam verecundiam, ut ſine ipſo non equitaret ipſe Capitaneus, tum propter increpationes & curas Domini Mediolani, quod dictus infelix Comes cum ipſo Capitaneo annuit equitare, tamen differendo, ut abſentatio inimicorum ipſi Comiti daret anſam redeundi. Sed quia Deus juſtus eſt judex, Comes prædictus habuit equitare. Et tunc Brionam profecti, ubi reperierunt, Anglicos jam diſceſſiſſe, eoſdem armata manu inſequendo, ipſos cum eorum carrigio ad Pontem Canturinum territorii Romagnani inve-

venerunt. Eſt enim Pons Canturinus ſuper una Rugia relevata conſtructus tali modo, quod ſolummodo per Pontem neceſſarium eſt tranſire. Ibi prœlium inter partes utraſque eſt commiſſum, in quo Anglici ſuccumbentes, Romagnanum fugere ſunt coacti. Ex quo campus Anglicorum intricatus ſcortam ſuam cūrat detinere, & ſubſequentes cum deſcendentibus Caſtro Sanctæ Fidei Colletrani Terræ ipſi loco Canturino...... Anglici pedites & equeſtres ſuccurrerunt ipſorum carrigium. In quorum ſuccurſu invenerunt dictos Comitem de Land, Joannem Caymum, & reliquos tam Coneſtabiles, quam Caporales ab equo deſcendiſſe, Anglicos pedeſtres expugnando. Ubi tranſacto dicto Ponte plauſtris occupato, repertus eſt dictus Comes; quem dicti Anglici pugnantes, ex jactu lapidis naſale barbutæ (168) eſt diruptum, & in inſtanti cum lancea in ora vulneratus; & dum ſic vulneratus reſiſteret Anglicis toto poſſe, ſub brachio dextro exſtitit perforatus, & demum captus, & parum ductus diem clauſit extremum. Et breviter concludendo, dictus Joannes Caymus Capitaneus captus fuit cum pluribus aliis. Sed plures mortui fuerunt. Et ſic dictus Comes cautelas ſuas etiam indiſcrete finivit. Nam quum ab equo deſcendit, Hungari deſcendere negaverunt, reculando apud Terdonam (169), dum ipſi Hungari cum Anglicis pugnarent, quod inſtaurato bello dictus Comes Teutonicos ſuos faciebat deviare dicendo: *Alt*, *Alt*. Quorum cauſſa ipſis Hungaris & aliis ſubditis Domini Mediola-

(168) Ex præſente textu confirmatur *Barbutas*, de quibus ſermo fuit Nota 114. non ſolum *Galeam* ſed etiam *Bucculam*, qua vultum ab ictibus defenderent, jam tunc temporis geſtaſſe.

(169) Scriptoris errore, *Terdonæ* hic nomen irrepſit. Dertona enim Urbs, nimis diſtat ab hoc loco, nec in vicinia Pontis Canturini, qui a Rugia ſubtus labente nomen obtinet, locum ullum ſuperſtitem invenio, qui cum prædicto nomine conveniat.

diolani male ſucceſſerat, cum quo Comite dicta gens non potuit proſperare. Unde dictum Catonis potuit publicari

„ *Temporibus peccata latent, & tempore parent.*

Et ſic in caſu dicti Comitis potuit comprehendi. Nam univerſa Italia ipſum formidavit, & a ſcaranis (170) & inermibus peditibus indiſcrete ipſe Comes aſtutus exſtitit ſuffocatus. Mortuo autem miſerrime Comite Lando, doluerunt non modice Dominus Galeaz, Dominus Joannes de Pepulis, & certi de Curia Mediolani, & imo Anglicorum Caporales, pro eo quod de concordio cum eis ineundo tractabatur. Sed omni mundo miſeria. Unde veridice dicitur: *Divinæ quidem res perfectiſſimæ ſunt. Humani vero generis conditio ſemper in infinitum decurrit; & nihil eſt quo ſub ea ſtare perpetuo poſſit.* Quid enim dicto Comiti mortali profuit nobilitas, potentia, formoſitas, induſtria, probitas, rapinæ, quum uno motu a peditibus, non advertendo, & ſic incaute, exſtitit perforatus, & cadaver effectus?

Eo autem tempore in Civitate Novariæ erant Ambaſciatores Piſani, qui cum Anglicis ipſis agebant de eos conducendo ad ſtipendia, pro eo quod Civitas Piſarum valde a Florentinis vexabatur. Mortuo dicto Comite, brevi concluſum fuit concordium, de quo ſupra tetigimus. Quo completo præfatus Dominus Albaret cum ipſa Anglicorum comitiva, quæ conſtabat ex tribus mille, Terram Aronam (ex permiſſione Domini Galeatii, qui dictum accordium procuraverat) profectus eſt, dimiſſo totaliter Romagnano & Caſtro Sanctæ Fidei (171). Paucis ab hinc diebus Medio-

Qq

(170) Scarani, vide Notam 157.

(171) *Caſtrum Sanctæ Fidei* Romaniani Oppido imminebat antiquo; ejus ruinæ etiam in præſenti conſpicuæ ſunt, in Colle, ad dexteram, ab Agamio Romanianum euntibus. Romanianum vetus ſitum erat ad Meridiem præ-

diolano tranſivit, & inde concomitante Domino Joanne de Pepulis, ut habeunti tutior eſſet tranſitus, prope Placentiam, ſuperato Pado flumine, Pontenurum applicuit, ubi univerſa illa multitudo pernoctavit. Et in Placentia armis & equis ſe refecerunt, multis denariis ibi ex Mediolano miſſis. Piſas demum pervenerunt, ibi auxiliantibus Piſanis multa enormia adverſus Florentinos patrarunt, populando & capiendo. Quum itaque maledicti Anglici abiiſſent, præfatus Dominus Mediolani dirui fecit Arces Mediimerici, Sanctæ Fidei, & Burgi Romagnani (172), in quibus ſe ſe incluſerant dicti hoſtes ſeu latrones; ſtuduitque recuperare (duce ac ſeu Capitaneo Generali Domino Luchino de Verme, viro miræ induſtriæ) Terras, quas amiſerat in diſtrictibus Papienſi & Terdonenſi. Quambrevi recuperatis Villa, Caſali, Vulpeglino, Vulpedo, & Monleali, exercitum miſit contra Bremide, ubi campum firmavit, effoſſis duobus vallis circum circa; tantamque adhibuit cuſtodiam, caſtris etiam firmatis, ut nulli ingreſſus ſeu egreſſus daretur. Sex machinæ erectæ ſunt, quibus Oppidum die noctuque malleabant. Propter quæ dicta Terra habuit ſe cum Domino Mediolani concordare, & cedere Marchioni. Eadem ratione & arte illico exercitus obſedit Salas, quæ etiam invite & brevi neceſſe habuit concordare cum Domino Mediolani. Igitur exercitus receptis Salis per dedi-

tio-

præſentanei Oppidi, ubi nunc ſupereſt Eccleſia Divo Martino dicata. Rudera hujus Caſtri hodie poſſidentur partim a Domino Georgio Torniello J. C. C. Novariæ, partim a Domino Marchione Joſeph de Abdua, Patritio Mediolanenſi, Viro plurium Scientiarum eruditione, ac in rebus tam publicis, quam privatis gerendis prudentia non minus, quam ſanguinis nobilitate, claro; Hæc indicare placuit, ut Caſtri Sanctæ Fidei, Novarienſi Provinciæ quondam Fatalis locus, apud Poſteros facilius reperiri poſſit.

(172) His Arces eodem anno 1363. ſtatim poſt anglorum diſceſſum, deſtructas fuiſſe, veroſimile eſt.

tionem, Garlaſchum die XX. Octobris adoritur, erectiſque machinis, campoque firmato, Oppidum laceſſire incœpit. Hoc apparatu & rebus Domini Mediolanenſis proſperis territa Oppida Sanctus Antonius, Nibiolum, & Burgoprium, quæ cum Viqueria rebellaverant, ſe ſe eidem Domino reſtituere curaverunt. Tot tamen bellici apparatus ac obſidiones ſine infinitis diſpendiis tam Laicorum quam Clericorum diſtrictualium & ſubditorum fieri non potuerunt. De extorſionibus in hujuſmodi expenſas exigendo patratis non ſcribo, quia infinita poſſent cumulari. Attamen & Placentiæ, ubi pecunia reperta eſt, & Novariæ, ubi Cives & diſtrictuales ſunt penitus deſtructi, infinita ſunt extorta. Obſeſſi autem in Garlaſco nec viribus nec victualibus carentes, & de machinis XVII. eos quatientibus non curantes, ſe ſe conſtantiſſime tuebantur. Sed verentes de tapponorum, & ſubterraneorum cuniculorum vi per obſidentes tentanda in muros interiores, ac verentes ne ulteriori defenſione privarentur, deditionem præfato Domino Luchino de Verme obtulerunt, ad id aſſentientibus Gibellinis forenſibus intrinſécis, paucis Guelphis, qui adverſabantur, è pago pulſis. Pactis firmatis, ſed nondum utrimque completis, gens Domini Mediolanenſis Terram intravit, nullatenus caſtra cuſtodiens, quum plurima Garlaſchinorum gens, & præcipue ille Rolandus de Camero principalis proditor, ſub noctis taciturnitate fugam arripuiſſet, paucis ibidem relictis. Quare quum diluxiſſet, quotquot in Oppido & Arce tam terrigenæ quam forenſes inventi ſunt, juſſu Domini Mediolanenſis capiuntur, & die Sancti Stephani Protomartyris, ſcilicet XXVI. Decembris, quinque Garlaſchini, inter quos unus Presbyter dicebatur, in oppoſitum ſuarum domuum fuerunt pedibus, ſuſpenſi, & vitam finierunt, quorum unus dicitur in hujuſmodi ſupplicio vixiſſe horis XXXIV. Duo autem, quorum alter de Horta diſtrictus Novariæ, laqueo ea die ibidem fuere per

gulam ſuſpenſi. Triginta duo foreſterii una cum eorum Capitaneo, & aliquibus ipſius Terræ parvulis ad carceres Papienſes traducuntur, ibidem macerandi. Demum Terra militibus populabundis tradita prædata fuit, & combuſta: mœnia cum Arce ſolo æquantur. Hiſce peractis Crida facta fuit, ut volentes ibi habitare de novo poſſent redire.

Hæc deteſtanda & ſub tam infelici belli caſu duraverunt uſque ad diem XXVII. Januarii MCCCLXIV. (173) qua die reverendiſſimus Pater & Dominus Andreas Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, quum Mediolanum acceſſiſſet veniendo per partes Marchionis antedicti, inter ipſum & Dominum Galeaz & ſequaces pacem pronuntiavit. Cujus cauſſa Dominus Galeaz in Terris ſuis edidit Literas inſequentes: *Galeaz Vicecomes Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis. Reverentia pii, juſtique Patris Reverendiſſimi Domini conſanguinei noſtri Domini Andreæ divina providentia titulo Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati, cum Domino Marchione Montisferrati, inter quem & nos diutius guerra viguit, ſicut ſcitis & noſtis, nuper ad pacem & concordiam nos induxit. Ipſe quidem his diebus ad partes Lombardiæ occaſione ſuæ legationis accedens, & tranſitum faciens per partes & terras Domini Marchionis prædicti, tractatum dictæ pacis cum præfato Domino Marchione inchoavit inſtanter; & inde Mediolanum applicans, noſque ad pacem prædictam ſuis ſuaſionibus venerandis exhortans, vocatis in Civitate noſtra prædi-*

cta

(173) Tali anno, nempe 1364., inter Marchionem Montisferrati, & Galeatium Vicecomitem, firmatam fuiſſe pacem, evincitur etiam ex Inſtrumento, ut vocant permutationis, inter ipſos ſecuto Papiæ, die 19. Novembris dicto anno 1364., pro nonnullis Caſtris, quæ Marchio poſſidebat in Territorio Papienſi, inter quæ nominabatur Viqueria, contra alia loca in Pedemontio ſita. Expletum vero fuit in domo illorum de Aſtulphis a Gulielmo de Grazano dicto Bogeri, Imperiali Notario. Vide Benvenuti de Sancto Georgio, Hiſtor. Montisferrati R. I. T. XXIII. col. 550. D.

cta Ambaſciatoribus ejuſdem Marchionis poſt longum tractatum hinc inde habitum inter præfatum Dominum Marchionem & nos, die Sabbati XXVII. Januarii pacem publice promulgavit. Nos enim ob ſinceræ devotionis affectum, quo eumdem Reverendiſſimum Dominum conſanguineum noſtrum proſequimur, & propter commune bonum veſtrum, aliorumque fidelium ſubditorum noſtrorum commodum & utile, quod cuicumque affectui noſtro præferimus, præfati Reverendiſſimi Domini conſanguinei noſtri acquievimus voluntati. Mandantes vobis, quatenus pacem ipſam ſervetis & faciatis inviolabiliter obſervari, pacem eamdem juxta formam incluſam facientes in locis debitis proclamari. Et hoc notificetis omnibus Terris diſtrictus veſtri, in quibus cognoveritis expedire. Datum Mediolani die XXVIII. Januarii (174). A tergo: *Nobilibus Viris Poteſtati, Capitaneo, Sapientibus, & Communi Civitatis noſtræ Placentiæ*. Quæ literæ cum introcluſis in Placentia, ubi tunc temporis pro Judice victualium Nobilis Viri Domini Antonini Tornielli Poteſtatis Placentiæ permanebam, fuerunt lectæ & publicatæ. Hac pace icta reſides perfidi Anglici, qui ſub ſtipendiis præfati Domini Marchionis remanſerant, combuſta Terra Præcipiani Terdonenſis diſtrictus, quam Domino Abbati Præcipiani ſubtraxerant, & occupaverant, per Placentiam tranſeuntes, ſe ſe tranſtulerunt ad partes Piſarum, ubi cum aliis perfide ſe ſe agentibus Civitatem ipſam & loca propinqua, faciendo guerram Florentinis, populationibus & violentia confundunt. A pace vero prædicta, & per ſcripturam affixam ad plateam Communis Papiæ, excluſi fuerunt octo Viquerienſes in ea nominati, unus Papienſis, ſcilicet Dominus Ubertus Guaſconus Juriſperitus, & alter Lombardus, nempe Dominus Luchinus junior, ſeu Novellus, filius Dominæ Iſabellæ de Fliſco & magnifici Domini Luchini Viceco-

(174) Anno nempe 1364., ut prius dixerat.

comitis Domini Mediolani. Anno præſenti MCCCLXIV. præfatus Dominus a ſuo propoſito & incœptis contra Civitatem Novariæ non recedit. Nam ultra deſtructionem Civitatis & diſtrictus, ab ejuſdem Clero binas taleas exegit. Primam nempe propter expenſas Ambaſciatorum, quos in Gallia mittebat ob mortem Regis Francorum, alteram vero propter inſtructionem ſeu fornimentum Caſtri Papiæ pro lectis & pannis lectorum ibidem neceſſariis. Sed poteſt dici, quod Laici eas taleas penſitarunt propter impotentiam & inopiam Clericorum. Etenim neceſſarium fuit eas a colonis exigere, licet ii eodem anno aliud graviſſimum & importabile onus ſuſtinuiſſent. Quoniam præfatus Dominus habere voluit pro conſtruendo Caſtro Papiæ univerſos Magiſtros carpentarios, & fornaxarios Novarienſes, ita ut Novariæ & in ejus diſtrictu unicus laterculus ſeu petra coacta non remanſerit. Item operas tam de Civitate quam de diſtrictu ſingulis menſibus cambiavit; eoſque tota æſtate & autumno tenuit cum infinitis diſpendiis Parochiarum, Nobilium, & Terrarum. Et cauſa fuit, quia unicuique laboratorum dabantur denarii XVIII. & a Civibus vel Diſtrictualibus erogabantur ſoldi V. vel ultra. Sed illud fuit durius, quod ſcilicet prædictis durantibus, & non obſtantibus, Dominus Galeaz tenuit Bertolottum Confalonerium de Placentia Domicellum ſuum pro diruendis Terris & fortiliciis univerſis diſtrictus Novarienſis, cum ſalario ſoldorum XX. in die, perſolvendo a locis, ubi permanebat. Qui cum aliis ducentis operis diſtrictui indictis, & cum expenſis infinitis, univerſa loca, excepto Burgomaynerio, laceravit & vituperavit, incipiendo a Burgo Oiegio, a quo poſt explanationem ipſius voluit habere Florenos quatuor mille quingentos, & a Carpignano quingentos. Adverſus hæc graviſſima & importabilia nullus Novarienſium auſus eſt loqui. Quibus durantibus, & de menſe Auguſto dicti Anni venit tam in planitiem, quam in Montes Oſolæ,

Val-

Valliſintraſchæ, Valcemeniæ, & Valliſſeſitis, tanta multitudo locuſtarum, quæ pluribus in locis univerſa blada, herbas, folia, & virentia voravit. Quarum locuſtarum acies declinante Sole ſe levabat, adeo quod numquam tanta multitudo nivis viſa fuit tempore hyemali ſuper facie terræ, quanta quantitas earum videbatur in aere, tendentes ſemper una via. Ac tamdem in pluribus locis viſæ fuerunt ſub Meridie in tanta quantitate, quod Sol offuſcabatur, & facies ejus erat cooperta. Multa & quidem incredibilia dicta fuere de hac colluvie, de quibus taceo. Erant ea animalia capite craſſo, collo craſſiori, & coloris viridis, volatu validiſſima. Et in diſtrictu Novarienſi perdurarunt uſque ad menſem Octobris (175), ceteraſque Lombardiæ regiones dicuntur afflixiſſe.

(175) Annales Mediolanenſes R. I. T. XVI. col. 740. D. hanc Locuſtarum illuviem ad annum 1368. referunt, quibus circa rem, & tempus conſentit etiam Chronicon Placentinum R. I. T. XVI. col. 510. B.

Lacinia Petri Azarii, a Benvenuto de Sancto Georgio in Hiſtoriam Montisferrati illata R. I. T. XXIII. 559., quæ in Codice a Muratorio edito, deerat, hic ſuo loco reſtituta.

„ CUM infinito diſpendio curavit D. Galeaz, in matri-
„ monium copulare Illuſtri D. Leonetto Duci Clarentiæ filio D. Regis Anglicorum Illuſtrem D. Violant filiam
„ ſuam; & ipſa dotata de univerſis Terris, quas tenuit,
„ & tenet in partibus Pedemontium, & florenorum centum millibus. Idem D. Leonettus eamdem matrimonio
„ acceptavit; & ipſo Duce vento Mediolanum, eam duxit
„ in uxorem (176), & demum reverſus eſt cum ejus comitiva Anglicorum, in partibus Pedemontium, dimiſſa
„ ipſa D. Violant in Papia; nec umquam prædictus D.
„ Leonettus, prædictis peractis Papiam redivit, ſed parva
„ mo-

(176) Matrimonium Violantis Vicecomitis cum Leonetto, ſeu ut alii vocant Leonello Duce Clarentiæ, filio Regis Angliæ, celebratum fuiſſe Mediolani die quinta menſis Junii anno 1368., aſſerunt Annales Mediolanenſes, R. I. T. XVI. col. 738., eximiamque pompam, & apparatum quo hæc ſolennitas celebrata fuit, fuſius deſcribunt; Corius etiam ad hunc annum, has nuptias iiſdem fere verbis narrat, epulas etiam hac occaſione datas, ac comenſales, ambo præcitati Scriptores enumerant. Leonellum vero poſt paucos dies, cum ad Albam ſe contuliſſet, gravi ſuperveniente morbo, ante prædicti menſis exitum, ibi extinctum fuiſſe, dicunt. Azarius Papiæ delato ibi Cadavere ſepultum fuiſſe tradit, ſed Annales præcitati col. 740. D. ejus Cadaver in Angliam translatum affirmant. De harum Nuptiarum magnificentia, vide etiam Chronicon Mantuanum Bonamentis Aliprandi, Antiquit. Italic. Muratorii T. V. col. 1187. B. annum tamen diverſum aſſignat, diverſa, uſus, annum incipiendi methodo.

„ mora in Pedemontio protracta, Albam reverſus, diem „ clauſit extremum. De cujus morte, prædictus D. Galeaz, „ ac univerſi Lombardi valde doluerunt, & ipſo mortuo „ in Papia portato, Papiæ traditus fuit ſepulturæ. Quibus „ honorifice peractis Magnificus Dominus prænomine Diſ-„ penſerius Anglicus cum aliis Anglicis in partibus illis „ repertis, Civitatem Albæ, Claraſcum, & alias Pede-„ montium Terras, quas potuit, curavit nomine Angli-„ corum cuſtodire, & in Albam ſe recipiens, Terras ip-„ ſas, præmiſſo Domino Galeaz reſtituere denegavit. Un-„ de orto ſcandalo inter utroſque, & guerra in partibus „ illis incepta. D. Azinus Caymus, & Jacobus de Verme, „ cum gentibus Domini Mediolani magnis, in partibus „ illis exiſtentibus, in quodam conflictu proditorie capti „ ab ipſis Anglicis, magna damna in perſonis, ſunt per-„ peſſi, & in Albam deducti captivi, cum magna redem-„ ptione, relaxati ſunt, & ipſi Anglici propterea facti „ duriores. Poſteaque viribus reaſſumptis prædictus D. Ga-„ leaz D. Marchionem Franciſcum (177), multis Proceri-„ bus ſociatum, & multa gente D. Bernabovis ejus fratris, „ pro reſſiſtendo prædictis Anglicis, tranſmiſit; & treugua „ firmata, prædictus Marchio Franciſcus, infirmus Papiam „ redivit; Et de pace tractatum fuit, inter prædictum D. „ Galeaz, & Deſpenſerium, qui propterea Papiam perſo-„ naliter venit. Et D. Marchio Montisferrati miſſis per „ partes utraſque Ambaſciatoribus, ſolemniter ad prædicta „ electus eſt, ſed non profuit, immo diſcors receſſit. Di-„ citur enim, quod præcipua cauſa hujus præſentis diſcor-

 „ diæ

(177) Marchionem Franciſcum forte *Eſtenſem*, is enim erat Nepos Marchionis Obizonis Eſtenſis, a quo Ferraria expulſus, Mediolanum confugerat, ubi Vicecomitibus, quorum conſanguineus erat, valde acceptus, permanebat.

„ diæ fuit hæc. Nam vento D. Carolo Imperatore in Ci-
„ vitatem Piſarum, D. Marchio Montisferrati ad eum ac-
„ ceſſit magnifice aſſociatus, & mora protracta requiſivit
„ de univerſo Monteferrato reinveſtiri ab Imperio. Qui
„ Marchio, nullum ex Dominis de Cocconato, majoribus
„ Montisferrati, ſecum duxit. Ex quo nobilis Vir D. Bo-
„ nifacius de Cocconato, qui cum aliis andatis Marchio-
„ nis, ſolitus erat eſſe potior, cum aliquibus ad prædi-
„ ctum D. Imperatorem ibidem acceſſit, ubi invenit, dato
„ privilegio, jam fuiſſe prædicto D. Marchioni, ultra or-
„ dines obligatum. Et ideo expoſuit D. Imperatori, quod
„ domus de Cocconato volebat contradicere præfato Mar-
„ chioni; & multis coram Imperatore dictis, & aliis Re-
„ ctoribus, ipſe D. Imperator, conceſſionem Dominis de
„ Cocconato; lacerato privilegio, revocavit. Receſſo au-
„ tem Imperatore in partibus Alamanniæ; propter mala
„ præcedentia, cœperunt nova ſcandala ſuſcitari inter præ-
„ dictum D. Marchionem, & D. Galeaz, maxime quia
„ ipſe Marchio vetavit, ne Civitas Albæ, & alia loca per
„ Anglicos occupata, ipſi D. Galeaz reſtituerentur; ſed
„ ipſos Anglicos ſub ſtipendiis ſuis eſſe, potius voluit, &
„ Diſpenſerium prædictum accepit. Et ſic diffidatis parti-
„ bus, de menſe Julii, & potius Auguſti, gens D. Galeaz,
„ cum auxilio D. Bernabovis ejus fratris, & D. Canis del-
„ la Scala, Terram D. Marchionis intravit depopulando,
„ quæ poterat, & damna intulit apud Alexandriam, Ter-
„ ris illis, in bladis, & vineis, qui exercitus parva victo-
„ ria obtenta, Terras dominio Marchionis, ultra Padum,
„ ſubjectas, læſis prout potuit, mutatis campis multipli-
„ citer, cum maxima victualium carentia; & de menſe
„ Octobris, ad Terras D. Galeaz, ſe recepit. Dictus au-
„ tem Marchio, magnas cavalcatas ordinans, Blandratum,
„ & Garlaſcum incendio cremavit, prædans infinitam
„ quantitatem, etiam in aliis diverſis locis, beſtiarum, &
„ de-

„ deducens; in quo exercitu Domini Mediolani, defecit „ virtus, & perſona D. Luchini de Verme, olim Capita- „ nei ſui. Cum infinitis tamen ſubditorum expenſis, & in- „ numerabili exercitu equeſtri, & pedeſtri, tempore veris, „ Marchionis Terras, citra Padum, & prope Padum, „ factis vaſtis, Magnificus D. Galeaz potenter inſiluit. Et „ habito concordio cum Comitibus Cabaliacæ, Caſtra „ eorum, & alia quæ potuerunt, ipſi D. Galeaz tradide- „ runt, recuſantes ire in confinibus requiſitis per ipſum „ D. Marchionem.

„ Quibus peractis, firmata obſidione circa Valentiam, „ Terram ipſam intravit, pacifice ſibi datam, gens Do- „ mini Mediolani, cum Caſtro Montis, ibi propinquo (178). „ Et deinde dictus exercitus, circa Terram Caſalis, cam- „ pum firmavit adeo, quod circumcirca, dicta Terra, „ foſſis & ſepibus concluſa extitit in tantum, quod nullus „ de Terra ipſa poterat exire, nec intrare, etiam poten- „ tia navium per Padum navigantium in Sicidam, cum „ victualibus copioſe, & demum die decimo quarto No- „ vembris (179) MCCCLXX., per impotentiam, & de- „ fectum victualium, extitit per exercitum prædicti D. „ Mediolani, præmunita (180); factis Baſtitis circum Ca-

 ſtrum „

(178) Galeatium Vicecomitem Valentiæ Dominium obtinuiſſe, menſe Septembris, anno 1370., docent Annales Mediol. ſupra citati col. 742. E., & Corius ad hunc annum.

(179) Annales Mediol. menſe Decembris hoc factum dicunt, ſed cum Benvenutus de Sancto Georgio, Caſalis deditionem, lacinia ex Azario deſſumpta referat, nihil in ea corrigens, Azario magis quam prædictis Annalibus, habendam in hac re, fidem eſſe, credo.

(180) Caſale Sancti Evaſii, Marchionum Montisferrati Sedes, poſt duram obſidionem, Galeatii Vicecomitis ſubiiſſe jugum, anno 1370. tradunt, præter nuper citati Annales, Benvenutus de Sancto Georgio in Hiſtor. Montisfer. R. I. T. XXIII. col. 561. B., qui etiam pacta conventa pro deditione, ex Codice Statutorum ejuſdem loci extracta, recenſet.

„ ſtrum, & Rocham dictæ Terræ, quæ per ſpatium unius „ menſis ulterius duraverunt; quæ Terræ dicto anno ful- „ citæ, victualibus copioſe, dominio præfati D. Galeaz, „ ſunt ſubjectæ.

CAP. XV.

Canis Grandis de la Scala.

CAnis de la Scala Veronenſis & Vicarius Imperialis, ſeu diu Imperialis vir, multa ſuo tempore in Italia geſſit, & plures Civitates Lombardiæ & Marchiæ Tarviſinæ dominio ſuo ſubjecit, & tempore Domini Matthæi I. Vicecomitis floruit, & tempore Domini Galeatii plurimum floruit. Et dici poteſt, ſeu magis debet nuncupari Dominus Canis de la Scala Senior ad differentiam aliorum juvenum ſucceſſorum ſuorum, qui propter famam ſuam nominantur Canis, ſed variato pronomine. Ceterorum Italicorum liberalitatem in expendendo ſuperavit, continuo Curiam ſuam prodigaliter tenens; proviſiones infinitas Proceribus tam Italis quam Theutonicis dabat; adeo ut in Italia nullus Principum ſimilis fuerit, neque Curia, nec proviſiones coæquales. Et ſic procedendo & augendo ſemper ſtatum Veronæ & Vicentiæ Civitatum, primo & ab antiquo per ipſum & ſuos tentarum & poſſeſſarum, multas alias Civitates propter potentiam ſuam nactus eſt. Et de nobilitate ſua factæ ſunt infinitæ Cantilenæ. Unum autem poteſt concludi, quod filium legitimum non habuit. Quos autem extra matrimonium ſuſcepit, omni ſtudio educavit ac inſtituit, & in cognoſcendo pulcherrimas mulieres dicitur, quod alios exceſſerit. Suo ſtudio acquiſivit Civitatem Tarviſii & Patavii. Quibus acquiſitis, periit (181) juxta

(181) Patavii potitus eſt Canis Scaliger, die 3. Septembris, Anni 1328.

juxta Prophetiam Merlini Philoſophi; & moriturus ſtatuit ſibi heredes univerſales Dominos Albertum & Maſtinum nepotes ſuos de la Scala, quos ab adoleſcentia fecerat educari & moribus perpoliri, eiſque commendavit unum ſuum ſpurium. Ambo fuerunt magnanimi corde, & præſertim Maſtinus, amboque prodigi in expendendo, præcipue Albertus. Ambo ſtatum Veronæ magnanimiter ampliarunt, ita ut ſi fortuna ſuis principiis arriſiſſet, potentiores in Italia emicuiſſent, quum univerſi Primates Itali amicitias eorum procurarent. Præterea acquiſiverunt dominia Civitatum Brixiæ, Parmæ, & Lucæ, Feltri, Cividalis, & Belluni in capite Forojulii. Et de dictis Civitatibus titulum habuerunt, tanta ſtipendia dantes, ut univerſa Italia curaret cum ipſis magnificis Dominis confœderari. Unum autem horrendum fecit prædictus Dominus Maſtinus in acquirendo Brixiam ei datam pro parte Bruſatorum, & aliorum complicum Guelphorum. Et fuit, annuere & permittere, quod ipſi Guelphi pro libito proprio in ea Civitate & diſtrictu voluntatem, etiam impune, exercerent in havere & perſonis Gibellinorum ac ipſorum ſequacium. Et quum prædicti duo fratres pro dominio illius Civitatis habendo (prout habuerunt) intraſſent inſtructi ac firmati omnibus eorum viribus, Guelphi cœperunt invadere Gibellinos. Hæc videns Dominus Albertus, reſiſtebat pro laceſſitis. Et allegantibus Guelphis, quod ea patrabantur permiſſu Domini Maſtini (& verum erat) ipſe Albertus tunc abiit Brixia dicendo, ſe utpote Gibellinum nolle occidi, ſi omnes

1328. Vide Hiſtor. Cortuſiorum lib. 4., & R. I. T. XII. col. 846. B., Tarviſium vero occupavit die 18. Julii, Anno 1329., Vide præcitatam Hiſtoriam col. 850. C., alioſque ejus ævi Scriptores. Mortuus autem eſt poſt brevem trium dierum infirmitatem hora 6. diei 22. Julii, Anno dicto 1329., Vide Hiſtoriam præcitatam col. 851. A.

omnes Gibellini debebant occidi. Et Veronam ſubito rediit. De hoc receſſu multum doluit Dominus Maſtinus, qui de dicta permiſſione fuit multum improbatus per univerſos Gibellinos Italicos. Nec deinde proſpere ei ſucceſſit. Immo quum curaret Civitatem Venetiarum ſubmittere, male res ei contigit per ea, quæ dicentur. Quum autem Dominus Albertus ſtaret in Padua pro Domino, habebat amicitiam cum Domino Marſilio de Carraria, & cum aliis de eadem gente de Carraria habebat etiam affinitatem. Nam uxor Domini Maſtini eſt ex illis Dominis, & ex ea Dominus Maſtinus ſuſceperat tres filios, ſcilicet Canem Canem, Canem Signorem, & Canem Alboinum, nec non duas filias, videlicet Dominam Reginam uxorem Domini Barnabovis, de qua multa pulchra ſuperius dicta ſunt, & Dominam Virdam uxorem Marchionis Nicolai Eſtenſis Domini Civitatum Ferrariæ & Mutinæ, & pro quo matrimonio multa mala illata ſunt præfato Domino Barnabovi, ut ſuperius eſt dictum. Et ſic propter amicitiam illorum de Carraria dicti Domini de la Scala non faciebant in Padua, niſi ut decernebat Dominus Marſilius & reliqui de Domo ſua. Qui una die dederunt ordinem, tractatu facto in Padua, de rapiendo ipſis de la Scala Civitatem ipſam . . . . tamquam majoribus Civitatis & Guelphis. Et ſic ſine bello præfatus Dominus Marſilius dominium ipſius Civitatis acquiſivit, & Dominum Albertum cepit, captumque perſonaliter detinuit diu, & donec cum maximis diſpendiis extitit dimiſſus. Prædicti autem duo fratres de la Scala nati erant ex una Domina Dominorum de Corrigio de Parma, ſorore quondam Domini Azzonis de Corrigio, qui tot mala & cautelas geſſit in Lombardia, & ſine cujus conſilio prædicti de la Scala nil faciebant. Qui Dominus Azzo cum aliis de Domo ſua dedit ordinem, quod una die Civitatem Parmæ tractatu celebrato habuit, & ipſius dominium acquiſivit. Domus namque de Corrigio erat tertia ex potentioribus

bus partis Guelphæ Parmenſis. Et ſic ipſam Civitatem tenuit, quouſque Dominus Luchinus Vicecomes Corrigienſes violenter expulit, & dominium illius Civitatis acquiſivit.

Etiam Piſani in Tuſcia moverunt quæſtionem contra Civitatem Lucæ poſſeſſam per ipſos de la Scala, & in obſidionem ipſius Civitatis circumcirca ſe poſuerunt; nec umquam in Lombardia, aut Tuſcia, Civitas eſt tam fortiter obſeſſa, quantum fuit illa. Quoniam Piſani fecerunt circum circa duas foſſas cum duobus palancatis ſuper ipſis, intra quæ exercitus Piſanorum morabatur, adeo firmata, ut neque avibus pateret ingreſſus ad Civitatem neque egreſſus. Hanc obſidionem decreverant Piſani, quia præfatus Dominus Maſtinus inter cetera gravia, quæ patrarat, Civitatem Lucenſem vendiderat Florentinis, de conſenſu tamen & placito Lucenſium. Qui tamquam protinus Guelphi nullo modo patiebantur ſubjici Piſanis tamquam Gibellinis. Qua de cauſſa, ope & opere Domini Maſtini Florentini miſerunt infinitas gentes ſtipendiarias pro ſolvenda obſidione, quam patiebantur, & pro vaſtando agro Piſano. Sed prædictæ gentes, quamvis infinitæ, nec Civitatem ingredi, nec obſidionem turbare valuerunt. In Piſanorum obſidentium auxilium Dominus Luchinus Vicecomes, contradicentibus Florentinis & Domino Maſtino, miſit Joannem de Olegio cum D. bonis barbutis de ſuis, & aliis conſcriptis pecunia Piſanorum. Durum ibidem fuit commiſſum prœlium, in quo Piſani obtinuerunt, & Dominus Johannes de Olegio paſſus eſt naſi inciſionem ictu ſpatæ, & captus fuit per inimicos. Tandem Piſani in eorum principiis indurati, & perſeverantes contra voluntatem Florentinorum, & Domini Maſtini, Civitatem expugnarunt, & ipſam tenent (182). Gibellini interea, qui e Brixia evaſerant,

(182) Die 6. Julii Anno 1342. Piſani, Lucenſis Urbis Dominium obtinuerunt.

ſerant, ægrum animum gerentes contra Dominum Maſtinum, de quo primitus conſiderant, non ceſſabant ordiri telam, per quam Dominus Maſtinus ipſius Civitatis Brixiæ dominium amitteret; rebuſque apte ordinatis & diſpoſitis, diſtrictum Brixienſem invaſerunt cum gentibus Domini Azzonis Vicecomitis, & brevi Civitatem obtinuerunt (183), expulſis gentibus Domini Maſtini (& forma quidem turpi) quam deinde Civitatem Domini Vicecomites tenuerunt & de præſenti tenent. Contra eoſdemmet Dominos de la Scala etiam Commune Venetiarum ſe poſuit, & Dominum Petrum Rubeum de Parma in Capitaneum Generalem gentium ſuarum conſtituit. Qui Capitaneus, cui dudum in Italia par non fuit in ſenſu & ſtrenuitate, cum ſeptem millibus barbutis per violentiam illis de la Scala non ſolum Civitatem Tarviſii, verum etiam univerſum dominium ademit. Quibus propterea Scalenſibus ſatis fuit potuiſſe conſervare ſolummodo Veronam & Vicentiam, dimiſſis ceteris omnibus eorum Civitatibus. Sed poſt mortem Domini Alberti cœpit Dominus Maſtinus vitioſe dominari, & pacem ſemper coluit cum Venetis. Quorum prædictus Capitaneus Petrus Rubeus in hoſtilibus congreſſibus & inter dimicandum occubuerat. Pacem etiam cum Domino Mediolani conſequutus eſt, & immo etiam cum Domino Ludovico tunc Imperatore, a quo filiam ſuam nomine Imperatricem habuit in nurum, ſcilicet uxorem Domini Canis primogeniti, ex qua eſt nata unica proles, ſcilicet fœmina. Confovit etiam immenſam pacem cum Eccleſia Romana. Et hiſce ſic deductis Dominus Maſtinus mortuus eſt (184), relictis prædictis tribus Canibus filiis ſuis, quos in-

(183) Hoc factum fuit, die 8. Octobris Anni 1337. Vide quæ dixi Nota XXXXV.

(184) Die ſcilicet 3. Junii, Anno 1351. Vide Chronicon Eſtenſe R. I. T. XV. col. 464. E., alioſque.

inſtituit heredes. Quorum major natu cœpit regnare in prædictis duabus Civitatibus, & adeo potenter, ut magnanimus reputaretur in Lombardia. Habebat Frignanum fratrem naturalem multa facundia pollentem, probum, & expertum, & inter nobiles gratioſum. Qui quamvis de legitimo thoro natus non eſſet, tamen virtutibus inſtructus erat, & uxoratus. Magnanimiter regendo (185) non curabat de fratribus, minuſque de iſto Frignano, neque de proviſionatis. Nam uſque ad illum diem nullus Italus fuit, qui tot adeoque pulchras proviſiones dediſſet, ſicut præceſſores de la Scala. Et ita quum vitam obiiſſet Dominus Maſtinus, defuerunt & ceſſarunt proviſiones, novam Curiam ſibi eligente Domino Cane. In Civitate Veronæ curavit Caſtrum exſtruere, quod nondum factum fuerat tempore ſuorum majorum, cœpitque curiam publicam non tenere, quam alii præceſſores tenuerant; dictumque fratrem naturalem & reliquos, alterum adoleſcentem, alterum puerum, male tractare, curans tamen de meretricibus, & de ſenſu ſuo. Sed hæc non æquo animo ferens dictus Frignanus, tamquam expertus, nec placide ferentes multi Curiales antiqui, ita geſſere, ut quadam die, participantibus Dominis de Mantua, qui ſemper fuerant ſtimulus Domini Maſtini in diſcordia, præfatus Dominus Frignanus cum ſequacibus ſuis (Cane extra Veronam exiſtente) miſſiſque ſtipendiariis, qui ei reditum prohiberent, dominium Veronæ intercepit (186), & eadem hora (tantæ

(185) Deeſt Canis major, etiam vulgo Canis major vel magnus dictus.

(186) Cum Canis major, in Germaniam equitaſſet, pro militia congreganda, relictis Veronæ Rectoribus, Azone de Corrigio, & Frignano Fratre ſuo Naturali, hic conjuratione facta, cum Dominis Mantuæ, & Veronæ, Dominium uſurpavit. Sed reverſo paullo poſt, ex Germania, Cane, Carrarenſium auxiliis Urbem agreſſus, mirabili pene eventu, ipſam ingreditur, ac ſuo iterum ſubjicit dominio. Frignanus incaſſum fugam;

enim ſuit induſtriæ & ſagacitatis) plura Caſtra obtinuit in territorio Veronenſi. Suſceptis itaque pluribus de Gonzaga de Mantua, & cum conſilio ſibi faventium, cœpit prodigaliter regere.

At quum Civitas ita circumduceretur in contemtum, Reverendus Vir Dominus Joannes Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus, curans ampliare ditionem ſuam, & audiens Veronam ſic duci in litigium, miſit ad eam Civitatem Dominum Barnabovem cum D. Barbutis. Qui tamen nihil geſſit. Dicitur tamen, ſe reſpexiſſe affinitatem, & recuſaſſe experiri viriliter de viribus ſuis. Alii ferunt, auſum non fuiſſe ingredi, quum nemo Veronenſium illi adhæſiſſet, & nullus illorum in litigiis inter Scalenſes deſciſcat ab eis. Et ita Dominum Barnabovem, quum prævideret ſe remanſurum ſolum & ſine ſequacibus, auſum non fuiſſe intrare nomine Dominico, præſertim quum neuter dictorum duorum fratrum, quamvis unus eſſet naturalis, & alter legitimus, adhærere voluerit. Recedens ergo Dominus Barnabos, ſe recepit in Brixia, & diverſimode varieque ſentiendi & ratiocinandi materiam ſuppeditavit. Ego tamen ſentio, illum prudenter ſe geſſiſſe tum propter matrimonium contractum, quam per ſubſequentia, licet dicatur fuiſſe redargutus & reprehenſus. Frignanus itaque, dum Veronæ dominaretur, ſerviebat aliis duobus fratribus ſuis, quantum poterat. Honorabat Dominam matrem ipſorum, & Dominam Imperatricem uxorem Domini Canis. In Verona ſtatuit Officiales pro libito, alios ejuſdem Domini Canis removendo. Populus tamen Veronenſis prædicta moleſte ferebat, videns iſtos Dominos de Mantua ultra ſolitum converſari in Verona, timenſque ne eo-

Navicula tentans, in Atheſim cadit, ibique armorum pondere ad ima deductus, ſuffocatur, poſt uſurpationem dominii, die nona, Anno 1354. Vide Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 939. D., Hiſtor. Parmenſis Fragmenta T. prædicto col. 748. E., & alios.

eorum machinationibus dominium Civitatis occuparent. Nec mirum, quoniam Veronenſes & Mantuani facti ſunt rurſus inimici capitales. Interea præfatus Dominus Canis in Vicentia ſtans, ſic dolenter imploravit auxilium a Domino Marchione Brandeburgenſi legitimo fratre uxoris ſuæ, potentiſſimo, & pacifice poſſidente Civitatem Tridenti. Et juxta petita impetravit. Quibus auxiliis fretus Dominus Canis, ac dicens ſe viſurum, quinam ipſi prohibiturus eſſet regreſſum ad domum ſuam, acceſſit armatus ad Veronam. Et non obſtantibus gentibus de novo per Dominum Frignanum acquiſitis pro illius Civitatis cuſtodia, Suburbium Sancti Petri intravit ſine moleſtia, quum nulla prorſus offenſio mutua fuerit inter eum & ſuburbanos. In Civitatem ingreſſus eſt per fluvium Atheſim, eamdem per Civitatem defluentem, multis ſuorum præmiſſis per foramen aquæductus, quum fluvius eſſet valde depreſſus. Reſtiturus ac obſtiturus Dominus Frignanus, tamquam generoſus & probus, & cum bona ſocietate ſe digne exercens, multa præclara facinora edidit de perſona ſua. Quod ſi alii ſibi adhærentes virtutem illius fuiſſent imitati, certe Dominus Canis minime intraſſet, quum aliqui & præcipue Optimates timentes de perſona & ingreſſu Domini Canis, potius fugam ad extremas partes, quam Civitatis defenſionem quæſiviſſent. Male igitur Domino Frignano ac aliis, & præcipue Civibus cum eo exiſtentibus evenit. Nam ipſe Dominus Frignanus poſt multa ſtrenue geſta hoſtes amplius repellere & ſuſtinere non valens, tum propter ipſorum multitudinem, tum propter Cives tunc Domino Cani faventes, interemtus fuit ſuper ejuſdem fluminis ripa multum occupata per utramque partem (187). Et magna fuit mutua clades, nec facilis fuit introitus. Immo multi intrando & pugnando perierunt ſubmerſi in flumine, quod propterea ob cruorem rubeſcebat. Demum Dominus Canis

(187) Vide quæ dixi Nota præcedente.

vix ingreſſus, illico omnes Frignani ſocios furcis ſuſpendi fecit, tamquam impios proditores, furcis etiam ſuſpenſo nudo cadavere Frignani. Alboinum etiam de la Scala naturalem una cum aliis triginta quatuor in tribus vicibus fecit ſuſpendi. Qui Alboinus per alia & iſta certe non fuit indignus ſuſpendio, quum ipſe tempore Domini Maſtini propria manu jugulaſſet Dominum Epiſcopum Veronenſem affinem ſuum, & ex illis de la Scala, & ſic propter mala ſequentia de primo defectu corporaliter exſtitit punitus. Nam Cato:

„ *Temporibus peccata latent, & tempore parent.*

Iſte Alboinus fuit ſecundus germanus in linea præfati Domini Canis interfectoris ſui.

Hiſce peractis Dominus Canis cœpit cautius ſe cuſtodire. Sed nihil profuit. Caſtrum erexit in Verona fortiſſimum, in quo Uxorem cum univerſo ſervitio tenebat, & ipſemet ut plurimum habitabat, & continue dormiebat. Ejus autem Mater una cum ceteris filiis morabatur in antiquis Palatiis ipſorum de la Scala ſitis ad plateam, ſed ſatis obſcure. Nam idem Dominus Canis tyrannizans, non curabat de ea, nec de fratribus, nec multum de Conjuge, quamvis valde formoſa, deditus duabus meretricibus, quas extra Caſtrum noctu inviſebat. Unicam filiam ex conjugio ſuſcepit, ſed nullum maſculum. Plures autem ſpurios habebat, & ſolummodo in ipſis delectabatur. Et quum adoleviſſent, curavit ut pecunia, quam Venetiis habebat, iiſdem ſpuriis adſcriberetur, & in eorum manibus a ſtipendiariis ſuis præſtaretur ſacramentum fidelitatis. Ceteri duo fratres ab eo peſſime habiti, & in ætatem capacem provecti (præſertim Canis Signorius) de hujuſmodi rebus dolebant, & verentes de morte propter præmiſſa, conſuluerunt propriæ ſaluti, ſtatuendo ipſum interficere. Habebant ipſi duo fratres unicum famulum ſibi fidum. Equitabant ſoli, vel cum ſolo prædicto famulo, quum nullus Civium aut forenſium auderet eos ſociare. Etiam Dominus

minus Maſtinus equitabat, & aliquando cum unico ſocio, & ſine enſe, præſertim quum aliquam ex amaſiis inviſurus erat. Prædicti autem fratres concordaverant inter ſe ſe illum occidere, quandocumque ipſum inveniſſent ſolum. Et ea hora cœperunt equitare ſimul in locis, in quibus Dominus Canis converſabatur, luxuriandi cauſſa. Canis igitur una cum ſocio fit obviam fratribus, quibus aliquid dixit de dicto ſamulo, & alio de Malaſpina equitantibus. Quibus auditis dictus Canſignorius reſpondit: *Per Corpus Domini cum tua ſuperbia non evades*. Et ſe revolventes ſimul, ipſe Canſignorius procedens Dominum Canem inſequutus eſt, & non valens effugere, quia uno motu prædicta fuerunt, cum enſe ipſum in capite vulneravit. Cujus ictu Dominus Canis cecidit ab equo tam graviter vulneratus. Nec ſocius ſuus auſus fuit quidquam committere contra Canemſignorium, ſic improbe contra fratrem ſe gerentem. Cœpit dictus Canis ſic vulneratus effugere, ſed non potuit, quia ipſe frater, & alii duo in medio ipſum includentes penitus occiderunt (188). Et exinde eo mortuo cum alio fratre parvo cucurrit ad plateam, ubi morabantur. Univerſi Cives proſilierunt ad arma, ſed non multum curantes de nece Domini Canis, qui tam ſuperbe & auſtere contra Cives, Fratres, Matrem, & Uxorem ſe geſſerat, ſtatim Canemſignorium & Canem Albuinum ad dominium Civitatis provehunt. Etenim Populus Veronenſis de nullo alio Domino umquam curavit, quum ibi unicus de la Scala vixit. Itaque dicti duo fratres cœperunt ſine ulla moleſtia dominari Veronæ & Vicentiæ, ac egerunt de ducendo in uxorem Dominam cognatam viduam, prævia Pontificia diſpenſatione. Sed vidua rejecit hujuſmodi nuptias, & Veronæ permanſit, donec per præfatum inclytum

(188) Obiit Canis die 14. Decembris, Anno 1359., occiſus a Franciſco Cane Signorio, ejus fratre. Vide Hiſtor. Cortuſiorum R. I. T. XII. col. 940. D., alioſque.

tum Marchionem fratrem ſuum accita rediit in patriam cum maximis expenſis ipſorum Cognatorum, qui ſummo ſtudio ipſam honorare curaverunt, timentes impetum tanti Domini Marchionis, quem volunt in amicitiam, ſi poſſunt, conſervare. Nupſerunt autem hoc Anno MCCCLXII. reliquam Sororem in Ferraria, ut eſt dictum, cujus matrimonii cauſſa ſe confœderarunt cum Eccleſia, & Domino Regii, contra Dominum Barnabovem eorum Cognatum implacabili odio ſe gerentes. Quid autem faciant, alio tempore poterit deſcribi. Aliud horrendum accidit etiam in Civitate Mantuæ, ubi Dominus Ugolinus Gonzaga ibidem Dominus a duobus ſuis fratribus (de quibus confidebat) ad ipſius lectum juxta eorum morem accedentibus confoditur (189). Interfectores dominium Mantuæ occuparunt, & tenent pacifice. Quæ cauſa fuerit tanti ſceleris ignoratur. Conjectari fas eſt, quod propter crudelia ipſius geſta multimode, Deus tantum facinus procedere permiſerit. Unum autem de prædictis poteſt dici, quod illud felix principium poteſt dici, cujus exitus felix fuit.

CAP. XVI.

Joannes Marchio Montis-ferrati.

JOannes Marchio Montis-ferrati, natus Domini Theodori olim Græcorum Imperatoris, ſororem habuit nuptam Illuſtri Principi Domino Aimoni Comiti Sabaudiæ, quæ fuit mater Aimi nunc Comitis, & Blancæ conjugis Domini Galeazii Vicecomitis. A ſuis Illuſtris Principis nomine nuncupari meruit, & imperialis Vicarius generalis. Strenuus eſt, probus, ſapiens, moderati animi, formoſus, & inquietus. Terras omnes vel amiſſas, vel venditas, vel oppi-

(189) Hoc facinus perpetratum eſt hora quarta noctis, ſequentis diem 13. Octobris, Anni 1362. Vide Chronicon Eſtenſe R. I. T. XV. col. 485. D., Vide Chronicon Placentinum R. I. T. XVI. col. 603. D.

oppigneratas per quondam genitorem ſuum, qui nullius fuit virtutis, redemit vel pretio, vel virtute bellica uſque ad unam, nempe Gaſanam. Nil umquam de ſua ditione amiſit, immo poſtquam ipſe, licet viribus impar, bellum indixiſſet Domino Mediolani, multa acquiſivit, & contra voluntatem ejuſdem Domini detinet. Primo uxorem ſenem duxit, ſororem Domini Cardinalis de Conunzi, quam adhuc puellam pater ejus ſpoponderat, & propter divitias eam ſicut juvenem honoravit & coluit ſemper, nullique alii mulieri ſe umquam immiſcuiſſe dicitur. Secundo autem nupſit nepti illuſtris Regis Aragonum, filiæ ſcilicet Regis Majoricarum, fœminæ quidem ſatis pulchræ, ex qua Reginam ſuſcepiſſe dicitur. Poſt autem diffidationem factam Vicecomitibus, ſe ita geſſerat circa recuperationem Terrarum ſuarum, ut Hector ipſi nullatenus prævaluerit. Nam ſemper bellum habuit cum Illuſtri Principe Achajæ in partibus Pedemontanis, & cum univerſis Guelphis Pedemontium, Aſtenſibus, Iporegienſibus, Canepitii, & Alexandrinis, intra quorum vires ipſius ditio includitur. Subditos ſuos, ſive Guelphos ſive Gibellinos, amavit & honoravit juxta ipſorum merita. Amavit ſemper Gibellinos Civitatum ſibi adhærentium, & præſertim Papiæ, Vercellarum, Iporegiæ, & Taurini, & Aquarum. Sed circa finem refriguit amor ob diſcordiam cum Domo de Beccaria & cum Canibus de Caſale, quorum unum, videlicet Franceſchellum Canem, capitis damnavit, alioſque e Caſali expulit, eorumque domos diruit. Pluries ſe armorum conflictui immiſcuit, in quibus ſemper obtinuit, & præcipue apud Gamaneriam, ubi prœlio ordinato, & cum amicis ſuis Seneſcalcum Regium de Domo illorum de Balzano, virum magnæ potentiæ & virtutis occidit, fuſa univerſa hoſtium acie, auxiliante univerſa parte Guelpha. Cui victoriæ multum contulit Nobilis Miles Dominus Otto de Brunſvich Teutonicus ejus affinis, probus & ſapiens. De quo plus quam de alio idem Dominus Joannes (& quidem me-

merito) confidit. Vindicavit Burgum Caluxinum in Canapicio, adverſante eodem Principe una cum Guelphis. Quæ Terra multum dominio ſuo nocebat, nec ſine maximis diſpendiis fuit acquiſita. Acquiſivit Valentiam contra voluntatem Guelphorum ipſius loci ac circumſtantium, illudque Oppidum tenet de præſenti cum ponte ſuper Padum, per quem intrant & exeunt omnes ſui, per quos turbat ſtatum Papiæ, Novariæ, & Mediolani. Recuperavit etiam Bremidem, quem continuo tenuit cum detrimento Dominorum Mediolani (190). Alia per ipſum Marchionem geſta jam ſuperius ſunt deſcripta.

Finalis Concluſio.

INdictione XV. MCCCLXII. circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni invenerunt me. Ego autem *Petrus Azarius* Notarius infraſcriptus, ſtans in agone, videnſque naviculam Petri remige carentem, & deſtitutam nauta, in alto pelago vacillare, & inter pericula lacerari, præcipue in partibus Italicis, & ſignanter Lombardiæ, propter defectum & abſentiam ſuorum Paſtorum, qui male cuſtodiunt gregem ſuum, nec lyram in uno ſono quærunt concordare; & tamquam deſperans habui dolores delinire, ut exinde conſequi valeam beneficium ſanitatis, & dolendo calamo addere, ut ſtimulus doloris & recreationis cauſa ſcribendo tolleretur. Sed non profuit, quum morbus chronicus medelis non curetur. Heu quot angoribus animus meus fuit excruciatus! Heu quot dolores corporis paſſus ſum propter nefanda, quæ audivi, vidi, & ſcripſi, & propter morbos cum peſte, ſimul ad unum concurrentia, & in

(190) Joannes Marchio Montisferrati, obiit poſtea Anno 1372., dies mortis, incerta, cadet tamen inter diem 14. Martii, qua ultimum Codicillum fecit, & diem 20. ejuſdem menſis, qua ejus Cadaver, a Fratribus Minoribus Sancti Franciſci de Clavaſio acceptum fuit. Vide Benvenutum de Sancto Georgio, R. I. T. XXIII. col. 586.

& in malo propoſito perſiſtentia! Tot malis nullum datum fuit remedium per præmiſſos malos Paſtores, nec per medicum, ut Lombardia ſaltem in male geſtis, incendiis, populationibus, cladibus, &c. data ſunt per medicum remedia ſanitatis pejora morbo, & in tantum quod humanum genus in Lombardia quaſi defecit & periit. Igitur ipſe ſtans Terdonæ in infraſcriptis Officiis, circumdatus fui mortis doloribus. Nam diſcedens Burgomaynerio, ubi caſualiter cum familia mea moram trahebam, poſitis pro diſceſſu calcaribus, vidi Ambroſinum filium meum annorum VII. vivum & mortuum. Et tunc cum tribus aliis, videlicet Philippo, Jacobo, & Joanne, natu majoribus, fugiendo evaſi morbum, dimiſſis domi Franciſchina conjuge mea, filia quondam Ardicini de Foſſato, & Antonia filia ætatis menſium quatuor, Catharina annorum trium, & Joanna agente annum nonum, quas non potui ſublevare. Evaſi quidem, ſed neſcius quo diverterem, quum de infectione dicti loci jam eſſet evulgatum, & Anglici prædicti permanerent in Terra Cavallii. Fugi cum quibus potui, & prædictas dimiſi cum gratia Jeſu Chriſti. Nec mora. Mihi in Terdona relatum eſt, uxorem meam, filiamque Catharinam periiſſe; aliam parvulam, aliamque grandiuſculam, omni carere ſubſidio & tutela. Quibus ſubvenire non audebam, nec poteram propter morbum, & propter ſcandala belli circa Civitatem Terdonæ ingruentis, in qua pericula Inferni invenerunt me, quia per literas abominabiles miſſas & receptas crucior timore, quum quater in hebdomada univerſa Civitas commota fuerit ab ea ſceleſtiſſima perditorum hominum Societate talia perpetrante, ut pluries ego ipſe, & quilibet Terdonenſis dubitaverit de perſona. Nulla igitur ibi quies, nullus ibi ordo, nulla annonæ copia, nulla veſtitus commoditas. Propterea nunc morari Terdonæ, eſt morari in Infernis. Sed recogitans, quod etiam atrociora, & horribiliora olim evenerunt teſtante Pſalmiſta, ut heic ſuperius eſt deſcriptum, cogitavi

 dole-

dolere cum dolentibus, & gaudere cum gaudentibus. Si qua autem in præmiſſis ſuperius ſcripta defectivà reperiuntur, ſuppleat manus corrigentis. MCCCLXII. Indictione XV. de menſe Novembris (191).

Ego autem Petrus Azarius filius quondam Domini
Jacobi, publica auctoritate Novarienſis Notarius,
dum eſſem in Civitate Terdonæ Judex ad Bancam
dicti Communis, nec non Cancellarius Nobilis
Viri Domini Joannis de Pirovano Civitatis Ter-
L. ✠. S. donæ honorabilis Poteſtatis pro Magnifico & Ex-
celſo Domino, Domino Galeatio Vicecomite Me-
diolani &c. Imperiali Vicario Generali, prædicta
diverſis temporibus geſta compilavi, ſcripſi, & in
teſtimonium præmiſſorum ſignum meum conſue-
tum appoſui. PE-

(191) Quamvis Hiſtoriæ ſuæ conſcribendæ, ultimam impoſuiſſe manum, Azarius ipſe teſtetur, anno 1362., plura tamen, quæ annis 1363., & 1364. poſtea evenerunt, ab eo ſcripta, ſeu adjecta fuiſſe, evidenter deducitur ex iis, quæ de Galeatio Vicecomite, prope finem Capitis XIV. tradit; uti etiam ex Epocha ab eo appoſita in fine ſequentis Opuſculi *de Bello Canepicii*, qua diem quartam Jauuarii anni 1363., indicat. Immo, ſi Benvenuto de Sancto Georgio, Authori omnium conſenſu, & docto, & cauto credendum eſt, Azarius Hiſtoriam ſuam, uſque ad finem Anni 1370., continuavit, uti ex ejuſdem Azarii Lacinia, a San Georgio in Montisferrati Hiſtoriam illata R. I. T. XXIII. col. 559. C., apparet, in qua Matrimonium Violantis Filiæ Galeatii Vicecomitis cum Leonello Duce Clarentiæ Filio Regis Angliæ, narrat; quæ Nuptiæ, anno 1368. celebratæ fuerunt, & Caſalis Sancti Evaſii conquiſitionem tradit, quæ Anno 1370., evenit; quam Laciniam, poſt Cap. XIV. jam ſupra dedimus. Azarii tamen Hiſtoriam, ultra id temporis non extendi, vel ex hoc apparet, quod Sangeorgius, qui eam frequenter, in antecedentibus citat, poſt hunc annum, nullam amplius de illa mentionem habeat. Ex prædictis vides, quantum nutet aſſertio Corii ad annum 1385., ubi tradit: *Scrive Pietro Azario Notajo Novareſe, ed in tai tempi vivendo, che nel tempo della preſa di Bernabò, il Pianeta di Saturno, Giupiter, e Marte, erano nella Caſa di Gemini*. Vide quæ dixi in Monito ad Lectorem.

PETRI AZARII JACOBI F.

DE BELLO CANEPICIANO

PRÆFATIO.

DIvinæ quidem res perfectiſſimæ ſunt, humani vero juris conditio in infinitum decurrit; ſed nihil eſt in ea, quod ſtare perpetuo poſſit. Cariſſimi, quia ſuperius dixi de ſtatu illarum Civitatum Lombardiæ, & quomodo propter errores, morbum, & ſcandala quaſi ſunt deſtructæ, nunc autem cogitavi deſcribere de ſtatu Canepicii, qui eſt Comitatus ſitus in Lombardia, cujus Canepicii Comites & Nobiles ſolebant liberi eſſe, & tempore pacifico nulli, præter quam Imperio, reſpondere. Nunc autem poſt eorum detrimenta neceſſario habuerunt fieri, & diverſimode, ſervi, & aliis dominis, propter deteſtanda inter ipſos commiſſa, penitus ſubjugari. Eſt enim Comitatus Canepicii ſimilis diſtrictui Novariæ, & modo hujus Comitatus diſtrictus Novariæ ante fabricationem Civitatis Novariæ procedebat. Nec ceſſaverunt Nobiles etiam illi, donec popularis ſtatus prædictos Nobiles etiam Comites uſurpavit. Et ut ſitus eorum magis patefiat, Burgorum, & Caſtrorum ſuorum nomina hic inferius declaravi.

Comitum Valpergæ.

Burgus Pontis cum Caſtro; Burgus Corgnate cum Caſtro Valpergæ; Salatia; Ripa-rubea cum Caſtro; Riparia cum duobus Caſtris; Barbania cum Caſtro; Caſtrum Riparoli; Silveſchium Caſtrum.

Comitum Blandrate

Sanctus Zorzius; Oirum Caſtrum; Caluxenum; Sanctus Belegnus; Ulpianum cum Caſtro; Brandicium Caſtrum; Burgus Sancti Georgii; Cucilium Caſtrum; Foglicium Caſtrum; Olzogna Caſtrum, Montalengum Caſtrum.

Comitum Sancti Martini

Gelarium Caſtrum; Fraxinetum; Caſtrum-novum cum valle; Caſtrum Montis; Agladium cum Caſtro; Malgratum Caſtrum; Fabrica Caſtrum; Caſtrum Frontis; Burgus Sancti Martini cum Caſtro; Lorenzate Caſtrum; Brozium, Caſtra plura cum valle; Strambinum Caſtrum; Sparronum Caſtrum.

Guiſchæ Caſtrum aliorum Dominorum.

Azelium Caſtrum aliorum Nobilium.

Comitum Maxini

Maxinum Caſtrum; Burgarum Burgus cum Caſtro; Maglonum Caſtrum; Veſtignate Villa; Septimum Rovearium.

Comitum Mazadii

Mazadium Caſtrum; Candea (*) Caſtrum; Caſtegnolum Caſtrum; Marzinaſchum Caſtrum; Rondizonum.

IN-

Nota unica Ludovici Antonii Muratorii.

(*) Supra in mea Præfatione ad Azarii Chronicon monueram, Opuſculum hoc antea editum fuiſſe Tomo II. Operis, inſcripti la *Galleria di Minerva*; qua autem fide ſit excipiendum, facile conferenti innoteſcet; nam ibi non immutatus tantum ſimplex ac rudis Azarii ſtilus, ſed etiam additamenta facta legenti occurrunt, quamquam perſonatus ille *Ambroſius de* *Roc-*

INCIPIT OPUSCULUM
DE BELLO CANEPICIANO.

EST autem Canepicium Comitatus diverſorum Comitum, ſitus in Auſtrali plaga Lombardiæ, carens Civitatibus, cui Comitatus Maxini unitur, Locis, Burgis, Caſtris, & Montibus valde fortibus ſuffultus, habens loca amœna, copioſa blado, vino, pratis, & aquæductibus aquarum ultra modum, in quibus maxima quantitas beſtiarum, & ferri habetur, pro eo quod montanas partes habet, & Alpibus ab uno latere includitur circumdantibus Lombardiam. Cui Comitatui cohæret a mane diſtrictus Vercellarum, a Meridie terræ Montis-Ferrati ſupra Padum; a ſero in parte terræ Pedemontium, & in parte terræ Illuſtris Principis Domini Comitis Sabaudiæ, & a monte dictæ Alpes, & aliæ poſſeſſæ per dictum Comitem, & Hiporegia Civitas cum Valle-Augusta ſpectantia de præſenti Domino Comiti Sabaudiæ ante-

---

Roccacontrata, hoc eſt ſub nomine iſto ſupra laudatus *Cotta*, ſe *Hiſtoriæ puritatem* religioſe ſervaturum pollicitus fuiſſet. Hoc tamen loco, inter cetera, animadvertendum eſt, quod *Candiæ* Caſtrum nobis exhibet pag. 402. *Natale ſolum Fratris Petri ex Ordine Minorum, olim apud Ticinenſes Theologiæ Profeſſoris, e parentibus Novarienſibus, & nunc (nempe anno* 1404.) *Archiepiſcopus Mediolani & Cardinalis*: Nimirum Cotta nihil antiquius habuit, quam ſibi ac aliis perſuadere, Alexandrum V. Pontificem Maximum, ipſum videlicet *Fratrem Petrum* modo memoratum, patria Novarienſem fuiſſe, & in Candia, Caſtro illius agri, natum, quod is *Petrus de Candia* appellatus ſæpe occurrat. An is vera tradiderit, non eſt hujus loci inquirere. Illud certe minime laudandum, ab eo in rem iſtam protruſum fuiſſe veluti teſtem ſynchronum, & amicum ejuſdem Petri, hominem, a quo is probe ſibi conſcius erat nihil tale unquam fuiſſe memoriæ proditum, ut heic ex ſincero Azarii textu dilucide apparet.

tedicto. Planiciem etiam, & Valles habet valde magnas. Sulcatur enim dictus Comitatus Canepicii duobus fluminibus continuis, aquarum multum copioſis, & præcipue tempore æſtivali; pro eo quod principia ſuſcipiunt in Alpibus antedictis. Unus quorum fluviorum dicitur Orcus, & alter Duria appellatur. Et ſicuti a principio dictum Canepicium ſemper diſcordiam habuit, & habet in partialitatis odio: Videlicet quia una pars Guelfa dicitur, & alia Gibellina; ſic & ipſi duo fluvii ex toto diſcordant in Comitatu illo; & eſt mirabile, cum in ipſa planitie unus multum non diſtet ab alio. Nam unus nomen maſculinum habuit, videlicet Orcus, procedens ex Valle Soana, & a partibus Provinciæ deſcendens, & multum in longum protendens, in quo magna quantitas auri colligitur, & grana tam groſſa reperiuntur, quod vidi granum eſſe valoris florenorum 16. Et ubi aqua labitur, ſeu in pratis herbas odoriferas, & in magna copia parat, ſeu in campis blada nutrit in immenſum. Vada pro tranſitu, quantumvis inundet, bona habet, & arenoſa, adeo quod diſcurrendo huc, & illuc procedit, tamquam homo dictus Orcus vulgari ſermone, qui vagando diſcurrit. Piſces habet excellentiſſimos, & in magna copia, & præcipue trutas, & temolos in quantitate valde groſſos. Alter vero nomen fœmineum habet, videlicet Duria, procedens ex Valle Auguſta; & principia dictus fluvius Duriæ trahit ab Alpibus frigidiſſimis, & ſemper copioſis multitudine glacierum: videlicet a Montanea Boxeni, quæ montanas partes Lombardiæ ſuperexcellit, & de qua nives & glacies numquam receſſerunt a principio Mundi. Qui malus mons in capite Vallis Sicidæ ſuper diſtrictu Novariæ, de qua dictum eſt ſupra, eſt conſtipatus, & ab ipſo principium trahit dictus fluvius Duriæ, deſcendens per partes Vallis dominorum de Perlo. Cum vero infuſionem aquarum ſuſcipit fluvius Duriæ ab Alpibus Montis Sancti Bernardi, qui reputatur locus inu-

tilis

tilis propter frigiditatem ſuam, quamvis & neceſſario propter iter a Lombardia eundo Avinionem dictus mons habitetur, ſic ſimul dicta duo canalia frigidiſſima Duriam conſtruunt, in qua nuſquam aurum reperitur. Sed procedens per Canepicium poſtquam ſaxa dimiſit ab Hiporegia Civitate ſuperius, & ab ipſa declive deſcendens, non auditur, arena ex toto carens; ita quod nullus ipſum fluvium durante Canepicio, quantumcumque aqua ſit depreſſa, tranſire audet ſine beneficio navis, in cujus litoribus infiniti tranſeundo perierunt, ſperantes, quod in tam modica aqua perire non valeant, & intrati carent omni beneficio ſubſidii. Non labitur in campo quin ipſum non deſtruat; & ſi in prato, deterius facit, quoniam herbam repertam urit, & deinde naſcuntur berbovacæ, quæ acutiſſimæ ſunt, & a nullis beſtiis comeduntur. Piſces durante Canepicio nullos habet, vel rariſſimos, & debiles: propter quæ nullus in ipſa piſcatur.

Fuit autem uno tempore ab Hiporegia Civitate inferius tota vallis illa in Montibus incluſa Lacu magno, univerſam illam planiciem comprehendente. Quæ Duria Lacu mixta exibat ſubtus Mazadium, & procedens Rondizonum, ubi die hodierna vadum arenoſum habet, & non ſupra, durante Canepicio. In foce tamen Mazadii labendo tantum concavavit dicta aqua Duriæ in Padum decurrens, & propter mollitiem fundamenti, quod facta cava exivit, & Lacus exſtitit deſiccatus; & hodie ſic remanſit, & arena dicti Lacus ubique laboratur, præterquam ab angulo ſuperiori, ubi Lacus Azebii, ſive Piveroni diſtrictus Vercellarum in parte inſulatus tamquam in loco profundiori remanſit, & eſt de præſenti bonas ſcardolas & tencas habens. Qui Lacus modicum rivulum facit ſub Azelio, & Duriam intrat apud Veſtignate. Alterum etiam Lacum dimiſit in angulo uno inferiori ſub Candea, Caſaglono, & Caluxeno, loco multum profundo, ubi dicta aqua nequivit deſiccari, ſed

in

in Lacu remanſit, faciens bonas ſcardolas, lucios, & tencas; & Lacus Candeæ hodie appellatur. Procedens ex ipſo Lacu parvulus rivulus in flumen Duriæ apud Mazadium exitum facit. Et iſta die hodierna manifeſte apparent, cum in Comitatu Maxini ſint parietes ipſius Portus Laci, conſtituti lapidibus, & calce, & annuli ferrei in ipſo pariete muri firmati ſint. Et etiam ſimiles parietes ſunt ſupra ripam locorum Veuroni, & Piveroni diſtrictus Vercellarum a parte Meridiei, & cum annulis ferreis, in quibus naves dicti Lacus homines, & alia tranſeuntes ligabant. Et iſta de materia ipſorum fluviorum ſufficiant.

Habitaverunt autem primo Canepicium duo genera, videlicet Comites de Blandrate, qui Caſtra, Burgos, & Villas Medii, & partis inferioris dicti Comitatus poſſederunt, quorum pars in principio hujus ſatis declaratur: & credo, quod propter aliquam ſucceſſionem muliebrem prædictam partem ex teſtamento aut ab inteſtato acquiſiverunt. Aliam vero partem majorem, nobiliorem, & altiorem habitavit Comes Canepicii, & ex ipſo duo filii proceſſerunt, qui duo fratres Canepicium, excepta parte ipſorum de Blandrate, pro medietate diviſerunt, uni quorum Caſtrum Sancti Martini cum dependentibus ſibi venit in diviſum. Alteri vero Caſtrum Valpergæ cum aliis ſuis dependentibus, quæ ſolo Imperio, & non aliis, ſubjacebant. Quid ultra? nec novum: invidia oritur inter pares; & inter iſtos, tamquam de paritate contendentes, Zizania orta eſt, & talis, quod hodierna die plus ſolito durat, & gravius deinceps perdurabit. Et non valentes prædicti fratres vota ipſorum percomplere, habens Caſtrum Sancti Martini, & reliqua, parti Guelfæ adhæſit; & habens Caſtrum Valpergæ Gibellinus fuit. Et ita die hodierna obſervant, ſe non tamquam Conſortes pertractando, ſed ac ſi una pars eſſet Chriſtiana, & alia Saracena, perſonaliter & realiter ſe perſequuntur & inimicitiis publicatis. Et

prop-

propter prædicta, & alia gravia deteſtanda, ubi liberi eſſe ſolebant, reducti ſunt ad ſervitutem, ut infra dicetur.

Qualia autem gravia inter ipſos Comites, & ſibi adhærentes, proceſſerint, longum eſſet enarrare, cum uni ex prædictis adhæſit Marchio Guilielminus Montisferrati (1), videlicet de Valperga, qui multum prædictos Comites de Sancto Martino depauperavit & vaſtavit. Ad quæ defendenda, & vetanda multum favit pars Tagliantum, & de Caſtria (2) cum ſequacibus ſuis, qui caput ſunt partis Guelfæ in Civitate Hiporegiæ, & Domini de Monzonvento, qui caput ſunt ejuſdem partis Guelfæ in Valle Auguſta, valde potentes in partibus illis, & ſimul colligati propter matrimonia & amicitias inter ipſos copulatas. Quibus etiam multum profuit amicitia Dominorum de Gonzaga de Mantua, pro eo quod Dominus Guido de Gonzaga (3) unam uxorem habuit ex Dominabus de Strambino prædicto a qua univerſi de Gonzaga, qui tempore præſenti Civitatibus Mantuæ & Regii dominantur, proceſſerunt. Domus ipſorum Comitum de Sancto Martino multum in perſonis multiplicavit, & in quadruplum alios conſortes in perſonis anteceſſit. Habebant alias amicitias ipſis contiguas,

V v vi-

(1) Guillelmus VI. Marchio Montisferrati obiit Theſſalonicæ in Macedonia, veneno extinctus, cum illuc pro recuperando, favore Fratris ſui Demetrii, Theſſaliæ Regno, proceſſiſſet. Hæc tamen jam evenerant anno 1225. Quapropter Azarium, hujus Marchionis mentionem habere, non alia de cauſſa credo, quam quia ejus tempore, plura in Canepicio Caſtra ipſi ſubjecta a finitimis Tyrannis occupata fuere, quod quidem Bello ab Azario deſcripto poſtea, quamvis ſero, occaſionem dedit. Vide Benvenuti de Sancto Georgio Hiſtoriam Montisferrati R. I. T. XXIII. col. 381.

(2) Apud San-Georgium, *Laſtria*, non *Caſtria* legitur, Amanuenſis errore; *Caſtria* enim, in Canepicio non eſt ſita.

(3) Guido Gonzaga, obiit anno 1369. Vide Bartolomei Sacchi, vulgo *Platina* dicti, Hiſtoriam Mantuæ R. I. T. XX. col. 751. E. Vide Chronicon Mantuanum, Antiquitatum Italicarum Muratorii T. V. col. 1195. A.

videlicet cum Epiſcopo Hiporegiæ, qui de Advocatis de Vercellis erat, & plura Caſtra habens, & in terra Montis Caprelli, quæ fortiſſima & potens eſt, & fortiſſimo Caſtro in fine Comitatus Maxini poſita cum Terra Ziglani, & Villa Ragla, quæ Terræ ſunt Epiſcopi Vercellenſis, & intra dicta confinia. Et pars Guelfa Pedemontium ipſis Comitibus Sancti Martini adhærebat, & præcipue Illuſtris Princeps Acayæ, & Pedemontium, qui propter ipſorum Comitum nobilitatem & potentiam ipſis multum favit, & favet de præſenti, quoniam in ipſis Comitibus viget multa nobilitas, induſtria, & potentia, & præcipue in Domino Martino ex dictis Comitibus, qui multa commiſit, ut infra dicetur, & a quo multa magnalia proceſſerunt, & magnus reputatur apud prædictum Dominum Comitem Sabaudiæ per ea, quæ inferius dicentur.

Adhærebat etiam prædictis Comitibus de Valperga univerſa domus Comitum de Blandrate Canepicii, & univerſi Comites de Maxino: quæ Domus in modicis nobilibus conſiſtit reſpectu aliorum conſortum, ſed ditiores ſunt ipſis, & divitias habent ultra modum. Quibus Domini de Solerio, & Burnati cum univerſis partis Gibellinæ Hiporegienſis Civitatis adhærebant, nec non Domini de Perlo, & de Quarto cum univerſa parte Gibellina Vallis Auguſtæ cum univerſa potentia Marchionis Montisferrati, quæ ipſos de Sancto Martino, ut potuit, ſemper oppreſſit; & ſic Marchio Saluciarum, & Gibellini Pedemontium partem illorum de Valperga & conſortum ſunt ſecuti. Dum autem nova odia inter prædictos conſortes haberent malos fructus parturire, quilibet ipſorum cogitavit potentiam & vires, necnon inimicitias in alterum exercere: Et cauſa potior fuit, quod prædicti de Sancto Martino, & ſequaces tanti ſunt, ut dixi, de perſonis, quod ſua ipſis non ſufficiunt; ſed volendo univerſi ducere vitam magnam, neceſſarium fuit, ut aliena raperent. Etiam favente dicto Principe mul-

ta commiſerant contra præſentem Marchionem Montisferrati propter debilitatem dicti quondam Theodori patris ſui (4) in capiendo Terras & Caſtra ipſorum Gibellinorum Canepicii, & præcipue Terras, & Caſtra communia, in quibus non permittebant aliquem Gibellinum nominari. Nec mirum erat, quia Gibellini ipſi cuſtodire faciebant dicta Caſtra communia per eorum familiares; & ſi Guelfi neceſſario habebant ſtare cum eorum perſonis, pro eo in Terris communibus faciebant Guelfi quæ volebant. Vacante autem Montisferrati Marchionatu propter mortem Marchionis Guilielmini proditorie mortui Alexandriæ (5), ſciverunt Guelfi cum Principe Pedemontium procurare, quod proditorie habuit per cambium ab uno Comite de Blandrate proditore Terram Caluxeni, in qua ſolus Guelfus tunc non erat. Qui Princeps ipſam Terram Caluxeni circum circa murare fecit, & tanta beneficia habitantibus in ipſa dedit & fecit, quod protinus Guelfi facti fuerunt; per quos tanta ſcandala ſunt ſecuta, quod longum eſſet enarrare. Sed de recuperatione ipſius Terræ ſuo tempore enarrabo. Fecerunt etiam, quod dictus Princeps Caſtrum Dominorum Valpergæ cum Terra Ripæ Rubeæ habuit, & abſtulit Dominis de Valperga, quorum erat, quam ſimili modo murare fecit circum circa, & die hodierna propter ſervitia dictus Princeps in ipſa Terra amicos habet; quamvis

(4) Theodorus I. Paleologus, Marchio Montisferrati, obiit anno 1338. Bellum igitur ab Azario deſcriptum, poſt illud tempus, inchoatum fuiſſe Vides.

(5) Guillelmus VII. Marchio Montisferrati, quem hic Guillelminum Azarius nominat, a Civibus Alexandriæ ejuſdem ſubditis captus anno 1290., & Carceri mancipatus fuit, in quo diem clauſit extremum die 6. Februarii, anno 1292. Vide Memoriale Guillielmi Venturæ Civis Aſtenſis R. I. T. XI. col. 168. & vide ibidem notam XX. Vide Ughellum Italiæ Sacræ T. IV. col. 636.

vis ipſam Terram Domini de Valperga recuperaverint, & teneant de præſenti. Quæ non valentes Domini de Valperga, & ſequaces tolerare, etiam conſilio Domini Fratris Joannis de Riparia Marchionis Anconitanæ Marchiæ pro Sancta Romana Eccleſia (quem vidi pulcriorem hominem aliquo viſo, & ſapientiorem, cujus virtute Eccleſia Romana dictam Marchiam Anconitanam recuperavit) cogitaverunt contra prædictos Comites Sancti Martini vindictam aſſumere. Et ſic dato ordine in expenſis, quas dicta Domus Valpergæ cum aliis Gibellinis Canepicii pro rata paterentur.

Anno autem currente MCCCXXXIX. (6) miſerunt Joannem Azarium patruum meum tunc Poteſtatem Corgnatæ, & aliarum Terrarum Canepicii ipſis Dominis de Valperga ſubpoſitarum, Mediolanum, ubi ex ſtipendiariis ventis cum Domino Lodrixio Vicecomite a Verona Legnanum (de quibus dictum eſt ſupra) accepit barbutas tercentum, & Malerbam cum ipſis cum firma menſium ſex proximorum firmavit pro faciendo guerram in Canepicio contra Domum Comitum Sancti Martini, & ipſorum ſequaces. Quæ gens pulcra fuit, & tota Theutonica. Quibus Dominum Nicolam de Medicis de Mediolano in ipſorum ducem & Capitaneum decreverunt. Annuit prædictæ ſcriptioni præfatus Dominus Azo Vicecomes, ut dicta Civitas Mediolani quam citius ipſis Æmulis privaretur. Et ſic parva mora interpoſita cum prædicto Capitaneo eorum verſus Canepicium equitavit. Et primo in Canepicio tranſita Duria ad locum Guiſcarum devenerunt. Eſt enim Locus & Caſtrum Guiſcarum in Canepicio, nec Domini hi ſunt de Comitibus ipſis, qualitercumque antiquitus dictum Caſtrum ac-

(6) Vide quæ dixi ſuperius Nota LVI., circa finem; ibique videbis hoc, anno 1339. eveniſſe.

acquiſiverint; ſed ſunt confœderati, & amici cari Dominorum Comitum Sancti Martini, & pro ipſis multa damna ſunt perpeſſi. Quæ gens cum ibi fuit, Villam, & Terram ipſam ceperunt, rubaverunt, & cremaverunt, Caſtrum finaliter expugnantes. Sed quia dictum Caſtrum muris excelſis eſt coronatum, intrare minime potuerunt, ſed univerſa extra muros taliaverunt, proſtraverunt, & diruerunt. Et deinde dicta gens tranſactis pluribus diebus intravit Rivarolum. Eſt enim Rivarolus Terra Communis, in qua erant duo Caſtra, videlicet Caſtrum Malgrati cum Turri rotunda apud ipſam Terram conſtructum, poſtquam Dominus Martinus de Agladio, potentia premiſſi Principis, muros circa Caluxenum, & Ripam Rubeam fabricavit. Aliud in Terra ipſa erat Caſtrum antiquum, poſſeſſum per complices Dominorum de Valperga. Habitabant enim tunc Terram Rivaroli homines ſexcenti ad bellandum apti; & eſt in medio planiciei Canepicii apud Orcum conſtituta, quæ Terra victualibus, Zardinis, & aliis fructuoſis quaslibet Lombardiæ antecellit. Quod eſſet plena victualibus, non eſt dicendum; nam per prædictos nuſquam potuit evacuari. Domos autem omnium Guelforum exiſtentium in dicto loco diruerunt, & combuſſerunt, devaſtando quælibet mœnia exiſtentia extra Caſtrum Malgrati. Et ibi machinando Caſtrum diu ſteterunt; ſed ea vice ipſum minime habere potuerunt.

Deinde iverunt Montalengum; eſt enim Caſtrum Montalengum in eminentiori loco planiciei Canepicii conſtitutum, & ſub ipſo Burgus Sancti Zorzii in planicie conſtitutus apud Rivarolum, & ubi habitabant homines DCCC. armigeri; nec ullus de ipſo Burgo piſſare poterat, quin a Caſtro Montalengo videretur, quod Caſtrum erat unius pauperis Comitis de Sancto Martino. Ubi dum eſſent illi baliſtarii, & pedites de Sancto Zorzio, tamquam capitales inimici, cœperunt dictum Caſtrum, ſive ipſius exteriora

ra viriliter debellare: ex quo defenſores tam voluntarii exiverunt, quod mixto bello, intra Fortaliciam, cum voluerunt, ſe reducere nequiverunt; ſed retrocedentes perdiderunt aralia; & Gibellini Sancti Zorzii ſimul & ſemel Guelfos occidendo intraverunt. Et dictus nobilis ſenex cum paucis etiam vulneratis ſe recepit ſuper Turrim in ipſo Caſtro exiſtentem. Et ſtatim cum ipſis inimicis pacta celebravit, quod niſi tertia die ſequenti ſubſidium haberet tale, quod dictum exercitum poſſet removere, ipſis de Sancto Zorzio Fortalitiam ipſam traderet. Et eam tradidit, nec tempore præſenti ipſam recuperavit; Sed per Dominos de Sancto Zorzio ipſum Caſtrum cum magna cautela cuſtoditur. Et omnia, quæ in ipſo loco erant, ſubito fuerunt derobata.

Et ſic ipſo Caſtro capto Oirum devenerunt. Eſt enim Oirum Palatium unum maximum in maxima Fortalicia poſitum ſupra Montem, & apud Sanctum Zorzium cum infinitis expenſis fabricatum. Quod Caſtrum qualitercumque fuerit acquiſitum, non eſt de aliquo jam dictorum Comitum; cui vaſta dederunt, & minime habere potuerunt; ſed pacta celebraverunt, propter quæ pauperes facti ſunt, & Vaſſalli Domini Marchionis Montisferrati; nec deinde parti Gibellinæ offenderunt.

Deinde venerunt Speratonum, quod Caſtrum eſt Dominorum Comitum Sancti Martini apud Caluxenum ſuper monticello ſupra ripam Lacus Candeæ conſtitutum, & dure cum peditibus Mazarii prœliantes, ipſum ceperunt, & univerſos in ipſo repertos occiderunt, & muros diruerunt, in quo uſque nunc nemo habitavit. Deinde iverunt Sanctum Belegnum, & ibi, quia caret fortalicia, intraverunt: qui Locus eſt Domini Abbatis, copioſus in tantum victualibus, quod nuſquam potuit victualibus vacuari, & in quo CCCC. homines habitabant in infinitum copioſe. Deinde venerunt Favriam; eſt enim Favria Caſtrum in plani-

nicie conſtructum apud Rivarolum Dominorum de Sancto Martino; & Villam ipſam ceperunt, & robaverunt, & combuſſerunt, Caſtrumque ceperunt, ſed ipſum non diruerunt, pro eo quod erat Dominorum nepotum Domini Henrici de Valperga parvulorum, pro quibus Caſtrum conſervarunt.

Deinde venerunt Caſtrum Frontis, & extra Caſtrum omnia rapuerunt & deſtruxerunt. Caſtrum autem id habere non potuerunt, quia erat forte nimis, & loco eminenti apud Ripam rubeam conſtitutum. Deinde iverunt Varbaneam (7), & ibi concordium fecerunt, & tale, quod deinceps Terra ipſa partem Guelfam non reduxit. Deinde iverunt apud Terram Pontis, & ibi cum univerſis de Corgnate, quibus populus in Lombardia non eſt par, ubi Caſtrum unum erectum ſuper ſaxis ſuper flumine Orchi in principio Vallis Pontis, ubi tria Caſtra erant, videlicet unum Dominorum de Valperga cum Terra Pontis, & alia duo Guelforum Comitum Sancti Martini. Quæ Caſtra aſſidue machinis ſe lapidabant, quoniam in brevi ſpatio erant, & prope incluſa. Et tam viriliter & potenter ipſum expugnaverunt, quod in Caſſaro (8) artificialiter intraverunt, & deinde pactis initis univerſum habuerunt, dimiſſis eorum bonis; & ipſum ſubito, & cum infinitis laboribus diruerunt hi de Corgnate, excepta una ſcaglia turris, quæ ibi remanſit, quam nullo modo diruere potuerunt. Et ſic illa duo Caſtra remanſerunt, videlicet Caſtrum Thelarii, quod valde per Ferrandum ex Comitibus Sancti Martini, & ſuos exſtitit cuſtoditum, & Caſtrum Pontis, quod per Dominos de Valperga, ſeu eorum factores

(7) *Varbaneam*, legendum Credo, *Barbaniam*; ſic enim ſuperius in Catalogo locorum Canepicii, lego.

(8) Quid *Caſſari* nomine intelligendum ſit, jam dixi ſuperius Nota CXIX., relege, quæ ibi dicta ſunt.

res exſtitit mirabiliter cuſtoditum, machinando diu Caſtrum Thelarii Caſtrum Pontis, in quo Caſtro Thelarii ſemper machina ſtabat erecta. Quibus durantibus major Joannes de Valperga ex ipſis Comitibus, & dictus major ad differentiam alterius minoris Joannis, etiam Comitis in Valperga, cum magna peditum quantitate & baliſtariorum, Vallem Soanam, unde procedit dictus fluvius Orchi, intravit, quæ Vallis communis eſt ipſorum Comitum Sancti Martini & Valpergæ, & ſuo ſtudio curavit habere Caſtrum Perticæ in capite Vallis ſuperioris Soanæ mirabili caſu erectum, contra quod Caſtrum nihil poſſet excogitari, cum ſit ejus fabrica per milliare in ripa excelſa, & in medio rupis ſit introitus; & eſt turris tranſitum & introitum Caſtri habens, & cuſtodiens, per quam neceſſarium eſt tranſire; & cuſtodito introitu, cuſtoditum eſſet Caſtrum id, contra quod nihil poſſet machinari; ſed per conſequens cuſtodito tranſitu ſive introitu ipſius Caſtri Perticæ, nullus etiam poſſet exire. Et pro eo gens illius Vallis quæ vult ſalva, ea in dicto Caſtro reponit, cum ex cuſtodia quatuor virorum homines univerſi Mundi dictum Caſtrum Perticæ non intrarent; nec alia cautela poſſet haberi, cum taleata dictæ rupis deſcendat per milliare unum & ultra. Quo Caſtro capto, ſibi faventibus hominibus ſuis dictæ Vallis, dictum Caſtrum tamquam ſibi inutile ipſis hominibus commendavit. Et ſic deinceps homines Vaſſalli dictorum Comitum tam Guelphorum, quam Gibellinorum, ipſas Valles cœperunt tam caute cuſtodire, quod nullus ipſorum Dominorum, durante guerra, intravit; ſed annuatim ipſis Dominis, ut conſueverant, reſpondebant, & non ultra; propter quæ dictæ Valles a præſenti guerra deinceps exriterunt conſervatæ, & legales homines fuerunt alterutri Dominorum.

Poſt autem prædicta deteſtanda prædicti de Valperga cum univerſis peditibus partis Gibellinæ ſimul junctis, ruſcan-

cando arbores infinitas, ſicut nuces, & caſtaneas, quæ ibi erant in infinita quantitate, & taleando vineas fecerunt vaſta apud Caſtrum Montis, Agladium, Lorenzate, Caſtrum Sancti Martini; & talia fecerunt, quod in vita duorum ſimiles arbores creſcere non valebunt. Extra fortalicias quorum de Sancto Martino univerſæ domus, molendina, ferreriæ, & aliæ habitationes ſunt deſtructæ, & totaliter concrematæ. Sed quid profuit tantus exceſſus vicinis conſortibus ſuis factus? nihil; immo ad majora facienda vicinos ſuos incitavit, qui viribus undique adquiſitis curaverunt, & ſummo ſtudio, vindictas de perpetratis per alios facere, & a Dominis de Mantua, cum quibus, ut ſuperius eſt dictum, prædicti Comites Sancti Martini ſunt parentela copulati, barbutas centum impetraverunt. Alias autem barbutas C. ex illis tercentis per VI. menſes commoratis cum illis de Valperga, completa eorum firma, habere curaverunt, & habuerunt. Et alias barbutas C. tum per Domum ipſam, tum per eorum amicitias habere ſtuduerunt; quibus coadunatis de ſimilibus geſtis cœperunt adverſæ parti reſpondere. Et facto, ſeu miſſo Domino Sarraceno de Cremaſcis de Mantua Capitaneo ſuper ipſa guerra generali, per Mediolanum tranſiens a Mantua cum gentibus ipſis Canepicium intravit. Et primo divertit ad Terram Riparoli, in qua Terra de facili intraverunt, & dictum Caſtrum Riparoli cœperunt expugnare. Ipſum dico Dominorum Valpergæ ceperunt, & vaſtaverunt, & reliquas Gibellinorum domos in ipſa Terra dimiſſas; & ſic quidquid reſiduum invenerunt, rapuerunt. Deinde vaſta ſuper univerſis Terris Comitum abunde fecerunt, taliando, vaſtando, incendendo. Et ſic male peragendo Villam Salaziæ combuſſerunt, Villam quoque Caſtri Valpergæ robaverunt, & vaſtaverunt, & ad ipſum Caſtrum Valpergæ ſe dirigentes hi Theutonici, qui primitus ipſorum Dominorum ſtipendia habuerant, cum caute-

la fuerunt in actu dictum Caſtrum intrandi. Sed ſupervenientibus multis de Corgnate armatis tamquam militibus, prædictos Theutonicos reperierunt Montem Caſtri ab oppoſita parte aſcendiſſe, dantibus aliis prœlium a parte oppoſita, dictam Villam Valpergæ ſuppoſitam comburendo. In quos Theutonicos prædicti de Corgnate numero centum irruerunt; & cum eſſent ipſi Theutonici in arduo loco pedeſtres, cum lanceis & targhis impetum prædictorum de Corgnate a parte ſuperiori exiſtentium ſubſtinere non valentes, ſe in fugam poſuerunt. Quos inſequuti fuerunt prædicti de Corgnate ſternendo, taliando, & occidendo prædictos, ex quibus multi Theutonici remanſerunt mortui, & capti, & reliqui exiſtentes ab oppoſita parte in dicta Villa Valpergæ fugerunt, & ab inde receſſerunt ſub maximo diſpendio perſonarum. Quid ultra? diebus aliis continuatis Villam Pontis dicti de Sancto Martino combuſſerunt, & prædati fuerunt. Et Caſtellum Silveſchi a parte eorum, quod Caſtellum erat ceterorum Nobilium de Corgnate, Vaſſallorum dictorum de Valperga, ceperunt, & diu occupatum tenuerunt. Deinde prædicta gens tranſivit Duriam, multa vaſta ſuper Comitatu Maxini tam cum incendiis, & prædationibus, quam aliis male geſtis in ipſo Comitatu intulerunt, & præcipue in locis non fortibus.

Quibus peractis iverunt ad locum Marcinaſchi, & ibi Villam expugnantes irruerunt. Deinde Caſtrum expugnantes pacta cœperunt inire; quibus pacta agitantibus ab oppoſita parte ipſius Caſtri intraverunt, & Dominum Antonium juvenem valde probum crudeliter interfecerunt; prædaveruntque & ſpoliaverunt in ipſo Caſtro, & Villa univerſa. Et certe tempore illo nullus ipſorum Dominorum mortuus exſtitit, præter quam iſte; & cauſa erat, quia multum erat odio illis de Strambino, cum quibus confinabat. Cui Strambino per ſequentia male ſucceſſit, quamvis

vis ſit pro tertia parte Terra ipſa Dominorum Comitum de Maxino.

Durantibus autem prædictis cum Dominus Guidetus de Valperga cum ſola familia ſua iret (qui tamen erant Equites viginti duo) a Caſtro Valpergæ Ripam Rubeam, obviavit inimicis procedentibus a Caſtro Frontis in magna quantitate; nec fugere valens, captus fuit prædictus Dominus Guidetus, & poſt longam moram magnam redemtionem fecit. Et ſic prædicta gens Dominorum de Mantua cum Domino Saraceno eorum Capitaneo cœperunt recedere; & alii primi, ſive ex primis ſtipendiariis, qui venerunt a Mediolano etiam caſſi fuerunt. Et quia caſſi venerunt verſus Clavaxium pro conferendo cum Malerba, qui erat ſub ſtipendiis Domini Marchionis Montisferrati, qui reliquas duas partes ipſorum finita firma Dominorum de Valperga ceperat; & alia tertia pars, quæ eſt iſta, remanſerat ſub ſtipendiis Dominorum Comitum Sancti Martini; & hi tam primos, quam ipſos a Mediolano conduxerant: & pro eo iſti caſſi nunc appellati fuerunt, ſeu iſta tertia pars, proditores. Et dum recederent a partibus Clavazii, & centum ſuper Garglavara (9), & apud Salugiam, per gentes Dominorum de Valperga fuerunt capti, & derobati; ex quibus dictus Joannes Azarius Poteſtas Corgnate, qui ipſos ſequebatur, quinque ipſorum equos in ſua parte habuit, & plures captivos, qui ad ſuos pro nihilo dimiſſi fuerunt. Et tunc dictus Marchio Montisferrati (10) cum ſtipendiariis ſuis cœpit creſcere, & Canepicium totis viribus invadere MCCCLXII. (11) de menſe Junii. Intravitque

(9) Alibi *Garglavera*.

(10) Is erat Joannes nominis Secundus.

(11) Alibi lego 1363. Vide Laciniam Petri Azarii apud Sangeorgium R. I. T. XXIII. col. 467. E.

que dictus Joannes Marchio Montisferrati, qui jam potentia creverat, Canepicium cum barbutis trecentis tam ſtipendiariis, quam ex nobilibus ſibi ſubditis, & cum maxima quantitate baliſtariorum, & peditum, & magno carrigio cum multis vaſtatoribus, & ſuper campis Caluxeni, direxerunt greſſus ſuos. Eſt enim Caluxenum major & potentior Terra aliqua Canepicii, in planicie inter Duriam & Orcum conſtituta, quæ ſi uno anno blada recolligit, non expenderet in decem. Et circum circa ipſam Terram blada & vineas taliavit, & aliqua deduxit, & vaſta ſimilia fecerat ſuper ipſo terrirorio duobus annis præcedentibus, proponens dictus Marchio ex toto dictam Terram habere; quia multum Calvaſium & alias citra Padum offendebat. Vere autem prædicta facere poterat, quia cautius & voluntarie Caluxenum cuſtodiebant, nec in ipſa Terra erat aliquis, qui prædicti Marchionis non eſſet capitalis inimicus propter geſta. Et tunc cum gentibus ſuis equeſtribus, & pedeſtribus ivit Riparolum, & ibi diu ſtetit, & tam dure Caſtrum Malgrati machinis & aliis artificiis expugnavit, quod ipſum Caſtrum habuit, & fornivit, & ipſum de præſenti tenet. Deinde vaſta in bladis Agladii, & Caſtri Montis fecit, diruens reſiduum per primos relictum. Et procedens venit Strambinum. Eſt enim Strambinum ſupra Duriam in capite unius montis planiciem habens valde ſpatioſam ſupra Duriam, in qua multum bladi fit; & in qua Villa ſolebant homines DC. habitare, & bellare, adeo quod in Canepicio non erat Villa coæqualis. Et quamvis dicta Villa cum Caſtro eſſet pro tertia parte Dominorum de Maxino, illi de Sancto Martino omnia poſſidebant: ex quo nullus Gibellinus in ipſa fuiſſet repertus. Cui Terræ vaſta circumcirca fecit, & dum Terram ipſam viriliter dictus Marchio expugnaret, Dominus Marchio de Buſca major nobilis Marchionis mortuus in ipſa Terra fuit, & Dominus Otto de Brunſvich tunc juvenis graviter vulneratus.

tus. Doluit dictus Marchio de prædictis ad mortem, & quoſcumque in Strambino capiebat, neceſſarium fuit mori; & hodie ipſos perſequitur odio capitali. Cui Strambino extra Caſtrum non dimiſit domum, quam non proſterneret, aut combureret, ex quo ipſi de Strambino in havere & perſonis infinita damna ſunt perpeſſi.

Deinde dictus Marchio cum exercitu ſuo rediens Caſtrum Oiri acquiſivit, & Caſtrum Marziaſchi apud Strambinum per ipſos Guelfos, utſupra, diruptum, fecit relevari & fortificari, necnon habitari, & valde bene habitatur de præſenti. Et ad Terram Caluxeni iterato devenit, ubi invenit millium & panicum in magna quantitate fore poſt vaſta ſeminatum, & ibi decrevit ad obſidionem ipſius Terræ velle permanere. Et tunc pars univerſa Guelfa in Caluxeno tranſiit pro ipſum Caluxenum defendendo. Erant enim perſonaliter in ipſa Terra flos Nobilium partis Guelfæ, Canepicii, & Hyporegiæ, Dominus Martinus de Sancto Martino alios de domo ſuo ſenſu & potentia excedens, Bartholomæus de Strambino cum alio conſorte ſuo, Petrus de Laſtria ditior aliquo illarum partium, & plures de Taliantis. Quod prædicti Nobiles eſſent fulciti probis gentibus, non eſt dicendum; nam ibi nullus comeſtor erat, ſed viri electi, & ſic per ſequentia oſtenderunt. Nam audientes mirabilem animoſitatem partis utriuſque, facto conſilio inter ipſos tam nobiles tam probos in Caluxeno exiſtentes, aſſeruerunt, Marchionem cum gentibus ſuis extra Terram uno denario ſe non timere. Et non valentes ipſi intrinſeci animum ſuum refrenare, audiatis quod fecerunt. Nuſquam tam dure, tam dire pedeſtrim exſtitit expugnatum, & nullus in Caluxeno erat, qui armatus non eſſet ſicut Miles, & multi duabus coraciis erant præmuniti. Et tunc deliberati pontem volticium (12) ipſius Terræ de-

(12) *Volticii Pontis* deſcriptionem, vide ſuperius Nota CX.

depreſſerunt e parte, qua gens erat Marchionis. Eſt enim dicta porta ſubtus plateam dicti Loci via recta valde declivi, adeo quod unus a parte ſuperiori ſicut erant, duobus debuit prævalere, ab eademque parte dicta via erat magnis parietibus, & domibus cum lobiis præmunita. Videns autem dictus Marchio portam apertam, & pontem depreſſum, ſperavit aliquam Scaramuciam fieri per exeuntes, & nullus exibat. Et tunc univerſa ſua gente in unum reducta ſic dictus Marchio eſt allocutus: *o viri fortes, & dilecti mei, ad quid venimus in locum iſtum, niſi cauſa pugnæ, & ut Terram iſtam nobis diu inimicam capiamus? Nonne habemus mortem poſtponere, ut fortunam inſequamur? Non dubito, ubi velitis exercere vires veſtras, quin in ipſa victoriam obtineamus propter duo. Primum eſt, quod ipſi intrinſeci utuntur ſuperbia cervicoſa, ut videtis, quia porta aperta nos incitant, ut intremus. De cujus introitu, & victoriæ obtentu non habemus dubitare, cum nos juſtum bellum foveamus. Superbis enim Deus reſiſtit, & humiles exaltat. Secundum eſt, quod de introitu non habemus dubitare, cum diu univerſus populus hic fuerit Gibellinus, & ſciat contra jus dictam Terram pro parte Guelfa detineri: ex quo recordabuntur de priſtino ſtatu; & cum viderint nos intraſſe, nos non offendent, quibus pacem intrando promittemus. Aliis quoque ſtipendiariis pagam duplam pro menſe completo promittemus, aſſerendo, quod tanti Nobiles foraſterii & divites in ipſa ſunt, quod de redemtionibus eorumdem perpetuo ditabuntur.* Et his dictis in nomine Dei, & B. Zorzii ordinate & voluntarie cœperunt intrare, aſſerentes ſemper pontem per aliquos ex ipſis cuſtodiri. Et potenter intrantes via recta procedunt ad plateam, nam ſupra portam nullus remanſerat de Caluxeno, ut liberius Marchio cum gente ſua poſſet intrare. Et ſic intrantes, iſti Nobiles Guelfi, ut probiſſimi, armata manu deſcendentes, dimicant, forant, lacerant, & taliter, quod intrati neceſſario habuerunt retrocedere, & multi ex lapidibus projectis ab utroque late-

re

re dictæ viæ perierunt. Et certe Theutonici procedentes magnam potentiam, & virtutem oſtenderunt.

Cum autem retrocedendo Terram exiviſſet Marchio, ſic fatur: *Ab Viri fortes, Nobiles, & fratres mei, omittamus mortem, ut vindictam de noſtris mortuis ſuſcipiamus. Sine periculo modo intrare poſſumus, nam vidimus ſuos univerſos, & tertia pars noſtrum non intravit. Intremus audacter in nomine Summi Dei, & Beati Zorzii, dato quod porta & introitus nobis non denegatur.* Et tunc multis recentibus tunc præcedentibus fulcitis Papienſibus (*) (13) affaldatis tumultuoſe intraverunt; & plane procedentes apud plateam, neceſſarium fuit retrocedere impetum, & avantagium inimicorum ſuſtinere non valentes. Et tunc cum maximo detrimento perſonarum habuerunt ipſam Terram exire, quam intraverant. Nec propterea porta clauſa fuit. Tunc dictus Marchio vocatis ſuis, & reductis in unum, dixit: *Diu ne labe perpetua verecundiæ offuſcabimur, ſi porta Caluxeni aperta de ipſa Terra victoriam non obtineamus? Et quia dicitur, quod ars vires ſuperat, artem inſequamur. Nam cum intraverimus, pontem* (14) *baliſtariis noſtris fulciamus, & deinde aliqui via recta procedant, & alii a partibus laterariis aſcendent, ita quod in tribus partibus, & tribus aciebus Terram ipſam viriliter expugnemus. Quæ duæ acies ad plateam viis ſuperioribus procedant, & noſtri pedites cum laterariis vadant, & ignem immittent in domibus, a quibus in via mactamur; & majora cœnacula fulciant baliſtariis, & gentibus noſtris. Quæ ſi fient, non dubito, quin victoriam obtineamus.* Et tunc tertio intraverunt, & cum aliquantulum proceſſiſſent, pontem (15) cum turri-

(*) In manuſcripto brevioribus litteris ſuperadditur: *ideſt Paveſiis*.

(13) Papienſibus affaldatis, hoc eſt Faldis Papienſibus. Harum deſcriptionem, vide ſupra Nota CXXIV.

(14) Alibi lego, *Portam*.

(15) Lege ut ſupra *Portam*. Textus Benvenuti de Sancto Georgio dicit:

riono aſcenderunt, & ipſum fulciverunt (16) baliſtariis, & aliis habilibus ad defendendum portam ipſam; apud quam ab utroque latere intrati cœperunt aſcendere per vias muro collaterales, ubi nullam reſiſtentiam invenerunt, cum omnes vacarent ad pugnam primæ viæ. Et dum prædicti in multitudine intrati vias collaterales aſcendiſſent, cœperunt ignem in domibus ipſis emittere, cum domus ipſæ multas haberent paleas in ipſis propter vaſta primo in bladis ipſis facta. Et igne ab utraque parte viæ euntis, ut ſupra, ad plateam ſuccenſo, habuerunt ſtantes ſuper plateam in tribus aut pluribus locis ſuccurrere. Et tunc Marchio procedens via recta, & nullo nocuo reperto a lateribus, unde primitus confundebatur, plateam aſcendit, & tam potenter, quod nec ſibi, nec aliis prædicti defenſores reſiſtere valuerunt, potius propter multitudinem ignis in domibus ipſis convaleſcentis. Et tunc prædicti nobiles Guelfi feriti, & graviter oppreſſi, cum iis quibus potuerunt neceſſario habuerunt Caſtrum Caluxeni fortiſſimum intrare, & in ipſo ſe receperunt, qui potuerunt; ſed non ſic omnes, quin una magna pars ipſorum mortis calicem non potaret. Quibus durantibus Marchio cum gente ſua dominium Terræ Caluxeni acquiſivit parcendo ruſticis in ipſa habitantibus quantum potuit. Et tunc circum circa ipſum Caſtrum obſidionem firmavit, ſperans præmiſſos æmulos ſuos in caveam reduxiſſe. Et certe ſi die ſequenti in Caſtro expe-

---

cit: *Portam cum Turriono aſcenderunt, & ipſum fulcierunt*. Vide Sangeorgium R. I. T. XXIII. col. 470. B.

(16) Beneventus idem in Hiſtoria Montisferrati, de Bello Canepiciano ſermonem habens, Azarii Opuſculum de eo Bello, affert, ſed Acephalum, & apodem. Incipit enim hiſce Verbis: *Habitaverunt autem Canepicium*. Etc. Vide R. I. T. XXIII. col. 441. D., & finit hiſce: *Et tunc tertio intraverunt & cum aliquantulum proceſſiſſent, Portam cum Turriono aſcenderunt, & ipſam fulcierunt*. Vide Tomo prædicto col. 470. B.

pectaſſent, ibi fuiſſet finis eorum; ſed ſaniori potiti conſilio murum Rochæ a parte exteriori foraverunt, & ea nocte exiverunt, prædictis Marchionis (militibus) non perpendentibus, qui ſolummodo ad cuſtodiam portarum dicti Caſtri attendebant, & bene potati propter labores perceptos occaſione introitus, quibus omnibus ſatis fuit dormire. Mane autem ſequenti cogitans Marchio prædictos incluſos habere, audivit prædictos potentes Roccham exiviſſe muro fracto; & tunc pacta inivit cum illis in Rocha exiſtentibus, & quibus diſceſſus prædictorum non innotuit. Quibus pactis celebratis Rocham ſequenti die reſtituerunt præmiſſo Marchioni, & ipſam Roccham cum Terra ipſa gubernat de præſenti, non obſtante quod quarta pars dictæ Terræ de jure foret Domini Bartolini de Mazadio, cui nuſquam propter labores prædictos Marchio reſtituere voluit, ſed Domino Ottoni de Brunſvich ipſam Terram permiſit poſſidere. Et pro eo Dominus Bertolinus dedignatus ob deſtructionem Marchionis, Caſtra Caſtilionis, & Candeæ ibi adhærentia tradidit Domino Galeaz Vicecomiti, ut tranſitum proinde haberet in partibus Pedemontium Marchionem deſtruendo. Quæ duo Caſtra expenſis communibus Vercellas, & Novariam deſtruxerunt, ſtantibus in ipſis pro mali executoribus Fabrotino de Parma, qui ibidem morbo periit . . . . . . & facta nihil profuerunt, ut ſuperius eſt latius declaratum.

Antea autem quam captio Caluxeni foret facta, unus Nobilis nomine Petrus de Septimo Conſiliarius Domini Marchionis præfati, & cujus conſilio multum ſe gerebat, & homo dicti Marchionis, ſtando cum ipſo Domino Marchione tantum cautelæ adhibuit, quod Caſtrum Vulpiani Abbatis Sancti Belleni Ordinis Sancti Benedicti acquiſivit. Erat autem dictum Caſtrum in principio Canepicii ſuper planicie laborans, & in fine unius montis protenſi a Canepicio in partibus ultimis dicti montis ſitum habens, co-

ronatum muro excelſo, & merlato circum circa, a parte ſuperiori Turrim habens excelſam, ſuper quam Turrim Cuſtos continuus permanebat. Cogitavitque prædictus Petrus dictum Caſtrum habere, ſicut habuit, pro faciendo guerram in Pedemontibus, & Canepicio, in quorum confinibus exſtiterat ſituatum. Et ordine dato procuravit, quod pro magna pecunia dictus Torrianus matri ſuæ adhæſit, quæ bajula fuerat jam dicti Petri. Et una nocte depoſito uno filo januenſi, quem portavit ei mater fingendo quod dicto filio volebat lavare caput, ordinem ita dedit, quod a parte exteriori traxit ſuper Turrim longum funem, cum quo ſub taciturnitate noctis unum levem hominem tiravit, & deinde prædicti duo alios quinque tiraverunt, qui poſtea in angulo ſupra murum Caſtri bene XXV. dicto fune introduxerunt, qui partim murum deſcendentes Caſtrum invaſerunt, & Monachum unum occiderunt, qui ibi ſtabat pro Caſtellano. Et ſic dictus Petrus dictum Caſtrum Vulpiani acquiſivit, & poſſedit, mala infinita faciendo uſque ad mortem. Sed quia Deus juſtas ulciſcitur iras, ſcintillam impoſuit, propter quam dictus Petrus cum filio exſtiterunt decapitati juſſu Domini Marchionis propter ipſius Petri ſuperbiam, quæ tantum crevit in brevi potentia, quod quaſi de ipſo Marchione dedignabatur. Caſus etenim fuit, quod dictus Marchio ire voluit Avinionem, & dum ibi ivit, ſtatuit dictum Petrum pro ſuo locum-Tenente in Clavaxio, & citra Padum. Quo receſſo Marchione ſua ſuperbia occidi fecit, & publice taliari unum de parentela Ferrariorum, quæ eſt potentior parentela Gibellinorum Clavaxii, propter aliqua, quæ habuerat cum uxore ipſius Petri, quæ erat de illis de Palantro majoribus nobilibus Clavaxii partis Guelfæ, non obſtante quod Domina Marchioniſſa (17) ipſum

(17) *Domina Marchioniſſa*. Hæc erat Eliſabeth, filia quondam Domini Ja-

ipſum de Ferrariis tamquam jus habentem defenderet toto poſſe, ſtando in Caſtro Clavaxii. Quia dum dicta Domina Marchioniſſa audivit de homicidio prædicto, dixit Petro, ſtando in dicto Caſtro, quod...... Petrus reſpondit, quod niſi prædicta taceret, faceret ipſam projici per balconem Salæ in foſſato Caſtri, & quod erat dicta vetula ad faciendum. Tunc autem prædictis auditis dicta Domina tamquam ſapiens ſiluit; tamen vetavit, quod univerſa Terra Clavaxii non traxit propter ea ad rumorem. Suo autem tempore prædictus Marchio redivit, & ſibi de dicto homicidio doluit, cogitans quod virtute illius parentelæ Clavaxium conſervaverat, & dicta parentela perdita in Clavaxio nequibat permanere. Et contriſtatus vocari fecit Petrum, ut veniret coram eo, qui jam fugerat Vulpianum, quod Caſtrum murari fecerat jam ſupra dicto muro novo, & ubi habitabant quingenti homines ad bellandum. Qui Petrus venire denegavit; tandem rogatus venit, & in Clavaxio pluribus diebus cum ſicariis ſuis ſtetit. Una autem nocte dictus Marchio ipſum capi fecit, & in Turri ipſius Caſtri exſtitit præſentatus. Et certe ſi prædictus Petrus pulcra verba habuiſſet, dictus Marchio eumdem liberaſſet. Sed quia dictus Petrus erat diabolico ſpiritu inſtigatus, cœpit ipſi Marchioni male reſpondere; ex quo dictus Marchio compedes ferreos ſibi poni fecit, & ipſum durius carceravit. Tranſactis multis diebus dictus Petrus miſit pro filio ſuo, qui filius habebat in uxorem unam filiam quondam Domini Franciſci de Sancto Zorzio, qui diebus ſuis fuit potentior aliquo Canepicii. Qui filius cognatus erat parvi

Jacobi Regis Majoricarum, ſeu Inſularum Balearium in Mediterraneo Mare, Hiſpaniæ adjacentium. Uxor Joannis Secundi Marchionis Montisferrati. Vide Teſtamentum præfati Marchionis apud Benvenutum de Sanctogeorgio in Hiſtoria Montisferrati, & R. I. T. XXIII. col. 579. A. Vide Antonii Chiuſolæ Genealogias Familiarum magis illuſtrium totius Orbis pag. 558.

Joannis ex Comitibus Valpergæ, qui etiam habebat aliam filiam præfati Domini Franciſci in uxorem. Dum autem dictus juvenis veniſſet ad patrem, dictus Petrus ipſum induxit, ut Marchionem in dicto Caſtro occideret: quod de levi facere poterat, cum dictus Marchio dictum filium Petri more ſolito honoraret, & diligeret; qui multos aſſaſſinos paternos ſemper ſecum conducebat; & prædicta Marchio patiebatur, credens, quod timore prædictorum de Ferrariis occaſione illius homicidii eos ſecum duceret. Sed quia nihil tam occultum, quod non reveletur, Marchio prædicta ſcivit, & de præſenti dictum filium Petri cepit, qui voluntarie dixit, quod pater ſuus, & mater ipſum inſtigaverant, ut ex toto loquens cum eo in camera ipſum occideret, & finaliter promiſerat exequi ipſorum vota. Quibus examinatis dictus Marchio ſuo tempore ambos in Clavaxio decapitari fecit; & dictam Petri ejus malam uxorem de poderio ſuo fecit expelli, tradens poſſeſſiones & bona dicti Petri alteri germano ſuo, cum quo odium habebat, qui de præſenti Marchioni in havere & perſona ſervit quantum poteſt. Commiſerat etenim dictus Petrus millia, quibus dignus erat morte: nam non contentus, quod Abbatem, & Monaſterium Sancti Belleni privaſſet Caſtro & potentia Vulpiani, ipſum Abbatem occidere fecit per Zinum de Pradario Epiſcopatus Novariæ, de quo Zino dictus venerabilis Abbas ultra alios confidebat, & familiaris ipſius Abbatis erat. Qui Zinus cum florenis propterea ſuſceptis venit ad ſtandum in Valle Sicida diſtrictus Novariæ, ibique ſuo tempore captus fuit, & in Novaria tamquam proditor ſuſpenſus eſt.

Poſt autem prædicta crevit potentia Marchionis, maxime quia dominium Civitatis Hyporegiæ acquiſivit (18), cujus

(18) Ipporegiam in Joannis Marchionis Montisferrati dominium, Civium

cujus introitum dederunt Domini de Solerio, & de Bonatis, qui Fortilicia ipſius Terræ obtinebant; & ipſis adhæſit univerſa pars Gibellina Hyporegiæ propter injurias, quas pati non poterant partis Guelfæ aſſidue ipſos cum illis de Sancto Martino infeſtantis, & ſecundum .... Dominabantur autem prædictæ Civitati Domini Comes Sabaudiæ, & Princeps Pedemontium, qui ſingulis annis regimen alter alteri permittebant, quo anno Princeps regnabat. Sed male fecerunt, quia poſtea Comes Sabaudiæ ipſam Civitatem recuperavit, & ſolus dominabatur. Et hoc tempore ipſorum Gibellinorum partem ſuſpectam, & domos eorum, faciendo Caſtrum in ipſa, deſtruxit. Tamen pro nihilo Guelfi non tranſiverunt, nam Guelfi primitus prædati fuerunt per gentes Marchionis, & domus ipſorum combuſtæ, & proſtratæ, quæ nondum ſunt erectæ. Et iſta de Hyporegia ſufficiant.

Dum autem iſta perfida Societas Anglicorum in Lombardia veniſſet accita a prædicto Marchione, curavit ipſos reducere in Canepicio, ut repararet, & creſceret ipſa Societas faciendo ejus vindictas, quas explere non poterat in Alexandriæ partibus, ubi primitus veniendo ſteterat. Et ipſam pravam Societatem, antequam intraret diſtrictum Novariæ, & Vercellarum, venire fecit Riparolum, ubi diu ſteterunt, opprimendo Canepicium, & præcipue Comites Sancti Martini præmiſſos. Quæ Societas ſtando ibi furati ſunt Caſtrum Sancti Martini mirabilis ſitus, & Fortilitiæ; & perinde Burgum Sancti Martini habuerunt, ubi omnia rapuerunt, & deſtruxerunt uſque Hyporegiam. Deinde ſic graviter permanentes furati ſunt Terras Ceriati, & Laucii, Terras dotis Marchionis prædicti in confinibus Pedemontium & Canepicii, in quibus per earum quamlibet mille homines conſueverunt habitare; quæ Terræ domi-

vium conſenſu tranſiiſſe, tradit Sangeorgius Tomo ſupra citato. Col. 477. E. Hoc autem evenit anno 1344.

minabantur per Comitem Sabaudiæ. Sed cauſa fuit, quia in terris ipſis, & aliis Canepicii, morbus in tantum effluxerat, quod de decem ſeptem mortui erant, ex quo viventes de Mundo præſenti dubitabant; prædictas enim Terras, & alias in Canepicio, non obſtante morbo prædaverunt, & ſpoliaverunt. Quæ Societas propter lucra prædicta multum crevit, ceperuntque Saviglanum in Pedemontibus, uniti cum Anechino de Bungardo Capitaneo alterius Societatis, quæ in partibus Aſtenſibus erat, cujus robariæ non fuit diu ſimilis in Lombardia. Quibus male peractis, & deteriora timentes hi de Canepicio neceſſario ſe dederunt, & Vaſſallos ſe conſtituerunt Domini Comitis Sabaudiæ, videlicet prædicti Comites Sancti Martini, & Comites de Valperga, & Ripariæ, volentes manus & dominium Marchionis Montisferrati effugere. Et prædicti de Mazadio, excepto Domino Bertolino, & Comites Blandrati cum Otro Caſtro vaſſalli Marchionis præfati ſunt effecti: unde propter guerram, & morbum ſubſecutum, ubi liberi & potentes erant, nunc pauperes effecti ſunt, & ſubmiſſi jugo perpetuæ ſervitutis. In quo Canepicio melius ſucceſſit hominibus de Corgnate, quoniam Terram ſuam a manibus prædictorum nefandorum ſervaverunt, & propter bonitatem ſuorum Dominorum de ſucceſſionibus perveniendis in eorum Dominos, herede maſculo deficiente ſecundum eorum pacta antiqua nihil exſtitit innovatum. Immo dicta Terra palatiis, & turribus burgenſium refulget; & prædicti burgienſes Comites contrarios in divitiis antecellunt: & merito, quia legales homines, & unius partis ſunt, & amicos recipiunt valde bene, quos Chriſtus in bono, & pacifico ſtatu conſervet cum Dominis ipſis, & ſuis de Valperga in ſecula Seculorum Amen. Et iſta de Canepicio dicta ſufficiant.

Scripta autem fuerunt prædicta per me præmiſſum Notarium ut ſupra in Terdona MCCCLXIII. Indictione prima die quarto menſis Januarii.

IN-

INDEX NOMINUM, AC RERUM

Littera n denotat ea quæ continentur in notis.

ABdua flumen, in ipſo merſa magna pars Turrianorum in prælio Vaprii commiſſo. 8. n.
In ipſo Franciſcus de Garbagnate, ſuos præcedens, a Marco Vicecomite potentia armorum peremptus. 32.
de Abdua Marchio Joſeph Patritius Mediolanenſis, Vir eruditione, Prudentia, Nobilitate Clar. 306. n.
Aconiate, Agamium, Agnellengum, Agrate: Oppida diſtrictus Novarienſis ab Anglicis, inde a Galeatio Vicecomite direpta ac combuſta. 224.
Aimo Comes Sabaudiæ. 326.
Alberet Sterz ductor Societatis Anglicorum in Italia. 244. & ſeq.
Albertus Scaliger in dominatione Cani Grandi ſuccedit. 244. 317.
Captus a Carrarienſibus. 318.
Albertus Scotus, Dominus Placentiæ, ejus fœdera ut Matthæum Vicecomitem a Mediolani dominio deturbet. 17. n. 18.
Ipſum contra datam fidem Meltii in cuſtodia retinet. 18. n.
Albinus Monachus, Natione Scotus, a Carolo Magno Ticinum miſſus ut ibi Juvenes liberalibus diſciplinis inſtrueret. 291. n.
Alboinus & Canis Signorius Scaligeri, Domini Veronæ. 266.
Canem Grandem necant. 266.
Alcuinus, Albinus. 291. n.
Aldrovandinus Marchio Eſtenſis, Ferrariæ dominus, contra Vicecomites fœderatus. 181.
Inducias cum iis ſtatuit. 190.
Alexander V. Pontifex Maximus fuit de Candia. 291. n.
Et ex Ordine FF. Minorum. Ibid. n.
In Ticinenſi Gymnaſio Theologiam docuit. Ibid. n.
Fuit Epiſcopus Vicentiæ, inde Novariæ, demum Archiepiſcopus Mediolanenſis & Cardinalis. Ibid. n.
Summus Pontifex in Concilio Piſano anno 1408. eligitur. Ibid.
Ejus obitus. Ibid. n.
Alexandria Matthæo Vicecomiti tradita. 35.
Tum Luchino Vicecomiti. 87.
Alexatum diſtrict. Novarienſ. direptum & combuſtum. 224.
Andreas ſeu Andreinus de Cologni Cardinalis, pacem inter Eccleſiæ confœderatos, & Barnabovem Vicecomitem ſtatuit. 282. n.

Et inter Marchionem Montisferrati, & Galeatium II. Vicecomitem. 308., & ſeq.

Angleria, non longe ab ipſa iteratur bellum contra Turrianos a Vicecomitibus qui ſuccumbunt. 7.

Anglicorum Societas conducta a Marchione Montisferrati. 223. 357.

Novarienſem agrum affligit. 243. 287.

Nec non Alexandrinum, Vercellenſem, Derthonenſem, & Papienſem. 287. 309.

Eorum mores in bello. 243. 244. 245.

Crudelia acta illorum. 246. & ſeq.

Mediolanenſem agrum invadit. 380.

Comitem de Lando frangit, & necat. 304.

A Piſanis conducta. 305. & ſeq.

Anni principium numerandi diverſa conſuetudo apud X. & ſeq. Secul., Authores. Pag. 11. n. & in Diſſert. integra *De diverſa poſt X. Seculum Annum incipiendi apud varias Nationes Ratione ac Tempore*. Pag. XLIII. & ſeq.

Alii enim ab Incarnatione, alii a Nativitate annos numerarunt. 11. n.

Imo alii Incarnationem ab anno præcedente, alii a ſubſequente calculum ordinarium deſumpſerunt. Ibid. n.

Attenta hac annum incipiendi diverſa methodo, Authores, uno diſſentientes anno, inter ſe facile conciliantur. XX.

Antonius Fiſſiraga in prœlio captus, & ad Mediolani carceres deductus. 30. n.

Arborium Caſtrum diſtrictus Vercellarum concrematum. 182. 211.

Arcomarianum ab Anglicis comburitur. 224.

Archiepiſcopus Mediolanenſis in primo ſolenni ingreſſu, ſtipatus incedit Nobilibus Confanoneriis Viris, qui eundem ad capiendam poſſeſſionem Altaris, ac deinde Archiepiſcopalis Sedis inducunt. 111. n.

Olim in hoc ingreſſu non ſolum Eccleſiam Majorem, ſed etiam Ambroſianam adibat 110. n.

Vide Confanoneria, & Rhaudenſis Familia.

Ardicionus de Momo Novarienſis Barnabovi Vicecomiti Caſtrofrancum tradit. 261. 281.

Argelatus Philippus, Vir Clar. 5. n. 205. n. & alibi.

Aronæ Caſtrum ingreditur Otto Vicecomes ut Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui inde a Turrianis expellitur. 7. n.

Iterum ab eodem fruſtra obſidetur. 8. n.

Aſtenſis Urbs deditionem facit Luchino Vicecomiti. 87. 88.

An-

Antea ſub Marchione Montisferrati . 88. 115.
Surrepta Galeatio Vicecomiti a Marchione Montisferrati . 161. 164.
Tradita in dotem Mariæ Galeatii II. Vicec. Filiæ deſponſæ Filio March. Montisferrati . 223. n.
Galeatius eam fruſtra tentat . 288.
Qui Pontem Tanari deſtruit, & plures terras ſui diſtrictus diripit, ac comburit . Ibid.
Atheſis Flnvius . 18. n.
In ipſo Frignanus Scaliger ſuccumbit . 322. n.
Authores antiqui : In edendis eorum Operibus nulla immutatio ne in Stilo quidem facienda . *Muratorius in Præf.* Pag. VI. VII.
Aycardus Antiminianus de Camodea Diœceſ. Novar., utrum Ordini FF. Minorum, an Prædicatorum nomen dederit . 110. 111. n.
A Joanne XXII. Eccleſiæ Mediolanenſis Paſtor conſtituitur . 110. n.
Stantibus diſſidiis inter Pontificiam Sedem, & Vicecomites Mediolanum ingredi ipſi non licet . Ibid. n.
Iſtis ſublatis primum ſuam Sedem viſitat, & ſummo cum honore ſuſcipitur . Ibid. n.
Controverſia pro hac occaſione orta Advocatos inter & Confanonerios quomodo compoſita . Ibid n.
Paulo poſt ſolennem Ingreſſum moritur . 112. n.
Quo in loco tumulatus . 111. n.
Aymericus de Cruxinallo Capitaneus in Novaria Partis Rotundæ Gibellinæ . 209.
Interficitur a Novarienſibus in conflictu ad Bicoccam . Ibid.
Azarius Petrus, Author præſentis Chronicæ, qua in parte interpolatus . 190. n.
Ejus Domus fuit de illis qui noluerunt Novariæ adhærere Bruxatis in rumore anni 1311. 210. Vide Petrus Azarius .
Azilium Caſtrum, in illud ſe recepit Matthæus Vicecomes fugiens e Mediolano . 19.
Azzo Vicecomes Dominus Mediolani Florentinos, ac deinde Bononienſes in prœlio atterit . 55. 56. 57.
Galeatii Vicecomitis, & Beatricis Eſtenſis filius . 58.
Dominus Mediolani . 61.
Catherinam Filiam Ludovici II. de Sabaudia in uxorem ducit . 66. n.
Multis Civitatibus potitur . 66. & ſeg.
Quomodo & quando acquiſierit Placentiam, 66. n. Novocomum . 67. n. Brixiam . 67. Bergomum 68. n. Laudem . Ibid. Cremonam . 68. n. Vercellas, 69. n. Cremam . 69. n.

Marcum Patruum eliſis linteo faucibus ſuffocari jubet . 70. n.
Ejus victoria de Lodriſio Vicecomite . 72. 73. & ſeq., vide Parabiagum.
Extruit Templum in honorem S. Gotardi , & qua de cauſſa . 81. n.
Et magnis ſumptibns Palatium ædificat . 81. n.
Pie moritur 81. 82. n.
Ejus dotes . 82. n.
Azzo de Corrigio tuetur Civitatem Novariæ adverſus Comitem Landum. 179.

B

Balthaſſar Puſterula Mediolanenſis Urſinam Matthæi II. Vicecomitis Filiam in uxorem recipit . 156. n.
Baltreſchæ quid? 176. n.
Baradelli Caſtrum , in ejus carceres deducti plures ex Factione Turriana . 8. n.
Barbutæ , Milites equeſtres duos equos ſecum ducentes , & lancea pugnantes . 168. n.
Non ſolum Galeam , ſed etiam Bucculam geſtabant . 304. n.
Bartholomæus de Sancto Georgio Canepicii ex Comitibus de Blandrato Prætor Novariæ , Vir probiſſimus & ſtrenuus . 214.
A Baſilica Petri Carolus Epiſcopus Novariæ . 140. n. 208. n.
Baſſanus Viſtarinus , Civitatis Laudæ Vicarius conſtituitur ab Henrico de Flandria . 22. n.
Baſſignana , ibi Guelphi in prœlio fracti a Vicecomitibus . 33.
Baſtia , Baſtita , & Baſtida quid ſignificat . 127. n.
Beatrix Eſtenſis uxor Galeatii I. Vicec., & Mater Azzonis . 58.
Beatrix (dicta Regina) Scaligera Bernabovis Vicecomitis uxor. 114. n. 279.
Beccaria Familia Papienſis theſaurum Pontificium depopulatur . 81.
Pecunia intercepta , quanti valoris . 80. n.
Ejus potentia . 166.
Ticini dominans . 228.
Qui præcipui in ea . 229.
Coacta recedere ex illa Urbe . 236.
Galeatio Vicecomiti tradi Urbem curat . Ibid.
Belegnum , Vallis fertilis & amœna in diſtrictu Comenſi . 145.
Benedictus XII. (aliis XI.) Summus Pontifex , ejus Patria , nomen , inſtitutum , ſtudia , dignitates . 79. n.
Ejus electio . Ibid. n.
Pacem reddit Mediolanenſi Populo . Ibid. n.
Quæſtionem de Viſione Beatifica definit . 80. n.
Ejus obitus , & ſanctitas etiam poſt mortem comprobata . Ibid. n.

Ab

Ab oſoribus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab ipſo reſtitutæ carmina contra eundem compoſita referuntur. Ibid. n.
Benvenutus de Sancto Georgio Author doctus, & cautus 330. n.
Bergaminum Caſtrum, a Matthæo Vicecomite conſtructum, a Novarienſibus explanatur. 35.
Bergomenſis Civitas tradita Azzoni Vicecomiti. 68.
Bernabos Vicecomes Stephani filius in exilium pulſus. 85.
A Joanne Patruo Archiepiſc. revocatus in Patriam. 112.
Ducit in uxorem Beatricem Scaligeram, Reginam dictam. 114. n.
Plures ab ipſa Filios ſuſcipit. 252. 279.
Joan. Archiep. ſuccedit in partitione dominationis. 143.
Quæ Civitates ei paruerint. 144.
Quæ ex hereditate Matthæi fratris. 156.
Vicarius Imperialis Mediolani. 160.
Mantuam obſidione premit. 183.
Pacem ſtatuit cum fœderatis. 189.
Ejus mores. 252. & ſeq. 275.
Mediolani magnificat domum, & contiguam Eccleſiam apud S. Joannem in Conca. 253.
In ipſa Eccleſia facit ſe ad vivum ſculpi in marmore. Ibid.
Bononiam recipiendam curat. 255.
Fractus a Joanne de Olegio illius exercitus. 258.
Bononienſe bellum continuat. 259. 261.
Pacem init cum Eccleſia, eique reſtituit Terras Diſtrictus Bononienſis una cum Lugo. 282.
XXV. ex Militibus Com. Landi obcœcare facit. 265.
Jubet ſuſpendi Privatos deferentes arma. 280.
Et Officialem qui plus æquo exigebat. 275.
Raro multabat in pecunia, ſed potius in perſonis. 274.
Officia non pecuniis, ſed gratis & virtutibus confert. 275.
Dignos in ipſis confirmat, & ad majora provocat. Ibid.
Lepidum cum eo ruſtici cujuſdam colloquium. 269. 270.
Terribilis populo Mediolanenſi. 282.
Veronam fruſtra tentat. 322.
Betona Civitas tradita Joanni Vicecomiti. 126. & ſeq.
Obſeſſa a Peruſinis. 127.
Quibus deditionem facit. 128.
Blanca Sabaudica nupta Joan. Galeatio Vicecomiti. 114.
Blanderatæ, ejus Comites in Canepicio olim potentes. 336.
Eorum fœdus cum Comitibus de Valperga. 338.

Eorum Domus potentior Novariæ . 207.
Vide Bartholomæus ex Comit. de Blanderato .
Blanderatum traditum Azoni Vicecomiti . 69.
A Novarienſibus captum . 211.
Devaſtatur ab Anglicis , & a Galeatio Vicecomite . 217. n.
A Marchione Montisferrati comburitur . 314.
Conſtabat ex Burgo vetere , & novo . 217. n.
Terræ quæ ipſi adjacebant . Ibid. n. & 332.
De Blanderate ejuſque antiquis Comitibus plura habentur apud antiquos Scriptores . 217. n.
Statuta ejuſdem Oppidi nuper edita cum notis . Ibid. n.
Boetius Philoſophus a Theoderico Rege Longobardo relegatus , & in Ticinenſi carcere interemptus . 225.
Bonifacius VIII. Papa Jubilæum quolibet ſeculari anno renovandum decernit . 190. n.
Bononia olim non Civitas , ſed Provincia . 115.
Venundata Joanni Archiepiſcopo Mediolanenſi . 116.
Seditio ingens ibi excitata & compreſſa . 118.
Infeſtata a Societate Comitis Landi . 133.
In ejus dominatione ſuccedit Matthæus Vicecomes . 144.
A Joanne de Olegio afflicta . 146.
Qui dominationem arripuit . 149.
Inlatum Bononienſibus bellum a Bernabove Vicecomite . 258.
Urbs tradita Romano Pontifici . 262.
Bononienſes fracti a Paſſarino Domino Mantuæ & Mutinæ . 56.
Borza , an Gladii ſeu Cultri genus . 280. n.
Boſchi Terra diſtrictus Alexandrini ab Anglicis invaſa . 294.
Qui tamen ejus Arcem expugnare non poſſunt . Ibid.
Bremide Caſtrum , obſidione preſſum , Galeatio Vicecomiti ſe dedit . 306.
Briga , everſa . 210.
Briona diripitur & comburitur . 224.
Brixia nonnullorum Civium conſenſu ac fraude Maſtino Scaligero tradita . 60. n.
Tum ei erepta ab Azone Vicecomite . 67.
Afflicta a Peſtilentia . 273.
Bruſati & Lambertenghi in Novaria , Partis Guelphæ & ſanguineæ . 208.
De paritate contendunt cum Torniellis , quorum plures occidunt . Ibid.
Bruſatorum factio in Brixia . 266.
Bruxius Vicecomes Luchini filius , ejus prediti mores . 91.
In paupertate mortuus . 91.

Bu-

Bugella Oppidum Vercell. Prov. nunc Urbs . 7. n.
Bugonium everſum & ſuccenſum . 210. 224.
Burgravius , Germanico Idiomate ſignificat *Comitem* Oppidi . 218.
Burgolavezarius , & Burgoticinum diripiuntur & comburuntur . 224.
Burgus Sancti Sepulchri in Tuſcia a copiis Joannis Vicecomitis captus . 126.
Terræ motu everſus . 130.
Burgus Seſiæ mutatus , deſtruitur . 210.

C

Caccia Fridericus , Cardinalis , & Archiepiſcopus Mediolanenſis in ſolenni ingreſſu quale obſequium a Nobilibus Confanoneriis accipit . 110. n. 111. n.
Calpignanum , & Caltignaga : Oppida diſtrictus Novariæ ab Anglicis & Galeatio Vicecomite diripiuntur & comburuntur . 224.
Caluxenum in Canepicio expugnatur a Jo. I. Marchione Montisferrati . 328.
Campanus Auguſtinus , in Taurinenſi Gymnaſio Legum Interpres , Vir Clar. 204. n.
Campſores . Qui ? 219. n.
Canepicium Comitatus , ejus deſcriptio . 333. & ſeq.
Ejus Comites . 331. & ſeq.
Diviſum in Partes Guelpham & Gibellinam . 334.
Canis Scaligeri Primi ambitio . 54.
Ejus ſimultates cum Galeatio Vicecomite . 55.
Ejus geſta varia . 316.
Quo tempore potitus Tarviſio & Patavio . 316. n. 317. n.
Quo anno menſe die & hora deceſſit . 317. n.
Canis Scaliger , Maſtini filius , Ludovici Bavari Imperatoris filiam uxorem ducit . 320.
Ex ea unicam filiam relinquit . 324.
Ereptam ſibi a Fregnano Veronam recipit . 322. n.
Interfectus a Fratre . 325. n.
Canis Signorius , & Alboinus Scaligeri Domini Veronæ & Vicentiæ . 265. 266. 325. & ſeq.
Una cum March. Eſtenſe Diſtrictum Brixienſem invadunt contra Bernabovem Vicecomitem . 266. 267.
Canem Grandem necant . 266.
Capſones ſeu *Caſſones* ſignificant Ærarium . 219. n.
Cariſſia vaſtatur , ac ſuccenditur . 224.
Carolus Magnus Imperator . 291. n.

Caro-

Carolus IV. Imperator. Ejus nativitas ? 156. n.
Et electio in Imperatorem. Ibid. n.
In Italiam deſcendit. 157. 158.
Mediolani Corona Ferrea decoratur. 157. n.
Alia ejus geſta Mediolani. 159. 160.
Pro electione Imperatoris ſanciendas curat Leges, quibus, & quare Aureæ Bullæ nomen datum fuit. 158.
Univerſitatem Studiorum Papiæ erigi concedit. 291. n.
Curat pacem firmare inter Marchionem Montisferrati, & Galeatium Vicecomitem. 217. 218. & 223. n.
Diem claudit extremum. 158. n.
Caſale Sancti Evaſii, Marchionum Montisferrati Sedes, poſt duram obſidionem invaſum a Galeatio Vicecomite. 315. n.
Caſalegiallum, Caſalegium, & Caſalinum direpta, ac combuſta. 224.
Caſalegium: Arx in diſtrictu Bononienſi contra Bernabovem Vicecomitem invaditur. 257.
Inde ibi, commiſſo prœlio, Exercitus Bernabovis frangitur. 258.
Caſalis Gualoni Arx in ditione Vercell. cum Turri inter Lombardicas pulchriori, a Galeatio Vicecomite explanata. 179.
Caſſarum: idem ac Domignonum. 177. n.
Caſſonus Turrianus Archiepiſcopus Mediolanenſis Corona Ferrea ornat Henricum VII. Italiæ Regem. 25. n.
Caſtanum Oppidum in Comitatu Mediolani a Comite Lando obſidione obtinetur. 178.
Inde a Marchione Eſtenſe Ductore Exercitus Galeatii Vicecomitis fruſtra tentatur. 184. 185. 186.
Caſtellinus Beccaria Ticino dominatur. 228.
Caſtrofrancum Bernabovi Vicecomiti ſe dedit. 261.
Caſtronovum ſupra Scripiam a Societate Anglorum Captum, & afflictum. 243. 243.
A Luchino del Verme recuperatur & defenditur. 247.
Caſtrum Bochæ, & Caſtrum Tabarinum, ſubverſa. 210.
Cavallianum, Cavallietum, Cavallinum, Cavallirium, direpta ac combuſta. 224.
Ceredanum Oppidum diſtrictus Novar. a Galeatio Vicecomite deſtructum. 216. n. 224.
Circhi ſeu Circhæ quid? 123. n.
Ciſtum ab Anglicis direptum ac combuſtum. 224.
Claſtidium, in Diſtrictu Papienſi, ibi prædatum peculium quod Bononiam a Guelphis tranſmittebatur. 80.

Cujus valoris ſumma intercepta . 80. n.
Cum dicto Theſauro capti Epiſcopi , & multi Nobiles . 80.
Clemens VI. Papa . Ejus Patria , & Profeſſio . 142. n.
Quando Summus Pontifex creatus ſit & coronatus . Ibid.
Ejus acta adverſus Joannem Vicecomitem , & Gentem Vicecomitum . 117. n.
Quomodo inter Pontificem & Vicecomites pax inita & firmata fuerit . 117. n.
Jubilæum ad Quinquageſimum cujuſque Seculi annum ab ipſo alligatur . 191. n.
Ejus mors , & ſepultura . 142. n.
Coloniæ , aliæ latinæ : aliæ Romanæ ſeu Civium Romanorum ; earumque Privilegia diverſa . 198. n.
Comenonicum , direptum , ac combuſtum . 224.
Comenſes pro Ottone Vicecomite pugnant Dexii . 8. n.
In quo Prælio multos ex Turrianorum Gente capiunt & ad carceres Caſtri Baradelli deducunt . 8. n.
Item pugnant Vaprii . Ibid.
Contra Matthæum Vicecomitem ſe jungunt . 17. n.
Comignagum evertitur . 210.
Comitum , ac Vicecomitum dignitates a Gothis , ac præſertim Franchis in Galliam & Italiam progreſſis invectas veroſimile eſt . XXIII. in Diſſert. integr. *de Vicecomitis nomine &c.*
Comitis munera præcipua . XXX.
Confanoneria Illuſtris Familia Mediolanenſis , ex conſtanti & inconcuſſa praxi Archiepiſcopum , ſolennem ſuum ingreſſum facientem , comitatur , inde equum quo vehitur , & Thenſas accipit . 110. 111. n.
Conſpirationes &c. , Pœnæ contra ipſas a Matthæo Vicecomite inflictæ . 17. n.
Atrociores , ac diutiores ſtatuuntur , ac exequutioni mandantur a Galeatio II. Vicecomite . 300. 301. & ſeq.
Conturbia , direpta , ac combuſta . 224.
de Corgnate incolæ laudati . 358.
Cotta Lazarus Auguſtinus Juriſconſultus Novarienſis Vir eruditus . Pag. V.
Ejus opinio de patria Alexandri V. Papæ . 332. & 333. n.
Crema , ejus origo & incrementum . 69. n.
Tranſit ſub dominio Azonis Vicecomitis . Ibid. n.
a Gregorio XIII. Primum Epiſcopum accipit . Ibid. n.
Cremona tradita Azoni Vicecomiti . 68. n.
Afflicta a Peſtilentia . 273.

Crennæ Caſtrum erectum a Lodriſio Vicecomite . 70.
Creſcentiaghi Monaſterium , Ibi mortuus Matthæus Vicecomes . 33. n.
Cruſinallum deſtruitur . 210.
Cuzella : Quid ſit ? 162. n.
Cypri Rex : Mediolanum profectus . 299.

D

Decimæ a Novariæ Epiſcopo nonnullis conceſſæ . 209.
Qui has poſſident , ſuas Familias tunc temporis Nobiles fuiſſe , poſſunt gloriari . 209. n.
Decuriones , idem ac *Patres Conſcripti* . 303. n.
Ex illorum numero delecti Viri ad Publica Reipublicæ Munera obeunda . ibid.
Derthona Matthæo Vicecomiti tradita . 35.
Ab Anglicorum ſocietate afflicta . 245. 248. 329.
Ejus infelix ſtatus . 252.
Deſana capta 183.
Dexii Oppidum , ibi Turriani ab Ottone Vicecomite proſtrati . 8. n.
In ſecundo conflictu ibi ſequuto captus Muſca de la Turre & carceratus , & ibi mortuus cum multis de ſequacibus ſuis . 30.
Quo anno dictus conflictus ſecutus . 30. n.
Diplois , idem ac Læna ſeu Tunica duplicata . 244. n.
Doctores , in Seculis obſcuris ac barbaricis dicebantur illi qui legere , ſcribere , & latinum poterant intelligere ſermonem . 291. n.
Domignonus quid ? 176. 177. n.
Dungallus (Lectoris ſeu Magiſtri nomen .) 292.
Duria Fluvius in Canepicio procedens ex Valle Auguſta . 334.
Aquas ſuſcipit ab Alpibus Montis Sancti Bernardi . Ibid.

E

Eliſabeth , ſeu Iſabella Filia Joannis Boni Regis Galliæ , & Bonæ de Lucemburgo nata an. 1348. 222. n.
Nupta Joanni Galeatio , Galeatii Vicecomitis Filio anno 1360. Ibid. n. & 289.
Eliſabeth de Fliſco uxor Luchini Vicecomitis . 83.
Ejus iter Venetias , & Comitatus . 39. & ſeq.
Ejus fuga de Mediolano . 113.
Engleſius Epiſcopus Novariæ . 209. n.

Epo-

Eporedia . Vide Hyporegia .
Eſtenſes Marchiones fœderati cum Paſſarino Mantuæ domino Bononienſium copias fundunt . 57.

F

Faldæ quid ? 185.
Falde Papienſes , Clypei genus . 186. n.
Feltrinus de Gonzaga pulſus Mantua Regium occupat . 189. 277.
Ferrarius Guido Soc. Jeſu , Novarienſis , Vir pluribus editis Libris , atque aurea Latini Sermonis elegantia Clar. Pag. XL. *in Diſſert. de Viceco-mitis nomine* &c.
Firmana Civitas tradita Joanni de Olegio . 263.
Fiſculus carbonum quid ? 236. n.
Florentini fracti ab Azone Vicecomite . 55.
Et a Piſanis . 319.
Fœdus ineunt cum Joanne de Olegio . 257.
Exercitum Bernabovis Vicecomitis frangunt . 258.
Erepta eis Luca a Piſanis . 319.
Bellum eis inlatum a Joanne Vicecomite . 120.
Quod viriliter repellunt . 123.
Fognanum , everſum . 210.
Franchinus Ruſca Novocomi Tyrannus ſub quibus conditionibus Actio Vicecomiti Civitatis dominium obtulit atque conceſſit . 67. n.
Franciſcus Marchio Eſtenſis, pulſus Ferraria Mediolanum fugit . 133. 313.
Capitaneus Exercitus Galeatii Vicecomitis . 313.
Franciſcus Gambacurta Dominus Piſarum & Lucæ . 158.
Seditione excitata in Carolum IV. Auguſtum ſecuri percuſſus . 159.
Franciſcus Comes de Urbino . 122.
Franciſcus de Ordelaffis de Imola Capitaneus Fori Livii, & Forimpopuli , Forum-Livii recipit . 256.
Franciſcus de Garbagnate , ut addictus Matthæo Vicecomiti a Turrianis Mediolano expellitur . 23. n.
Se confert Patavium , ibique per aliquot annos Scientias docet . Ibid. n.
Dimiſſa Minerva ab Henrico VII. Imp. inter Aulicos cooptatur . 23. n.
Cæſari Rerum Italicarum ſtatum aperit . Ibid.
Ipſi Matthæum Vicecomitem gratiorem reddit . Ibid. & ſeq.
Ab ipſo inter cariſſimos habetur . 23. n.
Ad Partes Guelphorum tranſit . 31. n.
A Marco Vicecomite in flumine Abduæ interemitur . 32. n.

Fregnanus Scaliger Veronam Cani ſurripit . 321.
Fridericus Auſtriæ Dux electus Romanorum Rex . 46. n.

G

Gagnanum vaſtatur . 210.
Galeatius I. Vicecomes Mediolanum tuetur . 31.
Contra Philippum Valeſium viriliter exercitum ducit . 36.
Eum recedere cogit . 39.
Ludovicum Bavarum in Italiam advocat . 48.
Apud quem ſuſpectus redditur a Marco fratre , & Lodriſio conſanguineo . 48. n.
Ab ipſo cum ejus fratribus Joanne , Luchino , & Azone Filio dominiis expoliatur , ac duro carceri in Caſtro Modoetiæ mancipatur . 49. n. 51. n., & qua de cauſſa . 49. & ſeq. n.
Ejus ſimultas cum Cane Scaligero . 55.
Beatricem Eſtenſem uxorem ducit . 57.
Ex ea ſuſcipit Azonem , & Rizardam , Frailino Marchioni Salatiarum nuptam . 58.
Naturæ debitum ſolvit . 63. n.
Galeatius II. Vicecomes Stephani Filius exulare cogitur . 85.
A Joanne Vicecomite Patruo revocatur in Patriam . 114.
Bononiæ poſſeſſionem capit pro ipſo patruo. 118.
Seditio Bononienſium contra ipſum . 118.
Odium concipit contra Joannem de Olegio . 124.
Joannis patrui ſucceſſor in portione ditionis . 143.
Quæ Civitates ei ſubjectæ . 144.
Quæ ex hæreditate Matthæi fratris . 156.
Vicarius Imperialis Mediolani . 160.
Bellum ei inlatum a Marchione Montisferrati . 160.
Ipſi erepta Civitas Aſtenſis . 160.
Genuenſes ab eo deficiunt . 165.
Novaria ab ejus dominatione ſubtracta . 211.
Novariam & Albam recipit . 205. n. 218.
Ticinenſi Urbi bellum infert . 233.
Quam ad deditionem cogit . 240.
Et quo anno Ticinii dominium obtinuit . 240. n.
Eam variis Arcibus munit . 242. 287. 288.
Contra Societatem Anglicorum copias cogit . 243.
Blancham Sabaudiæ uxorem habuit . 114. n. 284.
Quæ illius Proles . 284.

Quæ

Violantem Filiam Leonello Angliæ Regis Filio magnifice jungit. 289. 312. n.
Quot ei tradita in dotem. 312.
Mariam Filiam alteram ætatis ann. quatuor Filio Marchionis Montisferrati in uxorem ſpondet. 223. n.
Ac dominium Civitatis Aſtenſis dotis nomine ex tunc eidem March. concedit. Ibid. n.
Paulo poſt, mortua Puella, ejus bellum rurſus cum March. Montisferrati pro dicta dote repetenda. Ibid.
Pax inter eum & March. Montisferrati. 225. n.
Ejus potentia. 284.
Ac mores. 287. & ſeq.
Tam Clericos quam Laicos gravavit & depauperavit. 286. & ſeq.
Joanni Galeatio Filio conjungit Filiam Regis Franciæ. 289.
Crudelis illius lex contra proditores. 300. 301. & ſeq.
Pax inter eum, & Marchionem Montisferrati. 308. n. & ſeq.
Studiorum Univerſitatem in Ticinenſi Urbe inſtituit. 291. n.
Gallaratum Oppidum, ibi Theobaldus Vicecomes Pater Magni Matthæi a Turrianis obtruncatur. 7.
Galleratus Paulus J. C. Collegiatus Novariæ. 199. n.
Galliatum, Caſtrum de novo conſtructum & defenſum. 214.
Galnagum, direptum, ac combuſtum. 224.
Gambacurtæ Piſis dominantes. 158.
A Carolo IV. Auguſto ſecuri percuſſi. 159.
Ganzerre quid? 234. n.
Garbanea diripitur & ſuccenditur. 224.
Gargallum devaſtatur. 210.
Garlaſcum, obſidione preſſum, Galeatio Vicecomiti ſe dedit. 234.
Diripitur & comburitur. 307.
Gattegum evertitur. 210.
Gattinaria direpta. 182.
Gattus, vetus machina bellica, deſcribitur. 184. 185. n.
S. Gaudentius fuit Primus Epiſcopus Novariæ. 206. n.
Omni tempore fuit Novariæ Protector. Ibid. n.
Ejus nomen in Nummis antiquis Novarienſibus. 204. n.
Ejus nomen & imago in aliis Nummis, Principum authoritate cuſis. 205. n.
Genuenſes a Venetis & Aragonenſibus fracti. 138.
Se Joanni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolan. ſubdunt. 139.
Vicecomitum jugum excutiunt. 165.

Gibellinorum & Guelphorum nomina . 4.
Eorum diſſidia . 18. & ſeq.
Pugnæ præcipuæ inter ipſos anno 1312. habitæ recenſentur . 30. n.
Giulinus Comes Georgius , Vir Clariſs. , majorem Hiſtoriæ Patriæ (Mediolani) affudit lucem quam unquam ſperandum fuiſſet . 29. n.
Granotium , & Gravalona diripiuntur & comburuntur . 224.
Gregorius X. Summus Pontifex , eum ad Concilium Lugdunenſe Otto Vicecomes comitatur uſque Mediolanum . 7. n.
Gregorius de Montelongo Aquilejenſis Patriarcha . 10. n.
Naturæ debitum ſolvit . 10. & 11. n.
Ejus Sedes quatuor annis vacat : eique Raymundus Turrianus ſufficitur . Ibid. n.
Guarnerius ſeu Gualterius Comes de Homberg Dux Teutonicus , ab Henrico Imper. deſtinatur Capitaneus Fœderatorum Gibellinorum . 30. n.
Vercellas , ac Soncinum recuperat . Ibid. n.
Apuliam vaſtat . 118.
Guelphorum & Gibellinorum nomina . 4.
Eorum diſſidia . 18. & ſeq.
Guido de Gonzaga Dominus Mantuæ . 337.
Ejus uxor . Ibid.
Ejus obitus Ibid. n.
Guido de la Turre Dominus Mediolani . 9. 11.
Matthæum Vicecomitem e regimine Urbis exturbat . 16.
Exturbatus & ipſe e Mediolano . 25.
Guilengum diripitur & comburitur . 224.
Guillelmus de Puſterula electus Archiepiſcopus Mediolanenſis . 143.
Quot annis Sedem Mediolan. tenuit . Ibid. n.
Quo anno & menſe deceſſit . Ibid. n.
Guillelmus VI. Marchio Montisferrati Theſſalonicæ veneno extinctus . 337. n.
Guillelmus Marchio Montisferrati Turrianos inter & Vicecomites , ab utraque parte Arbiter conſtitutus , pacem pronunciat . 8. n.
Guillelmus March. Montisferrati miſerrime in carcere Alexandrino perit . 339. n.
Guillelmus Comes Monfortius a Ludovico Imperatore Vicarius Mediolani conſtituitur . 50. n.

H

Henricus VII. Exules Gibellinos , & Guelphos in variis Urbibus reducit . 22.

Coro-

Coronam Imperii accipit Aquiſgrani . 21.
Coronam Ferream Italici Regni Mediolani accipit . 25. n.
Utrum ejus mors fuerit ex morbo naturali , an e veneno . 43. & ſeq. n.
Quo in loco obierit , & tumulatus fuerit . Ibid. n.
Ejus Epitaphium . 45. n.
Henricus de Modoetia dictus Mettefogus , unus ex Tribus Moderatoribus Dominii Civ. Mediolani . 16.
Electus in Prætorem Bergomi . Ibid.
Hungarorum Societas in Italiam accita . 245. 264.
Hyporegia Civitas cum Valle-Auguſta ſpectant Comiti Sabaudiæ . 333.

I

IIII. VIR. A. P. PRAEF. I. D. in antiquo Marmore Novarienſi , hoc eſt . *Quatuor Vir Aedilitia Poteſtate Praefectus Juri dicundo* . 202. n.
Jacobus de Pepulis dominus Bononiæ . 115.
Spoliatus bonis a Joanne de Olegio . 124.
Jacobus de Verme Luchini filius , in Re bellica celeberrimus . 125. n.
Ex ipſo deſcendunt Comites Vermenſes qui Placentiæ & Mediolani in præſenti florent . Ibid. n.
Jacobus Buſſolarius Ord. S. Auguſtini egregius concionator Ticini . 232.
Populo ad tuendam Urbem animos addit . 234.
Nobiles de Beccaria cogit recedere ab Urbe , ac in eos furit . 235. 236. 237.
A populo ſua prædicatione , pecunias & divitias agregat pro Marchione Montisferrati . 238. 239.
Juſſu ſui Generalis in carcerem truditur . 242.
Jalnagum evertitur . 210.
Indictio : eſt quindecim annorum revolutio a Conſtantini Magni temporibus incipienda . Pag. LIV. in Diſſert. *de Indictionis origine & diviſione* .
Triplex : I. Conſtantiniana & Cæſarea ab VIII. Kal. Octobris ſeu die 24. Septembris numerari incipiebat . Ibid.
Itali plures , ac præcipue Inſubres ea uſi ſunt , ſed non ubique . LIV.
II. Conſtantinopolitana , ſeu Græca incipiebat a Kal. Septembris . LV.
Itali plerique, ac Mediolanenſes interdum a X. Seculo hac uſi ſunt. LVI.
Pontifices ante undecimum Seculum hanc adhibuerunt . LVI. & ſeq.
III. Pontificia a Kal. Januarii , interdum a Nativ. D. ducit exordium. LVI.
Pontifices ab undecimo Seculo conſtanter hac uſi ſunt . LVII.
Indictionem inveniendi , ac numerandi methodus . LVIII. & ſeq.

Inno-

Innocentius VI. Papa, ejus nomen, Patria, Doctrina, ac Munera ante Pontificatum. 225. n.
Quando Pontificatum obtinuit, & ad quot annos tenuit. Ibid. n.
Quando obiit. Ibid. & 290.
Ubi primum fuerit ſepultus, & quo translatus. 225. n.
Invorium Vicus: ibi natus anno 1249. die 15. Auguſti Magnus Matthæus Vicecomes. 15. n.
Joannes XXII. Summus Pontifex, ejus origo. 35.
In Vicecomites exercitum mittit. 36.
Alii illius conatus in Gibellinos. 40.
Acta contra eum a Ludovico Bavaro. 52. n.
Quæſtionem de paupertate Chriſti tempeſtive damnat. 76. n.
An ſuam ſententiam de Viſione Beatifica retractaverit. 76. & 77. n.
An plenariam abſolutionem Mediolanenſibus conceſſerit. 78. n. 79. n.
Ejus obitus. 77. n.
Joannes Rex Bohemiæ, ejus geſta in Italia. 59. 60.
Joannes Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis Matthæi Magni filius. 31. 69.
Cardinalis ab Antipapa nominatus. 105. n.
Tum hac dignitate dimiſſa Epiſcopus Novarienſis a Joanne XXII. conſtitutus. 105. n.
Joanni de Spaim Pſeudo-Epiſcopo ſubſtitutus. 84. n.
Novarienſis Epiſcopus, & dominus Mediolani. 81. 82.
Joannem de Olegio honoribus auget. 102. 105.
Ejus acta in juventute. 103.
Renuntiatus dominus Novariæ, & Archiepiſcopus Mediolanenſis. 108.
Luchino ſublato, Nepotes in patriam revocat. 112. 113. 114.
Bernabovi & Galeatio Nepotibus nuptias procurat cum Beatrice (Regina) Scaligera, & Blancha de Sabaudia. 114.
Quo tempore & loco iſthæc nuptiæ celebratæ. Ibid. n.
Quomodo ſe geſſerit cum Nunciis Pontificiis. 116. & 117. n.
Quæſtio hinc habita cum Summo Pontifice, quomodo compoſita. 116. 117. n.
Bellum Florentinis infeliciter infert. 120.
Mutinenſes affligit. 131.
Fœderati contra eum multi Principes. 133.
Genua ei tradita. 139. 140. n.
Ejus opera varia. 140.
Veronam tentat. 322.
Vivendi finem facit. 135.

Quo

Quo morbo occubuerit. 136. 137. n.
Ejus Epitaphium, adhuc exiſtens in Metropolitana, emendatum refertur. 137. n.
Joannes Galeatius Vicecomes Galeatii II. filius. 284.
Uxorem ducit filiam Regis Franciæ. 289.
Joannes Vicecomes de Olegio Bononiam ſibi uſurpat. 149.
Capitaneus Bononiæ pro Joanne Vicecomite. 119.
Exercitum in Tuſciam ducit. 120.
Inglorius redit. 123.
In odium Galeatii Vicecomitis incurrit. 124.
In Bononienſes ſævit. 134.
Ad eum ſyndicandum miſſus Officialis a Matthæo Vicecomite. 146.
Dominationem Bononiæ arripit. 149. 153.
Cujus ſe conſervatorem dicit. 151.
Fœdera cum finitimis init. 153.
Contra Vicecomites. 166.
Pacem cum Bernabove ſtatuit. 189. 190.
Securi percutit Henricum Caſtrucii filium & alios. 254.
Ejus victoria de exercitu Bernabovis. 258.
De Bononia Pontificii tradenda agit. 259. 260. 261.
Ea dimiſſa Firmi dominatur. 263.
Ibique moritur. 262. n.
Joannes I. Marchio Montisferrati. 75.
Aſtenſi Urbe potitus. 88.
Iram Luchini Vicecomitis vitat. 90.
Novariam ſibi ſubdit. 141.
Bellum indicit Galeatio II. Vicecomiti. 160.
Aſtenſem Civitatem ei arripit. 160.
Et Albam. 164.
Deinde Novariam. 171. & ſeq.
Acriter bellum in Vicecomites continuat. 182. & ſeq.
Ejus avaritia. 189.
Novarienſes tyrannice regit. 211. 212. 213.
Ejus dominium in Novaria quando incœpit, & quando ceſſavit. 217.
Novariam Galeatio Vicecomiti reſtituit. 218.
Societatem Anglicorum conducit. 223.
Ei traditum Ticinum. 229.
Potitur Valentia. 328.
Caluxenum expugnat. Ibid.
Ejus mores & geſta. 326. & ſeq.

Ejus obitus . 328. n.
Joannes II. Marchio Montisferrati Canepicium invadit . 347. n. 348.
Caluxenum tertio ingreſſus expugnat . 351. 352.
Ejus uxor . 354. 355.
Joannes de Pepulis dominus Bononiæ eam Joanni Vicecomiti vendit . 116.
Carus Vicecomitibus . 119. 285.
Joannes de Riparia Marchio Anconitanus . 340.
Joannes de Spaim Alamannus Pſeudo-Epiſcopus Novarienſis . 51. 84. n.
A Joanne XXII. ei ſubſtitutus Joannes Vicecomes . 84. n.
Joannes de Beſocero Capitaneus Gentium Barnabovis Vicecomitis . 188.
A Bononienſibus cum exercitu fractus . 258.
Et captus , ac ad Carceres in Marchia Anconitana deductus . Ibid.
Joannes ejus Nepos , Paganini filius a Teutonicis ſuſpenditur . 188.
Iſtius mors quomodo a Barnabove Vicecomite vindicata . 265.
Joannes Savius Novarienſis Capitaneus Gentis Joannis de Olegio contra Vicecomites . 170.
Ab ipſo habuit principium deſtructio Civitatis Novariæ . 153.
Joannes Albinus : Vide Albinus .
Jubilæum ad quot annos reductum . 190. 191. n.
Jus Quiritum in Republica Romana , quale . 199.
Coloniæ Romanæ ſeu Civium Romanorum competebat . 198. 199. n.

L

L. D. D. D. in antiqua Inſcriptione Novarienſi , *Locus datus decreto Decurionum* . 202. n.
Landiona , in diſtrictu Vercellenſi a Novarienſibus capta . 211.
Ab Anglicis , & Exercitu Galeatii Vicecomitis direpta & combuſta. 224.
Landus Comes Teutonicus , dux ſocietatis prædonum . 131.
Contra Vicecomites conductus a fœderatis . 133. 166.
Invadit eorum ditionem . 167. & ſeq.
Acta illic ab eo . 178.
Fractus a Vicecomitum copiis . 180.
Ejus victoria de exercitu Bernabovis Vicecomitis . 188.
Ejus ſtipendiarii , Teutonici , capto Joanne Beſocero , Joannem ejus Nepotem , Paganini filium ſuſpendunt . 188.
In vindictam hujus ſupplicii , vigintiquinque ex iſtis Teutonicis juſſu Bernabovis Vicecomitis excœcantur . 265.
Galeatio Vicecomiti militat . 189. 288.

Acta ab eo contra Aſtenſes . 288.
Contra Societatem Anglorum . 297. 299.
In prœlio cadit . 304. 305.
Leo de Perego Archiepiſcopus Mediolanenſis Lignani decedit . 5. n.
In ejus locum a Canonicis Ordinariis Eccleſiæ Metrop. Mediolani , qui nominati . Ibid. n.
Quis ab Urbano IV. ſubſtitutus . Ibid. n.
Leonellus filius Ducis Angliæ , Dux Clarentiæ nuptias celebrat cum Violante Vicecomite . 289. 312. n.
Paulo poſt Albæ moritur . 312. n.
Ubi ſepultus . Ibid. n.
Lignanum Oppidum , prope ipſum , commiſſa pugna inter Guelphos & Gibellinos , diſſipatur Exercitus Regis Siciliæ deſtinatus in ſubſidium Guelphorum . 30. n.
Locuſtarum illuvies affligit partem diſtrictus Novarienſis , inde ceteras Lombardiæ regiones . 311. n.
Earum deſcriptio . Ibid.
Lodrixii Vicecomitis bellum cum Azone Vicecomite . 71.
Manus infeliciter conferit . 73.
Sommæ cum duobus filiis capitur . 73. n.
Ad S. Columbani Caſtrum traductus carceri mancipatur . Ibid. n.
Poſt Luchini mortem a Jo: Archiepiſc. libertati reſtituitur . Ibid.
Parabiagi in fugam vertitur . 73. Vide Parabiagum .
Quo tempore obiit . 73. n.
Lombardiæ deſcriptio . 2.
Quot in ea Civitates . 3.
Afflicta a Peſtilentia . 273.
Et a Locuſtis . 311.
Luca ſub ſcaligerorum dominio . 317.
Ab ipſis vendita Florentinis . 319.
Pertinaci obſidione a Piſanis obtinetur . Ibid. n.
Luchinus Vicecomes Mediolani dominus , Matthæi filius . 82.
Azoni in dominatione ſuccedit . 316.
Quæ fuerit prima ejus uxor . 82. n.
Secundis votis ſe junxit cum Iſabella de Fliſco . 83.
Quæ Venetias magnifice eſt profecta . 92. & ſeq. n.
Piſanis ſubſidia mittit . 319.
Quæ ejus fortuna in prœlio cum Lodrixio Vicecomite . 72. 73.
Contra ejus vitam conſpiratur . 86.
Et de aliquibus complicibus vindicatur . 86. & 87. n.

Parma, aliiſque Civitatibus potitur. 87. 319.
Contra Marchionem Montisferrati multa molitur. 89.
Genuam obſidet. 90.
Officia Mediolanenſibus præcipue confert. 92.
Ejus acta varia. 89. 92. 102.
Quales ejus mores. 83. 93. 99. n. 100. n. 101. n.
Ejus potentia. 92.
Ejus mors an e veneno. 98. n.
Quo anno & die mortuus. Ibid. n. & ſeq. n.
Quo in loco ſepultus. 101. n.

Luchinus de Verme ductor Exercitus Joan. Vicecomitis. 125.
Caſtra in diſtrictu Papienſi ac Derthonenſi, & quæ a Vicecomitibus defecerant, recuperat. 246. & ſeq.
Dux etiam Venetorum contra rebellantem Cretam. 125. n.
Quo in loco & anno natus & mortuus. Ibid. n.
Ejus uxores, & filius. Ibid. n. Vide Jacobus de Verme.
Quot ditionum Dominus. Ibid. n.

Luchinus Savius ſequeſter inter Pontificem, & Joann. de Olegio ut Bononia Eccleſiæ traderetur. 260.

Ludovicus Bavariæ Dux electus Romanorum Rex. 45. 46. & ſeq.
Accitus in Italiam a Gibellinis. 48.
Mediolani anno 1327. Corona Ferrea redimitur. 49. n.
Romæ anno 1328. Coronam Imperii a Joanne XXII. Papa, & iterum a Nicolao Pſeudopontifice, ejus juſſu electo, accipit. 51. n.
In eum anathema Joannis XXII. Papæ. 52.
Galeatium I. Vicecomitem, ac ejus duos fratres, & filium in vincula conjicere jubet in Caſtro Modoetiæ jubet. 50. n.
Reipublicæ Mediolanenſi viros 24. ſelectos ex ſingulis Tribubus præficit. Ibid. n.
Ab ipſa Civitate magnam pecuniæ ſummam impetrat. Ibid. n.
Suum Vicarium Mediolani conſtituit Comitem Monfortium. Ibid. n.
Quando obierit. 142. n.

M

Maffejus Marchio Scipio, Vir. Clariſs. 204. n.
Malateſtæ, Arimini Domini, Guelphi ab origine. 277.
Maloſſum, idem ac *Proxeneticum*. 261. n.
Mandellum ab Anglicis diripitur & comburitur. 224.

Man-

Manfredus Marchio Salucii . 289.
Manfredus agnomento Botta de Gattego de Novaria, Olegium Caſtrum populatus eſt , & totum concremavit . 263. n.
Ibi interemit Patrem famoſi Joannis Vicecomitis de Olegio . Ibid. n.
Mantellettum & Mantellum , ſpecies Machinæ Militaris defenſivæ . 123. n.
Marcus Vicecomes Matthæi Magni filius , ejus victoria de exercitu Guelphorum . 32. 32.
Alexandriam & Derthonam occupat . 35.
Philippo Valeſio viriliter occurrit . 36.
Genuam pertinaci obſidione premit . 40.
Actii ejus Nepotis juſſu, ac Patruorum Joannis & Luchini conſenſu , eliſis linteo faucibus , ſtrangulatur . 70. n.
Quo anno ætatis ſuæ : quo anno , menſe & die . Ibid. n.
Sumptuoſis exequiis tumulatur . Ibid. n.
Maria Galeatii II. Vicecomitis filia annorum quatuor filio Marchionis Montisferrati in uxorem deſpondetur . 223. n.
Ejus dotis nomine ex tunc Aſtæ dominium dicto March. conceſſum . Ib.n.
Maria paucos poſt annos moritur . Ibid. n.
Hujuſce mortis occaſione bellum renovatur Galeatium inter & Marchionem . Ibid. n.
Marzaleſcum , & Mazatum inferius & ſuperius everſa . 210.
Maſtinus Scaliger Lodrixium Vicecomitem in Azonem Vicecomitem inſtigat . 71.
Luchino Vicecomiti dilectus . 89.
Cani in dominatione ſuccedit . 317.
Brixia potitur . Ibid.
Tum Parma , & Luca , Feltro , Cividali , & Belluno . Ibid.
Illius geſta varia . Ibid.
Uxorem ex Dominis Carrarienſibus habuit . 318.
Quo anno , menſe , & die deceſſit . 320. n.
Matthæus I. Vicecomes , prius nuncupatus Maphæolus . 13.
Quare in infantia vocatus Bruggia . 12.
Ejus ortus , Genitores , Uxor , & Proles . 15. n.
Ab Ottone Archiepiſcopo ad dominationem Mediolani evectus . 12.
Ei Mediolani Dominium a Turrianis arripitur , ſed inde recuperat , & ad Filios , ac Nepotes tranſmittit . 9. n.
Proceres Mediolani cum Turrianis & pluribus Civitatibus &c. contra ipſum fœdus ineunt . 17. n.
Quo anno , menſe , & die e Mediolano expellitur . 19. n.
Mediolano expulſus ubi latitat . 16 17. n. 23. n.

Prope Novocomum duplici in prœlio a Turrianis fractus . 18. n.
Turrianos inde e Mediolano exturbandos curat . 23. 24. n. & ſeq.
Henrico VII. Imper., comitantibus Gibellinæ partis primoribus, Aſtæ ſe ſiſtit . 24. n. ac pro ipſis Gibellinis perorat . Ibid. n.
Ab eo non obſcuris amoris & gratiæ indiciis excipitur . Ibid. n.
In Aſtenſi Civ. cum Turrianis & Guelphis pacem firmat . Ibid.
In eum conatus Roberti Regis, & Romani Pontificis . 28.
Naturæ concedit . 32.
Qua ætate, & quo loco, anno, & die . 33. n. 34. n.
Ejus corpus ſecreto tumulatum, & qua de re . 34. n.
Matthæus II. Vicecomes Stephani filius exulare cogitur . 84. 85.
A Joanne Archiepiſc. patruo revocatur in patriam . 112.
Cui in portione ditionis ſuccedit . 143.
Quæ Civitates ei ſubjectæ . 144.
Bononiæ dominus fruſtra dejiciendum curat Joannem de Olegio . 146.
Qui eam Urbem ſurripit . 149.
Luxuriæ deditus diem claudit extremum . 154. & 155. n.
Qua die, menſe, & anno . Ibid. n.
Ziliolam Philippini Gonzagæ Mantuæ Marchionis filiam uxorem habuit . 156. n.
Ex ea duas tantum fœminas ſuſcepit . Ibid. n.
Maxini Comites in Canepicio . 332.
Mazadii Comites in Canepicio . 332.
Mazuchellus D. Joannes Paulus C. R. ex Congr. Somaſchæ, Vir doctus . 199. n.
Mediolanenſes ſub Turrianis . 9.
Sub Ottone Vicecomite Archiepiſcopo . 12.
Iterum ſub Turrianis . 16.
Qui ex dominatione excidunt . 22. 23.
Eorum Urbs obſidione preſſa a Guelphis . 28.
Mediolanenſes Philippo Valeſio viriliter ſe opponunt . 36.
Vires eorum reſtitutæ . 48.
Præcipue ſub Azone Vicecomite . 66.
Et ſub Luchino . 83.
Peſtilentia Mediolanum affligit . 2. 273.
Indiviſa Civitas inter Vicecomites fratres . 143. 144.
Mediolanenſes Mercatores cum barbis longis . 150.
Mediolanum : Nuptiæ hic largiter & hilariter celebratæ . 114. n. 312.
Palatium Ducale, ab Azone Vicecomite magnis ſumptibus ædificatum, adhuc in parte ſuperſtes . 81. n.

A Ga-

A Galeatio II. & aliis Vicec. auctum & reædificatum . Ibid. n.
Imperante ac ſumptus præbente D. N. Maria Thereſia Auguſta : curante vero Inſubriæ Moderatore Comite Jo: Luca Pallavicino , Viro Magnifico , ad Regiæ prorſus Aulæ magnificentiam aptatum . Ibid. n.
Paucis Europæ Principum Regiis ſecundum . Ibid. n.
Prope Palatium Ducale extat Templum in honorem S. Gotardi ab Azone Vicecomite extructum . 81. n.
Mediummiricum , & Mazoria , in diſtrictu Novar. depopulantur ac ſuccenduntur . 224.
Milanus Beccaria Ticini dominatur . 230.
Ejus duæ filiæ quibus nuptæ . Ibid.
Mirandula tradita Pontifici . 281.
Modoetia a Vicecomitibus recuperata . 32. 64. n. 65. n.
Monaſterium S. Belleni in Canepicio privatum Caſtro & potentia Vulpiani , & ejuſdem Abbas occiſus . 356.
Monetæ : Civitates quæ cudendæ Monetæ jus habebant , in illis ſolebant Sancti earum Patroni imaginem ſeu nomen inſcribere . 204. n.
Monticellum , Monzitium , & Morghengum , in diſtrictu Novar. diripiuntur ac comburuntur . 224.
Montis-Vegii Caſtrum , prope ipſum commiſſo prœlio ab Azone Vicecomite & fœderatis Bononienſes diſſipantur . 57. n.
Morialis frater Templarius , dux ſocietatis prædonum Romæ obtruncatur . 131.
Muldorphii , atrox pugna habita . 46. n.
Municipes qui ? 199. n.
Municipia an Coloniis præferenda . 199. n.
Municipium jure Romanorum erat donatum . Ibid. n.
Propriis vivebat legibus . Ibid. n.
Ac primævam retinebat libertatem . Ibid. n.
Muratorius Ludovicus Antonius , Vir Clariſs. 5. n. & alibi paſſim .
Mutinenſibus inlatum bellum a Joanne Vicecomite . 131.
Tum a Bernabove Vicecomite . 277. & ſeq.

N

Nibia diripitur & comburitur . 224.
Niccolaus V. (alii IV.) Antipapa . 52. n.
Ejus abdicatio & pœnitentia . 53. Vide Petrus de Corbario .
Niccolaus II. Marchio Eſtenſis dominus Ferrariæ & Mutinæ recipit in uxorem ſororem Dom. Scaligerorum . 266. 318.

Noga-

Nogarola in Agro Veronenſi prope Athefim : ibi Matthæus I. Vicecomes e Mediolano exul obſcuram & pauperem ducit vitam . 18. n. 23. n.

Novaria Matthæo Vicecomiti tradita . 35.

Tornielli ibi potentes . 106.

Joannes Vicecomes Epiſcopus & Comes illius Urbis . 108.

A Marchione Montisferrati uſurpata . 141. 171. 174.

Ejus Caſtrum Civitatis a quo , & quando captum . 174. n.

An præſens Caſtrum ſit illud quod conſtructum fuit a Joanne Vicecomite . 140. n.

Infelix Urbis Status . 175.

Scelus nefandius quovis alio , Civitatis Privilegia & publica Inſtrumenta in puteum projecta , aut combuſta , aut exportata . 224.

In ea Factiones duo : una Guelpha Sanguineorum : altera Gibellina Rotundorum . 208. n.

Fabuloſa illius origo , perperam in Azarii Hiſtoriam intruſa . 190. 204. 205. n.

Verior & antiquior ſtatuitur . 196. 197. n. & ſeq. n.

Novaria Civitas quanti apud Romanam Gentem fuerit olim celeberrima , comprobatur ex antiquis Hiſtoriis veteribuſque Romanorum Monumentis . 197. n. & ſeq.

Fuit Colonia creata , non deducta . 197. n.

Fuit primo Colonia Latina , poſtea Colonia Romana , ac tandem Municipium . 198. n.

In Tribu Claudia ſuffragia ferebat . 199. n. 202. n.

Non defuerunt Decuriones ; quod ejus Nobilitatem etiam ſub Romanis demonſtrat : prout etiam in præſens ex maxime illuſtribus ac cenſu pollentibus Familiis non deſunt . 203. n.

Concilium habebat conſtans ex Decurionibus , ex quibus præter *Cenſores* , *Ædiles* , & *Quæſtores* educebantur *Duumviri* , aut *Quatuorviri Juri dicundo* , qui in Coloniis ac Municipiis iidem erant qui Romæ Conſules . 203. n.

Decuriones & ipſi iidem erant qui in Romana Urbe *Patres Conſcripti* . 203. n.

Balineum habebat . 200. n.

Habuit jus cudendi Monetam . 204. n.

Nonnulli Nummi referuntur . 204. 205. n.

Datus ei Epiſcopus . 206.

Primus ejus Epiſcopus ac Protector S. Gaudentius . Ibid. n.

Novaria : Urbs reſtituta Galeatio Vicecomiti . 218.

Qui Cives , & Clericos depauperat . 221. 330.

Et diruit Terras, ac Arces univerſas ſui Diſtrictus. 310.
Afflicta a peſtilentia. 222.
Atque a ſocietate Anglorum. 223. 246.
Terræ in ſuo Diſtrictu direptæ ac combuſtæ. 224.
Aliæ a Locuſtis devaſtatæ. 311.
Terræ in ſuo Diſtrictu, in quibus optima colliguntur vina. 198. n.
Novarienſes ſe jungunt Ottoni Vicecomiti. 8. n.
Pro eo pugnant Dexii ac Vaprii, Ibid.
Novarienſes male habiti a Marchione Montisferrati. 211. 212.
Novæ Oppidum prope Genuenſium fines Marchioni Montisferrati a Galeatio Vicecomite traditur. 217. n.
Nummata, idem ac res comeſtibilis. 150. n.

O

Obertus Marchio Pelavicinus. 120. 125.
Obizo II. Marchio Eſtenſis fœdera init adverſus Joannem Vicecomitem. 133.
Contra ejus Nepotes. 166.
Octavianus Ubaldinus S. R. E. Cardinalis, ejus opera Otto Vicecomes ab Urbano IV. Archiepiſcopus Mediolanenſis renunciatur. 5. n.
Orcus Fluvius in Canepicio, unde procedens. 334.
In ipſo magna quantitas auri colligitur. Ibid.
Abundat trutis & thymalis. Ibid.
Otto de Brunſvich militat in Italia. 297. 299. 348. 353.
Affinis Marchioni Montisferrati. 327.
Otto Vicecomes, Mediolanenſis Archiepiſcopus, filius Uberti. 5. n.
Quando natus. Ibid. n.
Quot Dignitates occupaverit ante Archiepiſcopatum. Ibid. n.
Qua occaſione & tempore Mediolani Archiepiſc. renunciatus fuerit. Ibid. n. & ſeq.
Quando, & quibus jactatus ærumnis Archiepiſcopalem Sedem obtinuerit. 7. n. 8. n.
Cœpit regere Civitatem Mediolanenſem una cum Capitaneis & Valvaſſoribus. 12.
Domum Vicecomitum ampliavit. 7. n. 12.
Quo loco & anno obierit. 13. n.
Ejus tumulus & Epitaphium. Ibid. n. & ſeq.

Pagi

P

Pagi nomine quid intelligant Authores Hiſtoriæ Romanæ . 197. n. 198. n.
Palancatum : Septum ex Palis &c. ad arcendos hoſtes . 175. n.
Paliatum depopulatum ac ſuccenſum . 224.
Panarium Flumen : Super ipſum Pontes duo conſtructi a Joann. de Olegio , & de ejus Actis ſecus Flumen . 132. 133.
Pandulphi Malateſtæ ſenior & Junior Domini Arimini &c. 277.
Pandulphus Malateſta Capitaneus pro Eccleſia . 277.
Pro Galeatio II. Vicecomite . 288.
Panvinius Onuphrius Celeber Auguſtinianus , Author fide omnino dignus . 197. n.
Papia , ſitus ejus laudatus . 225.
Vide Ticinenſes .
Inhoneſta ejus populi tripudia . 232.
Inde pulſi Nobiles de Beccaria . 235. 236.
Jacobo Buſſolario Auguſtiniano populus paret . 238.
Deditionem facit Galeatio II. Vicecomiti . 240.
Arces ibi ædificatæ . 242. 287. 288.
Primum Caſtrum ædificatum a Matthæo Vicecomite , a Luchino Vicec. diruitur . 228.
Aliud Caſtrum de novo erectum a Galeatio II. Vicecomite 242. 287. 288.
Civitas afflicta a Peſtilentia 143.
Gymnaſium omnium Scientiarum ibi conſtitutum . 291. n.
Papias Author Libri vocabulorum verbalium , ſeu Gloſſarii , non ab Urbe Papia , ſed proprio nomine vocatus . 227. n.
Suum Gloſſarium quando & a quo editum . Ibid. n.
Fuit utile Du-Cangio in contexendo ſuo Gloſſario Mediæ & infimæ Latinitatis . Ibid. n.
Cetera ejus Opera recenſentur . Ibid. n.
Quando floruerit . Ibid. n.
Parabiagum Oppidum : Inſignis victoria de Lodriſio Vicecomite , celebri miraculo S. Ambroſii , a Mediolanenſibus ibi reportatur . 73. n.
Quibus Authoribus & Monumentis ipſa comprobetur . 73. n. 74. n.
Quo anno evenerit . 74. n.
Quid egerit Urbs Mediolani ut tantæ gratiæ memoria perennaret . Ibid. n.
Parma , eadem potitus Luchinus Vicecomes . 87.
Ab Hungaris tentata . 265.
Afflicta a peſtilentia . 273.

Parraſii Urbs olim Epiſcopalis non longe poſita a Laudenſi Urbe . 69. n.
Ejus ruinæ in præſens quo in ſitu cernuntur . Ibid. n.
Ex ejuſdem ruinis Crema incrementum recepit . Ibid. n.
Paſcha , ab ipſius Solennitate , Seculo potiſſimum XII. , Anni fuere numerati non ſolum in Gallia ſed etiam in Italia , & maxime apud Inſubres. XLIII.
Paſſarinus de Bonacoſſis dominus Mantuæ & Mutinæ , ejus victoria de Bononienſibus . 56.
Peruſini Betonam obſident . 127.
Atque recipiunt . 128.
Peſtilentia teterrima Italiam depopulata . 2. 75.
Petrus Aloyſius Farneſius , Primus Novariæ Marchio , Novariæ dominium a Carolo V. Imper. obtinuit . 205. n.
Petrus de Candia , poſtea Alexander V. Papa . 291. n.
Vide Alexander V. Pontif. Max.
Petrus de Corbaria Pſeudopontifex . 52.
Ejus nomen , & profeſſio . Ibid. n.
Contra Joannem XXII. a Ludovico Bavaro creatur Antipapa . Ibid. n.
Cardinales ab ipſo nominati . 52. 53. n.
Conſiſtorium Piſis ab eo habitum 64. n.
Avenionem ducitur , & Carceri ad vitam mancipatur . 52. n.
Petrus Rubeus Veneti exercitus dux Tarviſium & plures alias Urbes Scaligeris adimit . 320. In Prœlio occumbit . Ibid.
Petrus Azarius , Author hujuſce Chronicon , Quis ille fuerit . Pag. III.
An alios Annales confecerit . VIII. & ſeq.
Ejus Opuſculum de bello Canepiciano . XII.
Notarii munere functus . 123. 330.
An alius Petrus Azarius Hiſtoricus . XIII.
Ejus geſta . 139. 142. 187.
Calamitates illius . 328. 329. 330.
Bellum Canepicianum deſcribit . 331. & ſeq.
Philippinus de Gonzaga dominus Mantuæ . 118.
Philipponus Comes de Languſco dominus Ticini . 10.
A Gibellinis captus & in Mediolanum deductus in Turri Arengi carceri mancipatur 27. 30.
Ibique diem claudit extremum . Ibid.
Philippus Valeſius contra Vicecomites exercitum ducit . 36.
Inglorius in Galliam regreditur . 39. 128.
Pianca , idem ac *Aſſis* , *Tabula* . 162. n.
Pioltellum in Comitatu Mediolan. , ibi habetur congreſſus Nunciorum fœdera-

ratorum Urbium contra Mediol. ad tollenda diſſidia inter Vicecomites & Turrianos . 18. n.
Ibique Matthæus Vicecomes dominium Mediolani dimittit . Ibid n.
Piſæ : ibi acta a Carolo IV. Auguſto . 159.
Piſani pertinaci obſidione Lucam ad deditionem cogunt . 319.
Societatem Anglorum conducunt . 305.
Quomodo annos numerabant . XLVII.
Piſtininum comedere quid ? 162. n.
Placentia Galeatio Vicecomiti tradita , ac deinde erepta . 58.
Prope hanc Urbem anno 1312. commiſſa pugna inter Guelphos & Gibellinos , ab iſtis Philippus Comes de Languſco , & Antonius Fiſſiraga capiuntur , & ad Mediolani Carceres deducuntur . 30. n.
Plumatii Caſtrum in diſtrictu Bononienſi a Bernabove Vicecomite obſidione obtinetur . 263.
Pombia invaditur . 210.
Diripitur , & comburitur . 224.
Pons Sancti Petri in diſtrictu Bergomenſi : ibi pugna commiſſa a Ludriſio Vicecomite , debellatur Ponzo de Ponzone , qui ad Bergomum fraude occupandum properabat . 30. n.
Pontis Vici Oppidum & Caſtrum 366. 267.
Ponzana & Pratum in diſtrictu Novar. depopulata ac ſuccenſa . 224.
Pratum Marzaleæ , quæ pars Novarienſis Urbis Pomerii ſic denominetur . 37. n.
Pulpeclini Villa in Diſtrictu Derthonenſi a Luchino de Verme comburitur . 246. 247.
Puricellus Joannes Petrus , Vir Clar. 11. n. & alibi .
Puteobonellus Joſeph . S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis Eccleſiæ : hanc Sedem maxima prudentia , pietate , ac zelo , omnium Ordinum conſenſu , in præſenti regit . 111. n.

Q

Quiregium depopulatum ac combuſtum . 224.

R

Rymundus Turrianus Pagani filius , an Mediolanenſem Archiepiſcopatum recuſaverit . 10. n.
Ab Urbano IV. ad Epiſcopatum Comenſem promotus . Ibid. n.

A Gre-

A Gregorio X. ad Sedem Patriarch. Aquilejæ translatus 10. n.
Ex foro Julii Laudem deducit Milites qui in pugna Vaprii commiſſa profligantur. 8. n.
Quo loco & anno obierit, & tumulatus fuerit. 10. & ſeq.
Raymundus de Cardona Capitaneus Generalis & filius Eccleſiæ. 34.
Ejus exercitus fractus a Vicecomitibus. 33. 34.
Raymundus de Languſco Ottoni Vicecomiti ſe jungit 8. n.
Rebelliones, Seductiones: Vide Conſpirationes.
Receptum diſtrictus Vercell. a Novarienſibus captum. 211.
Refoſſum an idem quod *Strada Coperta* ab Italis vocatur. 185. n.
Reveslatum deſtruitur. 210.
Rhaudenſis Illuſtris familia Mediolani: ipſi ſpectabat jus comitandi Archiepiſcopum Mediolan. a Cathedrali ad Ambroſianam Baſilicam die Palmarum procedentem. 111. n.
Riciardus Caminata uxorem ducit Joannam Filiam Nini Galluræ, & Beatricis Eſtenſis. 57. n.
Robertus Apuliæ & Siciliæ Rex, illius potentia in Lombardia. 20.
Per ſuum Seneſcalchum Papiæ ſignat Tractatum cum Turrianis aliiſque Guelphis. 30. n.
Ejus vigore conceditur eidem perpetuum Mediolani dominium & ſub certis conditionibus. Ibid. n.
Ejus Exercitus apud Lignanum in prœlio diſſipatur. Ibid. n.
Robertus Vicecomes Archiepiſcopus Mediolani. 142. n.
Carolum IV. Imper. Corona Ferrea redimivit. Ibid. n.
Diem claudit extremum. 142. n. 143.
Quot annis in ſua Sede vixerit. 142. n.
Romanianum: ibi campum figunt & tenent Anglici. Ad Pontem Canturinum, ſui Diſtrictus, committitur bellum Anglicos inter & Comitem Landum qui capitur, & brevi moritur. 303. 304.
Receſſis Anglicis, juſſu Galeatii Vicecomitis diruuntur Arees Romaniani, Mediimirici, & Sanctæ Fidei. 224. 306. n.
Romanianum vetus, ubi erat ſitum. 305. n.
Ejus rudera a quibus poſſideantur. 306. n.
Rondellæ quid? 164. n.

S

Sabaudiæ Comes Hyporegiam recipit. 357.
Canepicii Comites ſe ei tradunt. 358.
Saccomanni nomen, rapiendi apud Milites conſuetudini, coævum. 181. n.

In ſenſu Azarii, villiores Famuli Caſtra ſequentes, atque Exercitus impedimenta ducentes. Ibid. n.
Sancti Belleni Monaſterium. Vide: Monaſterium S. Belleni.
Sanctæ Fidei Caſtrum in diſtrictu Novar. deſtruitur. 306. n.
Ubi erat ſitum, & quo loco ejus ruinæ modo cernuntur. 305. n.
S. Martini Comites in Canepicio. 336.
Eorum potentia. 337.
Bellum eis inlatum. 340.
Vaſſalli Comitis Sabaudiæ. 358.
Sanctus Petrus Terra diſtrictus Novar. diripitur ac comburitur. 224.
Saxius Joſeph Antonius Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus Vir Clar. 4. 5.
Scarafonus Scarani & Scamares, in ſenſu Azarii non Prædones, ſeu fures, ſed Milites. 276. n.
Scarani, Exercitus fex. 276. n.
Scariones diverſa quæ apud Eruditos ſignificant. 209. n.
In ſenſu Azarii nihil aliud ſignificant quam palos. 210. n.
Scripia Fluvius. 250.
Scriptores diſcrepantes circa rerum geſtarum tempus, quomodo facile inter ſe conciliantur. XXVIII. LII. LIII. & 11. n.
Seprii Caſtrum: ibi pugnatum inter Turrianos & Ottonem Vicec., Archiep. Mediol., qui prima die victor extitit, ſecunda vero profligatur. 7. n.
Seregnium Oppidum occupatur ab Ottone Vicecomite. 8.
Serravallæ Terra diſtrictus Vercell. a Novarienſibus capta. 211.
Seſſites Fluvius in diſtrictu Vercell. 182. 183.
Pons ſuper ipſum protenſus per medium milliare. 179.
Seſtertius & ſeſtertium quem valorem modernarum Monetarum æquent. 200. n.
Seſtertius ad Seſtertium eſt quo ad valorem proxime ut numerus 1. ad 1000. hoc eſt mille Seſtertii valent unum Seſtertium. 200. n.
Siccianum depopulatum ac combuſtum. 224.
Sigebaldus Epiſcopus Novarienſis. 209. n.
Sigomarium: hortulus Papiæ inter Padum & Ticinum incluſus. 231.
A Mediolanenſibus devaſtatur. 234.
Simon de Colobiano de Advocatis Vercellarum Partis Guelphæ qui tres Urbis partes poſſidebant. 34.
Simoninus Buccanigra Dux Genuæ. 136.
Genuam tradit Joanni Vicecomiti. 139.
Tum eam recipit. 165.
Fœderatus contra Vicecomites. 249. 250.
Sixtus V. Summus Pontifex Jubilæum ad vigeſimum quintum annum reducit. 191. n.
Solo-

Solonium diripitur ac comburitur. 224.
Soncinum Oppidum a Guillielmo Cavalcabove occupatum, ejus ac ſuorum morte in prœlio recuperatur a Com. Guarnerio de Homberg. 30. n.
Sormanus Nicolaus Bibliotechæ Ambroſianæ Præfectus, Vir Clar. 101. n.
Stephanus Vicecomes Matthæi filius. 31.
Qua de cauſſa & quo anno mors ei advenerit. 49. n. 54. n.
Ubi ſepultus. 49. n.
Synodus Ticinenſis pro electione Vidonis in Regem Italiæ, notis illuſtrata. LVII.

T

Taleæ idem ac Impoſitiones Tributorum. 212. n.
Temacoldus Vegius, ex Molitore Tyrannus Laudis Pompejæ. 68. n.
Terdobiatum depopulatum ac ſuccenſum. 224.
Terræmotus ingens. 130.
Theodorus I. Paleologus Marchio Montisferrati, ejus obitus. 339. n.
Thibaldus Vicecomes Nepos Ottonis, & Pater Magni Matthæi in Angleriæ prœlio a Turrianis captus & Galerati obtruncatus. 7. n.
Thomas Marchio Malaſpina. 145.
Ticinenſes cives fœderati contra Vicecomites. 166.
Ejus Urbis laudes. 225.
Beccaria familia ibi dominatur. 228.
Pontem ligneum ſuper flumen Ticinum a Luchino Vicecomite conſtructum, ut tranſitum Mediolanenſibus impedirent, ſuccedunt & deſtruunt. 233.
Se tradunt Marchioni Montisferrati. 229.
Eorum opes ac potentia. 231.
Afflicti a peſtilentia. 243.
Cum Cremonenſibus de Primatu contendunt. 199. n.
Ticinenſis Synodus. Vide: Synodus Ticinenſis.
Ticinum a Gibellinis captum. 26. Vide Papia.
Tornegum diripitur ac comburitur. 224.
Torniellorum Familia potens Novariæ. 106.
Torniellus D. Gregorius J. C. C. Novariæ. 306.
Tribus: ejus nomen quomodo in antiquis Inſcriptionibus indicatur. 200. n.
Tribus Claudia. 202. n. 203. n.
Truffæ ſunt *Nugæ*, *Fallaciæ*, *doli illuſio*, *Deriſio*. 129. n.
Turriani dominantes Mediolani. 9.
E dominatione cadunt. 22. & ſeq.

In Forum-Julii ſe recipiunt . 16. n.
Turris Spinaziorum evertitur . 210.

V

Valentia a Galeatio II. Vicecomite obſidione obtinetur . 315. n.
Valpergæ Comites in Canepicio . 336.
Qui eorum fœderati . 338.
Eorum geſta varia . 342. & ſeq.
Vaſſalli facti Comitis Sabaudiæ , 358.
Vaprium : Victoria ibi reportata ab Ottone Vicecomite Archiepiſcopo Mediolani in prœlio contra Turrianos fuit tam grandis , quod Epocham dominationis Gentis Vicecomitum in Urbe conſtituat . 8. & 9. n.
Ubaldini Comites fœderati cum Joanne Vicecomite contra Florentinos . Ib.
Ubertus Septala Canonicus Ordin. Eccleſiæ Mediolan. virtute ac meritis commendatus . 5. n.
Veneti victoriam de Genuenſibus reportant . 138.
Vercellæ : ibi dominantur Advocati . 34.
Simul etiam Tizzones . Ibid.
Urbis obſidio , & ad illam geſta . 37. & ſeq.
Verettonus , idem ac Sagitta major a valida Baliſta emiſſa . 39. n.
Verganum evertitur . 210.
Vermenſes Comites Antonius , & Petrus Mediolanenſes laudati . 125. n.
Comes Fridericus , & ejus fratres Placentini , laudati . Ibid. n.
Verona a Fregnano Scaligero ſurrepta Cani Grandi . 321.
Eam Canis recipit . Ibid.
Vexatur cum ſuo Diſtrictu a Comite Lando . 179. 182.
Verunum & Veſpolatum depopulata ac combuſta . 224.
Ugo de Baulcio Roberti Siciliæ Regis Seneſcalchus . 30.
Ugolinus de Gonzaga dominus Mantuæ Catherinam Matthæi II. Vicecomitis filiam in uxorem ducit . 156. n.
Capitaneus exercitus contra Vicecomites . 182.
Ad ſua tuenda accurrit . 187.
Ejus victoria de exercitu Bernabovis Vicecomitis . 188.
Cum quo pacem ſtatuit . 189.
Interfectus a fratre . Ibid. & 326. n.
Vicecomitis nomen non aliud quam Dignitatem ſignificat . Pag. XXX. in Diſſert. *de Vicecomitis nomine , dignitate , ac munere* .
Comitis enim Vicarius erat , ejuſque vices gerebat . Ibid.
Ab ipſo met Comite eligebatur . XXXIII.

Quam

Quam antiqua Vicecomitis dignitas. Ibid. & ſeq.
Fere ſeptem Seculis viguit in Italia hæc dignitas. XXXVIII.
Hujus dignitatis nomen ſenſim in Familiæ cognomen ceſſit. XXXIX.
Vicecomitis ideo cognomen non Mediolani ſolum, ſed etiam alibi alicui Familiæ acceſſit. Ibid. & ſeq.
Vicecomitum Mediolanenſium Gens illuſtris atque antiquæ Nobilitatis antequam ad Mediolani Dominium eſſet evecta. XLI. & ſeq.
Plures qui tam Celebris Mediolanenſis Familiæ originem deſcripſerunt, Authores recenſentur. XL. & ſeq.
Viglevani mirabile Caſtrum, & Pons. 92. & 93.
Vigozolum fruſtra ab Anglicis tentatur. 250.
Villa Veſpolati depopulata ac ſuccenſa. 224.
Violans filia Galeatii II. Vicecomitis. 284.
Matrimonium cum Leonello Duce Clarentiæ, filio Regis Angliæ ſolenniter Mediolani contrahit. 312. n.
Authores qui eximiam pompam & apparatum, quo hæc ſolennitas celebrata fuit, fuſius deſcribunt, ac epulas etiam hac occaſione datas, ac Comenſales enumerant. Ibid. n.
Quot ei tradita in dotem. 312.
Violantes Vicecomes Duci Clarentiæ filio Regis Angliæ magnifice nupta. 289.
Quot ei tradita in dotem. 312.
Viqueria & Retorbium cum aliis Caſtris a Dominio Mediolanenſi deficiunt. 247.
A Luchino de Verme vexantur. 248. 296
Viſcardus de Languſco in Aronæ prœlio a Turrianis extinctus. 8. n.
Upalium deſtruitur. 210.
Urbanus V. Pontifex Max. antea Guillielmus Griſans. 117. n.
Ejus Genitor, ac Patria. 290. n.
S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 117. n. 290. n.
A Clemente VI. nuncius miſſus ad Joannem Vicecomitem Archiepiſc. Mediolan. pacem inter ipſum & Sedem Apoſtolic. ſtatuit ac firmat. 117. n.
Item in Regno Siciliæ Nuncius Apoſtolicus. 290. n.
Ad Pontificiam dignitatem eligitur. 290. n.
Finem vivendi facit. Ibid. n.
Urbanus VI. Papa, Jubilæum ad trigeſimumtertium annum reducit. 191. n.

ER-

Pag.	linea	Errata	Corrige
10.	29.	ſedes	Sedem .
23.	24.	opportune	opportuna
27.	33.	Quo facto	Quo factum
58.	27.	Poſitum	Potitum
83.	30.	e natam	& natam
104.	27.	ad	ac
112.	34.	ad Octeanum	ad Occeanum
114.	21.	Ad has	A. has
116.	17.	ſo	ſe
120.	22.	nam dini	nam dici
138.	29.	d' Parma	de Parma
148.	19.	quum	quam
155.	l. ultima .	Oont	Obiit
181.	1.	lacerar	lacerari
210.	28.	Polos	Palos
249.	l. ultima .	Publicis	Publicus
257.	31.	& Bononienſibus	ex Bononienſibus
278.	27.	nomen	nomine
304.	16.	in ora	in ore

90 =

LB =

3 0112 098531160